BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XVII
C
19
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

XVII
C
19

Digitized by Google

IN HUGONIS GROTII, DE JURE BELLI ET PACIS, LIBROS III. OBSERVATIONES POLITICÆ ET MORALES,

HEINRICI HENNIGES
U. J. DOCTORANDI.

EURIPIDES.

Ἀλλ' οἱ θεοὶ δίκαιοι, χ' ὁ κείνων κρατῶν
Νόμος. Νόμῳ γὰρ τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα,
Καὶ ζῶμεν, ἄδικα καὶ δίκαι' ὡρισμένοι.

SOLISBACHI,
Sumtibus JOHANNIS ANDREÆ & WOLFGANGI ENDTERI, Junioris Hæredum.
Excudebat Abrahamus Lichtenthaler.
ANNO cIↃ DC LXXIII.

Digitized by Google

SERENISSIMO. ATQVE.
CELSISSIMO. PRINCIPI.
AC. DOMINO.
DOMINO.

JOHANNI FRIDERICO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO. MAGDEBURGI. BORUSSIÆ. STEDINI. POMERANORUM. CASSUBIORUM. ET. VANDALORUM. CROSNIÆ. ET. CARNOVIÆ. SILESIORUM. DUCI. BURGGRAVIO. NORIBERGENSI. PRINCIPI. HALBERSTADIENSI. MINDENSI. ET. CAMINENSI.

PRINCIPI. ET. DOMINO.
MEO. CLEMENTISSIMO.
PERPETUAM FELICITATEM!

Pro-

Digitized by Google

PRocumbunt hîc ad genua tua, SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME! Obſervationes meæ, in H. Grotium haud ita pridem conſcriptæ, non audaci ſuis meritis confidentiâ, ſed humilima devotione, qualis omninò ſupplicem decet. Vides enim quanto ſtudio, quantâ alacritate in principiis tui regiminis omnes cives tibi de felici auſpicio ore & animo gratulaturi certatim concurrant. Vides, quàm pia contentione & virtuoſo certamine, muneribus, precibus, obſequio exorientem tuæ Clementiæ lucem adorent: Sic ludunt tibi Poëtæ, declamant

Oratores; accinit concordibus votis universa regio. Ego igitur solus in hac publica officiorum & lætitiæ palestra ignavus Spectator? Non thura ad aras adoleam? non cœlo pro recepto Principe grates? non ipsi Principi dona feram? Quæ dona verò tanto fastigio digna? virtuti accepta? An auri argentique montes? Verùm nec his ipse eges; nec Castalius fons auri ferax est. Equina ungula frigidam ex Silice Parnassi elicuit, non thesauros. Præterea indecorum bono civi esse existimo, Principis sui benevolentiam pretio mercari, quæ post libertatem inæstimabilis res est. Videntur forum habere, qui superioribus divitias conferunt, quibus ipsi opus habent, & illi abundant: nam ut meliora recipiant, quorundam jacturam

ćturam patiuntur, non ut eum juvent, cui donant. Ut enim Isocratis (*a*) verba hîc mea faciam, *quicunq; vobis Regibus vestes donant, aut as, aut artificis manu tractatum aurum, aut aliud quid earum rerum, quibus ipsi indigent, vos verò ad desiderium affluitis, non liberalitatem exercent aut munificentiam, sed quæstum, longè artificiosiùs hæc ipsa divendentes, quàm qui professo studio caupones sunt; Ego verò arbitrarer, hoc demum pulcherrimum munus & utilissimum, maximèq; decens, mihi quidem datu, Tibi verò acceptu esse, si quid ad civitatem regnumq; optimè administrandum, factu opus, quid itidem fugiendum sit, rectè definire possem.* Sed & hîc

(*a*) Ad Nicoclem. ſtat. ab init.

conditio mea Isocratis multò deterior est. Scilicet eguerit Præceptore & Ephoro Nicocles Tyrannus; Tua sapientia excessit penè humanitatis modum, & magis obsequio opus habet, quàm consilio. Absit à me tam impudens audacia, ut T. S. ociosis regulis mensuram agendi facere velim: Dii Tibi, *Sapientissime Princeps*, summum rerum arbitrium dedere, nobis obsequii gloria relicta est. Quamobrem non meis viribus, non prudentiæ confido, sed argumento, quod tibi non potest non commendatissimum esse. De jure enim, de justitia agit, principe omnium Principum virtute & meta, ad quam Imperantium actiones collimant, subditorum vota suspiciunt. Nec subditis tantùm justitiam Princeps debet,

quod

quod (a) *fruenda juſtitiæ cauſa olim bene morati Reges conſtituti*, & (b) *remota juſtitia regna nihil aliud ſint, niſi magna latrocinia*: Sed & ſibi ipſi: qui, etſi legibus ſolutus eſt, ſemper tamen meminerit, (c) *non ſolùm quantum ſibi commiſſum, ſed & quatenus permiſſum ſit*: (d) *nec fas eſſe potentes poſſe, quod fieri nefas eſt*. Æternæ ab hoc ſole in Principes gloriæ radii diffunduntur, dum (e) *fundamentum perpetuæ famæ & commendationis juſtitia eſt, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile*. Quin penè divinitatis. (f) *PIETATE* enim *ET JUSTITIA Principes Dii fiunt*. Juſtitiam itaque hîc tibi &

(a) Cicero 2. de Offic.
(b) Auguſtin. de Civit. Dei l. 4.
(c) Cicer. Orat. pro Rabir.
(d) Euripides.
(e) Cicero libr. 3. de Offic.
(f) Auguſtin. ap. Senec. in ludo.

jus offero, non quòd eo egeas, ſed quòd illud ames. Etenim etiam Deo oblata pietas gratiſſima eſt, quamvis ipſe inexhauſtus omnis pietatis dispenſator ſit & œconomus. Ut Oceanus omnium terrarum amnes, qui in illum ſe exonerant, non gravi ſupercilio eo faſtidit, quòd iſtorum confluxu nullum augmentum ſentiat: ſed ipſemet potiùs alimenta continui curſus per concavos orbis meatus ſuppeditat. Ut flores, qui odore & viſu placent, ſemper jucundi ſunt, quantacunque copiâ & numero fuerint: ſic Tibi juſtitiæ memoria nullo nõ tempore ſuaviter olet, utut ipſam virtutem in alios immenſo flumine effundas. Nec ego jus ſaltem offero, ſed *jus* illud *belli & pacis*, quod Vobis Principibus unicè competit, privato-

rum

rum arbitrio exemptum est : à quo dependet gentium quies, & Rerumpublicarum salutaris facies, quam injustitia belli deformi nævo corrumpit. Armis patriam, cives, liberos tuemur à prædatoria aliorum ambitione : Pace Civitatem legibus & clementiâ regimus. Nullum ergo tempus est, quo aut jura belli nõ vigeant, aut pacis, cùm inter bellum & pacem nihil medium sit. Hoc ipsum jus *Serenissima Brandenburgica Domui* (ex qua tot Heroës fatali felicitate prodeunt, quot surculi) hæreditarium est, & tantum non domesticum, quæ non fortiter magis, quàm justè pièq; bella sua gerere didicit. Hoc nunc hodie potentissimus Elector Brandenburgicus ad reprimendam Gallorum ferociam & improbas spes totius

Digitized by Google

Germaniæ bono cum immortali laude auſpicato utitur. Hæc mea munera ſunt, hæc donaria, Clementiſſime Princeps, quæ Tibi chartaceo opuſculo obſequioſiſſimè oblatum eo. Tu ſereno placidoque vultu ſuſcipe, quo æterno nexu ſubditorum tuorum animos Tibi devincis, & deſideria foves. Nec libellus iſte meus Patrono indigus deinceps erit, ſi in Tui clientelam ſemel conceſſerit. Deus Te, Sereniſſime Princeps, cum omni glorioſiſſima Familia incolumem ſoſpitemque æternùm conſervet. Dab. Onold. Prid. Calend. Februar. Anno recuperatæ ſalutis MDCLXXIII.

T. CELSITUD.

Subjectiſſimus Servus

HEINRICUS HENNIGES.

Digitized by Google

BENEVOLE LECTOR.

Um meæ in Hugonem Grotium Obſervationes intra hoc biennium ſucciſivo magis quàm continuo ſtudio conceptæ luci publicæ ſiſtuntur, non poteſt non fieri, quin varia hominum ingenia, judicia, cenſuras incurſuræ ſint: æqua iniqua: bona mala: recta & obliqua. Certè quidem optare mihi licet ex Comico. (a)

Ita æqui & juſti hìc eritis omnes arbitri. *Sperare idem non licet. Experiuntur ferè libri, in hunc orbem prodeuntes, eandem cum viatoribus fortunam, quos multiplices errores & fata exercent. Nunc vacuum inſidiis & moleſtia iter: Suave diverſorium; prompta ſervitia fatigatos excipiunt. Mox verſis vicibus inſeſſa latronibus, obſeſſa vepribus, & confragoſa ſaxis, rupibus, præcipitiis loca: ſordidum ſtabulum, inculta barbaries. Sic libros alii recens natos ſinu fovent, amicitia complectuntur, laudibus onerant. Quidam invidiâ deprimunt, convitiis laceſſant, odio*

(a) *Plaut. Amphitr.*

odio perſequuntur, ut quemq; ſtudium affectus aut ratio ducunt. Quare clementiora mihi ſidera in communi hoc literarum ſodalitio fingere aut creduli nimiùm hominis eſſet, aut arrogantis. Habuimus jam in partu difficilem Luciniam, quæ niſi viſum, exploratum, judicatum fœtum edi noluit: quantò magis igitur Novercam Junonem, hoc graviùs prementem, quò potentiùs regnat? Verùm enim verò, ut vix nubilus dies ſine ſole eſt, nec omnes cum Catilina adverſus Rempublicam ſteterunt, ita & laudatores hic noſter labor invenit, & de plurimorum candore ſibi liberaliter in poſterum pollicetur. Nihil verò moramur caninos dentes, & ſuffuſos livore eorum oculos, qui, cùm bonis artibus in eodem circo graſſari neſciant, occultis ictibus gravant, non ingenua virtute præliantur. Cauſam ſcribendi ſi ſeculi prurientis vitium dicerem, penè excuſatus eſſem. Etenim (a)

Semper ego auditor tantùm, nunquam ne reponam,
Vexatus toties? — — —
— — — Stulta eſt clementia, cùm tot
Vatibus occurras perituræ parcere chartæ.

Sed

(a) *Juven. Satyr. 1.*

Sed benigniùs mecum fortuna egit : ratione & ordine non impetu eo perductus sum. Cùm primùm animum ad juris studium constanter applicuissem, continuò in ipso littore substiti, non ausus me insidis vastissimi maris fluctibus absque certo remigio & pixide nautica credere, queis syrtes, vada & scopulos navigaturis periculosos declinarem. Scilicet in legum civilium naturam, rectitudinem, obligationem felici judicio inquirere, de jure interrogantibus æquiùs meliùs respondere, probare honestatem legum, in speciem pugnantia conciliare, ut JCtum absolvere possint, ita ex Romana jurisprudentia sine aliis adminiculis non nisi turbidè & malignè hauriuntur. Itendit jam olim eam in rem digitum (a) *Ulpianus, qui juri operam daturis juris ipsius exactam notitiam in ipso vestibulo commendat. Nosse verò oportet jus non civile tantùm, sed imprimis etiam naturale & gentium, tanquam cancellos & limites legislatoriæ potestatis, extra quos licentiosè vagari nefas est. Sanè, quod Principi placet, legis habet vigorem; Sed idem hoc non ultra verum est, quàm si Principi placere honestè illud potest. Quod si in naturæ gentiumq; publica jura impingat, legis nomen non meretur, nec ad obsequium obligat, ubi obedisse*

pecca-

(a) *In l. 1. ff. de J. & J.*

Digitized by Google

peccatum est. Princeps igitur semper in examine honestatis juris inspectio illa esse debet, an lex civilis cum principiis ingenitis conveniat, nec sacrosancta Rerumpublicarum vincula temerario insultu oppugnet. Hoc autem examen qua ratione rite is expediet, qui in hisce juribus hospes nil præter textus Digestorum aut Codicis crepere noverit? Quare opportuna conclusione ita colligebam, conjungendam omninò mihi cum juris civilis studio fore connatæ honestatis æternam regulam, & necessariæ Rerumpublicarum compaginis rationem, quam quicunq; ex Treboniani institutionibus hauserit, supra hominem sapere debet. Quid enim sani aut probi ab eo expectaveris, quem oppidò in juris naturalis definitione tam immani præcipitio lapsum esse constat? Hinc mihi ad veros & genuinos fontes descendendum esse prospiciebam, quando ex corruptis adulterino rore rivulis venenum bibitur. Elegi itaq; bono omine Grotium nostrum, tum fama & auctoritate viri, hoc seculo incomparabilis, tum ipsius operis, accurata digestione & mirabili sapientia lucentis suavitate allectus. Quo plus ferè decies intra triennium constanti & attentâ lectione pervolutato, subinde aliquid occurrebat meo quidem judicio aut uberiore explicatione dignum, aut honesta censura: Quin quò sæpiùs repe-

repetieram librum, hoc nobiliorem semper odorem spirabat, & multipici eruditione magis commendabatur. Tandem idoneum mihi argumentum esse visus est tentandi privatim ingenii vires, tum memoriæ juvandæ quæ me interdum cogitatorum numero & varietate deficiebat, tum lævigandi styli causa, inter asperos Romanæ jurisprudentiæ sentes obtusioris facti. Prima fundamenta Altorfi jeci, quo relicta Jena ad continuanda studia fortè migraveram: nec tunc animum vel cogitatio subierat, visurum aliquando publicum solem, quod in tenebroso Minervæ sacrario inter aranearum telas conceptum esset. Interea crescebat opus sub manibus, & nondum primo libro plenè absoluto justi voluminis spem dabat, non unâ tamen vice per intermedia studia interpellatam, adeò ut aliquando totis sex mensibus à scriptione vacaverim. Accedebat, quod impetrata in Universitate Altorfina ab amplissimo JCtorum Ordine post legitimum examen licentia consequendi summos in utroq; jure honores cùm domum rediissem, ne planè desidiâ & otio marcescerem, mihi ipsi aliquid utiq; faciendum fuerit, honestum factu, consilio utile, nec aliis grave. Sic denique reassumpto in manum Grotio, & assutis, quæ restabant, prioribus, finis observationibus hisce, quas nunc conspicis, impositus

tus est. Hæc mihi in Grotium commentandi ratio fuit: nec cum aliis multum desuper litigabo, qui, ut eis in literaria Rep. agendi limites non pono, ita & mihi liberum arbitrium relinqui volo. Longè diversa ab hoc consilio est edendi causa, non tamen omninò nulla. Addidit ante omnia stimulos Bibliopolæ desiderium, qui suis sumptibus imprimi librum curavit, adhuc certè ineditum, si meos expectasset. Nihil enim magis indecorum ingenuo homini esse puto, quàm sui notitiam pretio ambitiosè mercari. Deinde me ad edendum movit, quod viderim, honestè in lucem proferri posse, quæ à me conscripta sunt: (a) intemperantis enim esse arbitror scribere, quod occultari velit. *Tum publicæ fortunæ hoc ipso opere litare volui, quæ me hactenus nullo merito infelicem despexit. Certè enim, ut nunc mores sunt, nostram fortunam ipsi fortunæ magis quàm prudentiæ debemus, nec videtur vir bonus ampliùs suæ felicitatis domesticus fabricator esse posse; Nisi illa Dea velit,* (b) cujus imperium terras & maria exercet, Domina mortalitatis & fatorum, *non Apollinis, non Musarum omnium commendatitiæ te sordibus & squalore eximent. Sordent enim plerisq; liberales artes sine externo suffimento, & facilè fuci sub apibus latent.*

(a) *Cicer. Academ. Quæst. l. 1. c. 2.*
(b) *Eupolor. Satyr. l. 2.*

Digitized by Google

tent. Sanè non fugit me ſcaturigo hujus mali, precibus & votis eam in rem ſæpiùs conceptis, quibus tamen ſemper hucusq; fruſtra uſus ſum. Fortè non penetravit Oratio ſupplex ad aures tantæ divæ, quam niſi per Sacerdotes adire non licet. Verùm de cauſis minùs me ſolicitum eſſe oportet, quam ſtyli genere, quod quibusdam inconſtans, pertinax, aſperum, immodeſtum, nimiumq; incontinens videri poteſt. Quicquid hujus ſit, apud æquos judices ſaltem veniam ſpero, ſi non excuſationem. Et imparem quidem ſtylum, ſi quo loco eſt, tum ipſarum obſervationum indoles, nunc commoda brevitate ſimplex, mox uberiore ingenio luxurians, tum imprimis per varia intervalla quaſi reviviſcens intermiſſus diu labor oriri fecit. Cruditatem quod attinet & acrimoniam, hanc mihi maximè nocere poſſe animadverto, niſi eam ætas & ardor juvenilis parumper ſublevet: neq; tamen ſic de omni gratia lectoris planè deſpero. Nam primum hoc eſt virium mearum experimentum, quod feci, & quidem ut antea jam dixi, ea mente ſuſceptum, ut ſibi ſoli argumento ſit, non aliis cenſuræ, adeoq; libertatem maximè amavi, citra ullum verborum delectum, quæ privatos parietes non exitura arbitrabar. Mutato poſtea animo ubi de editione cogitavi, non potuit amplius omnis verborum & ſenſus cohæ-

rentia ita dirimi, quin ſubinde reliquiæ aliquæ liberioris linguæ pellucerent. Delevi tamen multa, qua licuit, etiam cum ſtyli quandoque jactura: Cætera, quæ ſuperſunt, æquum æſtimatorem non effugiunt, calumniatorem contemnunt. Promitto nihilominus mitiora, ſi deinceps ſcripſero, his in præſens ſaltem veniam peto. Etenim interdum ubi ſententiæ non pœnitet, pœnitet vehementiæ, incautæ juventutis aſſeclæ. Ferè idem mihi accidit, quod olim Accio, qui, cùm Tragœdiam ſuam, cui Atreus nomen eſt, Pacuvio Poëtæ jam ſeni legendam tradidiſſet, ut judicium ejus exquireret, audiſſetq;, ſonora quidem eſſe, quæ ſcripſiſſet & grandia, ſed videri ea tamen ſibi duriora paulùm & acerbia, (a) *reſpondiſſe fertur.* Ita eſt, ut dicis, neque id ſanè me pœnitet. Meliora enim fore ſpero, quæ deinceps ſcribam. Nam quod in pomis eſt, itidem eſſe ajunt in ingeniis: quæ dura & acerba naſcuntur, pòſt fiunt mitia & jucunda; ſed quæ gignuntur ſtatim vieta & mollia, atque in principio ſunt uvida, non matura mox fiunt, ſed putria: relinquendum igitur viſum eſt ingenio, quod dies atque ætas mitificet. *Cæterùm proteſtor hic publicè, me ad ad nullius injuriam ſtudio ſcripſiſſe, ſed indagandæ*

(a) *A. Gell. Noct. Attic. L. 13. c. 2.*

ganda saltem veritatis causa, pro qua omnis labor & contentio in literarum atrio est. Nec est, quod quicquam putet, quia Dn. Zieglerum ante omnes elegi, cum quo ambularem, ideo me ipsum mihi voluisse adversarium facere. Absit à me tam pertinax audacia, ut provocare virum cupiam, cujus sola eruditionis fama, qua orbem implevit, incognitum me, nullisq; adhuc in Apollinis sacrario meritis clarum opprimere posset. Nec certè alia est frequentioris tactus causa, quàm quod & idem in Grotium scripserit, & mihi tunc scribenti ad manus fuerit. Eadem ratione si quæ in Dn. Conringium aut Limneum inclementius dixerim, bono animo deprecor. In universum tamen, quodcunq; in hoc libro defendendum suscepi, mutare nolo, & vadimonium omnibus promitto, quicunque mecum contendere voluerint. Si id modestè, si leniter, si amicè fecerint, gratias insuper habeo. Sin acerbè, injuriosè, præcipitanter; mihi quoque aculei sunt & in cornu fœnum. Audio etiam nonnullos inde offendi, quod scriptores alios parcè allegaverim, non ad mensuram. Sed noverint, quod nec tantam librorum copiam, quàm ipsi desiderant, semper mecum commodè vehere potuerim; nec mihi pro tempore satis instructa bibliotheca sit, unde multa exscri-

berem: Et tantò magis hæc ipsa nostra sunt, quo paucioribus adjumentis usi sumus. Quod si enim suppresso Authoris nomine vel levem plagii suspicionem in toto hoc opere dederimus, graviter vapulare non recusamus. Ergo perpetuo favore nostri pignoris ita caligamas, ut in eo non labem advertamus non maculas? Ergo saltem nos extra commune errandi sodalitium ponimus? Minimè verò. Nimis mortalitatem dedignatur, qui peccare erubescit. Nam & jam quorundam veniam petiimus, & plura supersunt, quæ mitem potiùs pro amico judicem sibi postulant, quàm ferocem censorem. Sub prelo etiam nonnulla citra meam culpam irrepserunt, quæ velo adhuc obducerem, si possem. Commatum certè, punctorum & similium longè vitiosa series; paulò pauciora in sensu aut contra loquendi artem impingunt. Ex his quæ subita & tumultuaria percursatione notare potui, ad calcem habes: reliqua tua comitate dimitte aut judicio corrige. De Aquila mea Germanica, cujus mentionem aliquot locis hoc in libro feci, bene te sperare jubeo. Jam enim librum primum plenè absolvimus. Si Deus valetudinem dederit, (nam de otio nihil est quod timeam. Nondum publicis negotiis conscientiam nostram & nomen dedimus, sed patemus adhuc omni-

um

um occupationi, tanquam prima Philoſophorum materia, quibuslibet formis recipiendis apta) tres, quæ ſequuntur, continuato ſtudio mox elaborabimus, unde meliorem mei notitiam, hic non niſi ſubitario penicillo expreſſam, habere poteris. Interim ſuſpende deſiderium tuum, ſi quod tibi eſt, & mihi fave, ſi merui. Vale autem quicunque fueris. Dab. Onold. Calend. Febr. Anno poſt Chriſtum natum cIↃ DC LXXIII.

Digitized by Google

Q. D. B. V.

IN

HUGONIS GROTII,

De

JURE BELLI ET PACIS,

LIBROS III.

OBSERVATIONES POLITICÆ ET MORALES.

In Titulum.

E Jure Belli & Pacis.] Jus Belli & Pacis Grotius non consideravit, ut fit in politicis, ubi rerum civilium commentatores potestatem belli gerendi, pacisque faciendæ tanquam singulare & excellens jus majestaticum intelligunt, variisque monitis & cautionibus illustrant. Sed verba hæc Authori nostro nihil aliud significant, quàm ut ipse se in sequentibus explicat, *jus naturæ & gentium*. Occasionem verò tituli videntur præbuisse, quæ simili sensu Cicero *in Orat. pro Luc. Corn. Balb. c. 15.* scribit, Pompeji *singularem quandam laudem & præstabilem scientiam esse in fœderibus, actionibus, conditionibus, populorum, Regum, cæterarum nationum, in universo denique* BELLI JURE AC PACIS. Ubi verba, *Bel-*

li Jure ac Pacis, idem valent, ac si Cicero dixisset, in universo naturæ & gentium jure Pompejum peritissimum esse, eamque prudentiam tam ex libris in otio, quàm ex rebus ipsis in earum tractatione & usu sibi comparavisse. Aptissima etiam locutione jus belli & pacis naturæ & gentium jus exprimit. Scilicet quæcunque controversiæ inter Reges populosque liberos habentur, illæ de pacis bellique negotiis sunt, & jure aliquo decidi debent; Jus civile, quod suæ civitatis cancellis includitur, huc non pertingit, & impunè extra suam jurisdictionem jus dicenti non paretur. Recurrendum igitur ad illud jus, quod vel à summo principio omnis rationalis creaturæ cordibus inscriptum est, vel ab illo defluens Rerump. vincula perpetuo & obligatorio decreto sociat atque componit. Quæ jura quoniam pacem bellaque mundi moderantur & ordinant, rectè belli pacisque jura dixeris.

Et gentium Juris Publici.] Id est, juris gentium. Dicitur verò jus publicum, quia publicis gentium actibus regulam dat, ut sine operosa deductione constat.

OBSERVATIONES IN PROLEGOMENA.

Sive ab ipsa naturâ profectum.] Tria hîc enumerantur distincta jura, quæ belli pacisq; differentias judicant. Naturale, divinum & humanum, sive gentium. Naturale cordibus nostris à summo Deo est inscriptum; Gentium ab hoc oritur, in quod deinde gentes à posteriori consense-

re.

re. De divino poteſt eſſe dubium. Videtur enim hujus non tam diffuſa eſſe potentia obligandi omnes gentes, quod ſolis Judæis eſt præſcriptum; ſed ſicuti quodlibet jus civile cives ſuos reſpicit, ad extraneos verò non pertinet, ſic quoque primo intuitu fortè dicendum eſſet, jus divinum à Deo ſingulariter conſtitutum Judæis, non verò aliis datum. Verùm ſciendum eſt, jurium à Deo immediatè promulgatorum diverſa eſſe genera. Tradunt Hebræorum Magiſtri, Adamo in primis mundi incunabulis, & Noæ, poſt reparationem orbis diluvio perditi, certa præcepta à Deo eſſe præſcripta, ſecundùm quæ ceu normam divinæ voluntatis ipſi & eorum poſteri viverent. Fuiſſe autem numero ſeptem. Nimirum 1. de vero Deo colendo, & ut idolis abſtineretur. 2. De non maledicendo nomini divino. 3. De non fundendo temerè ſanguine humano, ſive de homicidio. 4. De furto & rapinâ. 5. De revelatione turpitudinum, ſive adverſus inceſtas nuptias. 6. De judiciis, ſeu jure dicundo. 7. De membro animalis viventis. Quæ Rabbinorum opinio, etſi nullo fundamento nititur, & in eo rectè revellitur, quod ad certum numerum ea redigere volunt, quæ quot & qualia omnia fuerunt, ex nullo antiquitatis monumento indagari poteſt. *Vid. Dn. Ziegl. ad Grot. l. 1. c. 1. theſ. 16. verb. vixerunt.* Non abſimile tamen eſt, Adamo poſt lapſum, liberisque ejus datas quasdam leges fuiſſe, & certiſſimè conſtat, Noam accepiſſe à Deo talia mandata, quæ univerſum humanum genus obligare debebant. Sicut enim leges à poteſtate temporali latæ tam præſentes cives, quàm eorum pro-

geniem futuram tenent: ita etiam leges eo tempore Adamo & Noæ datæ, (quorum alter tanquam stirps & origo generis humani, alter verò ut sola spes ejusdem reparationis considerabatur,) non certæ familiæ aut genti, sed omnibus, quotquot ab his descendunt, i. e. universis mortalibus datæ censentur. Quæ jura quis rectè divina positiva universalia appellaverit, in quibus pleraque juris naturalis scita repetebantur, cum annexione certæ & determinatæ pœnæ, de qua illud rationis dictamen nihil statuit. Ut in rem præsentem eamus, effatum juris naturalis est, non occides. Qui contra faxit, dignus ille sit, ut puniatur. Quæ certè dignitas pœnæ non omnimodam puniendi necessitatem infert, aliàs Deo, qui contra edicta juris naturalis facere non potest, Caino parricidii pœnam remittere non licuisset. Equidem post scelus perfectum authori continuo conscientia sua dictabat, justum esse, ut pateretur, quod in fratrem statuisset, sed rigorem justitiæ divina clementia ob singulares causas temperavit, & parricidam à pœna temporali absolutoria liberavit sententia. Postquam verò homines infandis iniquitatibus pollutos cum orbe Deus aquis obruit, & Noa in restitutam terram arca salutari cum angusta familia exiisset, ne iterum mundus temerè fusi sanguinis reus fieret, visum est Deo, juris naturalis interdictum certo supplicio munire, ut omnis Sicarius capital esset. Hæc interminatio universalissima est, & vi hujus omnes potestates publicæ ad persequendum homicidam obligantur, nec nisi ex gravissimis & dexterrimè judicatis circumstantiis hujus

pœnæ

pœnæ gratiam facere possunt, nisi se iræ divinæ obstringere, & sanguinis fusi crimen cum ipso authore participare velint. Parilis conditionis fuisse putantur interdicta de incestis nuptiis, adulteriis & rapina violenta, ut scilicet terra purgetur iniquitate, & delinquentes in exemplum aliorum & ipsius flagitii detestationem viventium consortio eximerentur. *Vid. Grot. infr. l. 1. c. 2. thes. 5.* excepto tamen incestu, quæ lex suam vim exerere non debuit, nisi post multiplicatum humanum genus, quod initio absque fratrum & sororum copula contingere nequivit, *cit. Grot. l. 2. c. 5. thes. 13.* Referri huc etiam haud improbabiliter possent interdicta de scortatione, de suffocato & sanguine: indubio Apostolorum consensu, qui consilio habito super quæstione, an & gentes conversi ad Christum circumcidi debeant, pro negativa decidérunt, μὴ παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπιστρέφουσιν ἐπὶ τὸν θεὸν, ἀλλὰ ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς, τοῦ ἀπέχεσθαι τῶν ἀλισγημάτων, τῶν εἰδώλων, καὶ τῆς πορνείας, καὶ τοῦ πνικτοῦ, καὶ τοῦ αἵματος. Act. Apost. 15. Quod simul argumento est, & de quibusdam, de quibus jus naturale nihil constituit, generali jussione Deum edixisse. Multo post, cum Deus Israelitas ex gravi Ægyptiorum servitute eduxisset, in deserto eosdem certis sibi legibus devinxit, secundùm quas actiones suas & vitam omnem dirigere deberent, quas Moses deinde scriptis comprehensas posteritati transmisit. Sunt verò non ejusdem, sed trium generum; nimirum leges Ceremoniales, Forenses, & Morales. Quod Ceremoniales & Forenses attinet, indubium est, ad

solos Judæos pertinuisse, imò neque conversis ad verum Dei cultum gentibus ex omni parte fuisse impositas. Moralis verò lex sive decalogus nihil aliud ferè, quàm ipsa juris naturalis præcepta repetit, & semper etiam ante promulgationem Judaicarum legum viguit in Ecclesia Dei, & *nemo hominum ab ejus obligatione exemptus unquam fuit, speciali tamen promulgatione populo Judaico in memoriam fuit revocatus & custodiæ ejus commissus, sed iste promulgationis modus non tollit obligationem universalem... Verba sunt Dn. Ziegl. in not. ad Grot. l. 1. c. 1. thes. 16.* Ubi & paulò post declarat, in quibus lex moralis sit abrogata. Scilicet 1. quoad vim & usum justificandi hominem. 2. In credentibus quoad maledictionem, 3. Quoad rigorem exactionis. Illud saltem lex moralis præcipuum habere videtur, quod Deum verum veneretur, jus naturæ verò Deum aliquem in commune esse dictitet, cum citra revelationem divini verbi impossibile sit ad veri Dei cognitionem penetrare; Insuper moralis lex interdicta quædam de incestu habet, quæ jus naturæ tanquam legitimum fœtum non agnoscit. *Mirum quàm sudent*, inquit Grotius *l. 1. c. 2. thes. 6. ut probent, quæ Evangelio vetantur, ipso jure naturæ esse illicita, ut concubinatum, divortium, matrimonium cum pluribus fœminis.* Addo ego & incestum extra lineam ascendentem. *Conf. l. 2. c. 5. th. 12.* & quæ ibid. notavimus. *Hahn. ad Wes. de Nupt. n. 4.* Ut verò constet, quid legis moralis sit in sacra Scriptura, tria hæc hujus legis κείμενα à Theologis ponuntur. Quicquid, primò, consentit

cum

cum notitiis naturalibus; 2. à Mose atque Prophetis ostenditur pertinere ad omnes gentes; 3. in novo testamento repetitur & præcipitur: illud obligat omnes homines & est jus morale.

Rerum divinarum & humanarum.] Rerum divinarum atque humanarum cognitionem opponit hîc Euripides scientiæ juris. In Institutionibus verò Justinianeis Jurisprudentia definitur *divinarum atque humanarum rerum notitia.* §. 1. *de J. & J.* Nimirum spectat huc, quod DD. *ad d.* §. 1. notant, divinas humanasque res etiam ad alias disciplinas pertinere, ad jurisprudentiam verò eatenus, in quantum in illis justum vel injustum quæritur, quod Tragicus rectè distinxit.

Nostro sæculo non desunt.] Quidam licet tam impiè cum justitia universali non agant, juri tamen gentium status controversiam movent. Decipiuntur autem imprimis ea ratione, quod ille gentium universalis consensus, qui hactenus causa obligandi est habitus, nunquam extiterit, sed ficta sit & ventosa scriptorum traditio. Nos infrà iis satisfaciemus, ubi naturam juris gentium paulò aliter, quàm hactenus factum, explicaturi sumus.

Nil injustum quod utile.] Machiavellus suum Principem ejusmodi instruit præceptis, quæ relicta omni justitia ad utilitatem propriam sollimant. *Non può*, inquit, *un signore prudente ne debbe observare la fede, quando tal observantia gli torni contro, & che sono spente le cagioni, che la fecen promettere.* i. e. *Non potest neque debet Princeps sapiens observare fidem,*

quando talis observantia ipsi nocumento est, & præteriere rationes status, quæ ipsum impellebant ad promittendam fidem. Ex altera parte verò sunt, qui cum videant, in quantam pravitatem abiere nostri seculi mores, ut planè opus non sit, tam perversa subministrare præcepta, quæ usus quotidianus etiam sine magistro docet, in actionibus civilibus præter virtutem, quæ sibi ipsi præmium & utilitas est, ferè nihil attendi volunt, velut recurvantes ex adverso, quod à sua rectitudine exiverat, ut in justam rediret proceritatem. Rectiùs tamen & civiliùs illi sentiunt, qui politicam institutionem satis plenam esse negant, quæ utilitatem cum jure non conjungit, & quasi connubio sociat, ita tamen, ut hoc mariti, illa verò uxoris vices sustinens individuo quidem vinculo semper sibi connectantur, at ubi de imperio contendunt, maritale prævaleat. Hoc modo justissimo temperamento utilitati honestas, consilio jus & actioni decus adjicitur, quæ demum virum civilem omnibus suis numeris absolvere possunt. Et quid mihi Catones illi simplicem nudamque justitiam in scenam producunt, tanquam hic mundus, in quo vivimus, non satis diu ante Astræam in cœlum abire coegerit. Omninò pessum ire necessum est eum, qui nescit quandoque ἀλοπίκειν πρὸς ἑτέραν ἀλόπικα, in quantum scilicet salva pietate & conscientia fieri potest. Et sanè etiam mihi ignorare videntur, quem instituant. Non enim in spissis illis & tenebricosis contemplationibus versamur, ubi pulvere scholastico putres fingere & refingere sine ullo publicæ rei præjudicio possumus,

quæ-

quæcunque lubent. Nobis civitas præ manu est, quæ vitam & actiones practicas expectat. Absurdum itaque erit in hominibus extra Platonis πολίτειαν in Romuli fece viventibus tantam morum sanctitatem quærere, quæ solius virtutis amore benè agere noverit. Sed quemadmodum nemo nisi perditissimus ingratis est improbus, sic pauci sanè sine emolumento probi & justi esse volunt. Hinc evenit, ut juventutis Principes sterilem hanc morum probitatem spernentes in extremam alteram partem, (tanquam in medio, de quo ipsis nil dictum, subsistere non detur) ruant, & Machiavellum pro Zenone audiant. Quamvis & ante Machiavellum hujus farinæ præceptores extiterint, quibus utilitas & vafra illa prudentia tanquam unicum Rerumpubl. fulcrum laudabatur. Jam Ciceronis ætate putabatur, *quicquid valde utile sit, id fieri honestum, licet ante non videretur.* (a) *Et si Principes justitiam sequi velint, ac suum cuique restituere, quod vi & armis occupaverint, ad cæsos & egestatem reversuros.* (b) Sic apud Tacit. legimus. *15. Annal. Suaretinere privata domus, de alienis certare regiam laudem esse.* Multò ante Isocrates (c) suo ævo videbat Græciæ civitates, μήτ' ἐχθρας μηδ' ὅρκους μήτ' ἄλλο μη δενὸς φροντιζούσας, πλὴν ὅ, τι ἂν ὑπολάζωσιν ὠφέλιμας ἀυταῖς εἶναι, τοῦτο δὲ μόνον ς ρχούσας, καὶ πάσαν πὼ σπουδὴν ἐκὶ τοῦτο ποιυμένας. hoc est: *Neque inimicitiarum, neque juramenti, neque alius cujuspiam rei curam agere, praterquam si*

(a) 3. Offic.
(b) 3. de Rep.
(c) Orat. πρὸς φιλιπ. p. m. 305.

Digitized by Google

quid ipsis utile valde visum fuerit. Hoc verò solum amplecti, & omne studium circa illud impendere. Satis igitur est, dummodo Principes in tramite justi rectiqúe contineamus, licet eundem sua natura asperum & confragosum velut utilitatis saburra sternamus, ut planior fiat ambulantibus. Denique verissimum est, quod Zieglerus ad *h. l.* notat, id quod utile est, potissimùm se sub specie justi commendare, i. e. etiam illi Reges & Principes, in quibus nulla religio, nulla fides, semper volunt religiosi, fidei tenaces, imò virtuosi videri. Ut de Ferdinando Arragoniæ Rege Guicciardinus refert, omnium suarum actionum injustitiam solitum eum velare pallio religionis & pietatis.

Id æquius, quod validius.] Galli ad Romanos, *se* ajunt, *in armis jus ferre, & omnia fortium virorum esse.* Sic quidam apud Lucianum:

Hæc acies victum factura nocentem est.

Remp. sine injuria geri non posse.] In hanc sententiam etiam peroratCassius apud Tacitum. *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod adversus singulos utilitate publica rependitur.* Certum quidem est, ne minimum civium maxima etiam utilitatis causa sine peccato injuria affici posse; sæpiùs tamen ab imperitis actiones summarum potestatum impiæ & injustæ traducuntur, quæ intrinsecè consideratæ cum omni bonitate morali benè conveniunt. Ut in venatione subditis adempta, usucapione, aliisque eminentis dominii actibus infrà exempla nobis erunt.

Sæpè dicta excidunt.] Hæc dicta partim leges

leges civiles inter armorum ſtrepitum non poſſe exaudiri volunt, non verò omne jus à bello excludunt, partim injurias & damna, quæ bellum per accidens comitantur, reſpiciunt, partim verò ſunt hominum ferocium, qui magis, quid ipſis conducat, quàm quid juſtum ſit, quærunt, licet teſtem ſuarum actionum in pectore gerant, & perfecto demum ſcelere magnitudinem ejus intelligant.

Jura ſibi homines.] De jure civili hoc ſatis conſtat, ex eo verò male infertur ad jus naturæ. Cæterum non improbum diſcipulum Carneades in Thom. Hobb. invenit, qui his haud abſimilia monſtra docet, *de quibus vide Ziegl. ad h. l.*

Sed eximium animans.] Incipit hîc Grotius refutare primam Carneadis rationem, quod ſcilicet homo, ut cætera animalia, ad proprium tantummodò feratur commodum, nulla habita proximi ratione. Licèt enim, inquit, verum ſit, hominem eſſe animal, inde tamen non ſequitur, ergo nihil præter animal. Potiùs præcipuum quid homini datum eſt, & quo uno velut Rex & dominus aliis excellit, idque multæ teſtantur actiones, quæ non niſi ſoli humano generi competunt. Inter alia autem homini propria eſt etiam appetitus ſocietatis.

Appetitus ſocietatis.] Politici, quando de Civitate agunt, inquirunt in ejusdem originem, & quomodo primi homines in ſocietatem coiverè. Ex quibus multi, lumine Sacræ Scripturæ & vera mundi conditi originis notitiâ deſtituti varias atque ridiculas ſibi cauſas fingunt, quibus homines moti in mutuum ſodalitium conceſſe-

runt.

runt. Aliis placet fortuitus concursus, ut Epicuro, qui quoniam semel animo divinam providentiam ejuraverat, & omnia humana credederat fortuitò volvi, non potuit in hoc argumento sanioris cerebri esse. Ciceroni etiam cum omnibus Poëtis non accedimus, qui Musicam vel eloquentiam homines ab initio dispersos coëgisse scribunt, quasi hæc omnia non demum post civitates conditas in civiliori vita cepisse & exculta esse sciremus. Solent hi homines sectæ suæ servire, cui extollendæ quaslibet rationes vel cum veritatis dispendio colligunt. Paulò ad rem propiùs ii accedunt, qui vel indigentiam vel metum, vel hæc duo conjunctim civitates constituisse dicunt. Hi speciosis & ad nauseam longis declamationibus perorant, omnem terram non omnium rerum fertilem esse, neque solum hominem sibi ipsi suppeditare posse ea, quæ ad vitam commodè agendam sufficiunt. Naturam etiam humanam ita corruptam & ad vim pronam esse, ut homo sæpiùs homini insidiator & lupus extiterit, hinc infirmiores contra grassatorum ferociam sibi à consociatione auxilium quæsiviisse; Non negamus, multas ex his causis civitatibo jam constitutis accessisse, ut verò in universum statuamus, originem Rerump. inde unicam petendam, hucusque non potuimus persuaderi. Potiùs civilem societatem naturæ cum Grotio adscribimus, quæ nobis omnibus talem appetitum socialem implantavit. Scilicet orbe condito cum genus humanum paulatim suboriente sobole excresceret, *continebat primos parentes conjugalis amor, natos parentum tenerrimus affectus, in-*

de

de familia, quæ multitudine sobolis abundans, & quotidianis auctibus crescens novas colonias deducebat, donec civitati sufficeret. Ut doctissimè pluribus persequitur *Cl. Dn. Hornius, de Civit. l. 1. c. 4. th. 4.* In quo capitulo & jam memoratorum opiniones refellit. Quia indigentia in seculo adhuc omnibus rebus abundanti exulaverit, & ambitio non sit antiquior Rep. in qua concepta atque educata est. Omnium optimè autem Aristoteles hunc naturalem stimulum probat ex loquela hominis & justitia universali. Natura, quæ nihil frustra facit, homini facultatem loquendi dedit, hæc inutilis omnino & supervacanea esset, nisi cum altero posset conversari, eidemque quæ conducunt, & quæ nocent, exponere. Item tota justitiæ natura in relatione & ordine ad alterum consistit. Quando enim innatum nobis rationis lumen dictitat, ne nos invicem defraudemus aut afficiamus injuria, omnino simul declarat, socios nobis debere esse, quibus tam sollicitè cavet. His omnibus accedit, quod, quia amicitia ex singulari quodam & occulto naturæ instinctu profluit, quem morum & animorum suavis quædam conspiratio generare solet, frustra esset ille naturalis amicæ familiaritatis impetus, nisi sociali appetitu niteretur. Ex his hactenus liquidum est, hominem naturâ esse animal πολιτικὸν, sive sociale, neque verò ut cætera animalia, quæ interdum gregatim esse solent, Græcis ἀγελαῖα dicta, sed excellenti modo & ordini Rationis, quam habet, conveniens, & rebus necessariis ad vivendum beneque vivendum instructum. Quem civilem appeti-

petitum deinde auget atque commendat indigentia & metus, & hoc modo demum rectè explicari possunt, quæ ab aliis authoribus de indigentia & metu copiosè differuntur, quasi dicas cum morum Doctoribus, sicut summum bonum per se quidem sufficiens est, aliis tamen fortunæ & corporis bonis redditur opulentius & instructius. Sic appetitum naturalem societatis homines ad mutuum amorem cogere, eundem tamen crescere & dulciorem fieri ex inopia solitaria & inde redundante metu.

Ex principio aliquo intelligente extrinseco.] Potiùs ex instinctu naturali. *Dn. Ziegl. ad h. l.*

Propensio quædam.] Neque tamen, quicquid boni in infantibus deprehenditur, id continuò contra illorum naturam est, ut existimat *Ziegl. ad h. l.* Quin ego dixerim, antequam in infantibus exercitium rationis & usus προαιρέσεως sese exserat, illorum actiones neque malas neque bonas rectè vocari posse, quia omnino ut actio bona vel mala sit, moraliter intellige, intellectus & electio quædam tanquam principia humanarum actionum adesse debent, neque sufficit, potentia adesse, nisi & actu adsint. Atque ex hoc fundamento videtur mihi etiam defendi posse, infidelium liberos, si ante adeptum rationis usum moriantur, omni salutis æternæ spe non carere; Culpa enim seu paganismus parentum illis imputari non potest, ipsi verò nihilo pejores vel natura vel pietate Christianorum infantibus sunt. Dicat quis, hos baptizatos esse, & ita per baptismum à peccato originali ablutos. Respon-

deo

deo ego, quid si ante conceptionem baptismi mortui fuerint? Neque enim talibus Theologi nostri salutem æternam denegant. At parentes Christiani pro puerulis suis apud Deum intercedunt? Respondeo, aliorũ preces nemini salutem æternam conciliant, ex operibus suis, non alienis quilibet judicabitur. Sed nolo ego in hanc controversiam nunc ulteriùs inquirere, quæ magis ad Theologos, quàm me pertinet.

Fons est ejus juris.] Dn. Ziegl. ad hunc locum existimat, Grotium in ea esse opinione, quasi appetitus societatis sit fons, ex quo profluat jus naturæ. Verùm quod pace tanti Viri dixerim, mihi equidem non videtur de jure naturali hic agere, quatenus pro lege sive jussione accipitur. Ipse noster author hæc jura infrà sollicitè distinguit, & hic nullum aliud indigitat, quàm id, quod conveniens est naturæ, & appetitui sociali, seu id, *quod naturæ societatis ratione utentium non repugnat, vid. l. 1. c. 1. th. 3.* Et hujus juris fontem sive etiam normam directricem facit societatis appetitum, secundùm quem justum & injustum examinari debeat, ita ut quod deprehendatur societati humanæ convenire, id oppidò justum sit, quicquid verò eidem repugnet, injustum vocetur. Declarant id ulterius subjecta exempla, quæ non nisi ad istam communionem respectum aliquem habent, & confirmat noster Grotius paulo post, quando hæc omnia vera esse dicit, licet daretur, quod sine summa impietate dari non potest, non esse Deum. Jam verò si de generalibus juris naturæ præceptis hic tractaretur, ante omnia dicendum id foret, *esse Deum*,

juris

juris naturalis præceptum esse, quare si hæc vera sunt, quæ modò Grotius dixerat, etiam concesso non esse Deum, sequitur, quod ille appetitus, quatenus jam in esse suo est, præcisè Dei existentiam non præsupponat, sed saltem conservationi sui generis studeat, & quæcunque deinde ad dissolvendam seu corrumpendam humanam societatem faciunt, hoc conceptu vocabuli injusta sint. Ludibrium igitur debet, quicunque dixerit, *dictamina recta rationis esse universalia, & diffundere se debere universaliter in quævis objecta. At satisfieri posse huic appetitui, si tantum cum una familia aut cum una gente & populo tibi societas fuerit. Deinde & piratas & latrones suas custodire societates, pluribusq; adhuc aliis ejusdem notæ sociari appetere, qui tamen dictamini naturali, quod honestatem instillat, non satisfaciunt.* Primò enim hic de illis principiis rectæ rationis, quibus jus naturæ nititur, non agimus, sed solùm docemus, quid secundùm ingenitum societatis amorem justum vel injustum sit, quæ consideratio toto genere alia est. Deinde etiam appetitus hic societatis in abstracto consideratus universalissimus est, & nulla gens, utut barbara, in mundo reperietur, quæ non hunc stimulum una cum materno lacte imbiberit. Denique neque verum est, piratas atque latrones, qui in communione aliqua vivunt, omni jure destitutos esse. Multo melius Philosophus his exemplis necessarium juris & justitiæ usum docet, quod ne flagitiosorum quidem hominum consortium sine juris & recti communicatione stare possit. Licet enim parum

rùm juris naturalis monita cum extraneis disputent, inter se tamen rapinis & omni jurgio boni publici causa abstinent, controversias vel amicè vel per arbitrum componunt, fugiuntque, quæcunque per discordias coalitam malitiam solvere videntur.

Alia juris origo est.] Prima origo erat appetitus societatis, Alia jam est voluntas divina. Nempe ex certissimis argumentis & demonstrationibus indubitatè constat, Deum esse, qui omnium, quæ condita sunt, summus Dominus atque arbiter est, cujusque voluntati omnis creatura subjacet; Hoc infinitum Numen, quia hominem cum tali societatis appetitu creavit, simul voluisse censeri debet, justa esse, & suæ voluntati conformia, quæ eundem, ut quidem à Deo informatus est, conservant, & injusta, quæ huic adversantur, & quibus indistinctè positis societas humana solveretur.

Juris natura sit, stare pactis.] Utriusque quidem. Hîc tamè iterum Grotius humanum intelligit, sive sociabile, quod sequentia declarant, quia necessarius erat inter homines se obligandi modus. Nam ἀκύρων γιγνομένων τῶν συνθηκῶν, ἀνήρηται ἡ πρὸς ἀλλήλους χρεία τῶν ἀνθρώπων. *Infirmatis pactis tollitur mutuum inter homines commercium.* (a) Et Cicero censet, *perfidiosum ac nefarium esse fidem frangere, qua continet vitam.* Qua autem ratione Grotius hoc jus sociabile jus naturæ vocat? quia scilicet naturæ hominis sociali exactè congruit.

Ab hoc fonte jura civilia fluxerunt.] Non

B proba-

(a) Aristot. Rhetor. ad Theod. l. c. 15.

Digitized by Google

probatur hæc genealogia Dn. Zieglero, ipse verò pejorem substituit. Omninò Grotii rectè se habet, & optimis rationibus defenditur. Illud rursus in memoriam revocandum est, jus naturæ hic Grotium non capere pro lege naturæ, ut sæpiùs dictum, sed pro eo, quod ex societatis appetitu resultat, qui quoniam naturæ humanæ à Deo communicatus est, rectè etiam jus, quod eidem correspondet, naturale dici potest. Et hoc modo omninò *juris naturalis mater est humana natura*, deinde cùm justum in genere etiam includat, ut servetur fides data, hactenus *obligatio ex consensu à jure naturali vim suam habet*. Porrò quando primi mortalium in civitates & ordinem publicum coaluere, necessaria ante omnia fuit prudens deliberatio de fine consequendo, quem perfecta societas nutrit & producit. Hic quoniam in confusa & agresti multitudine sine publico imperio, ad cogendos contumaces idoneo obtineri non poterat, unanimi consensu decrevere, ut unus vel plures hac civili dignatione & imperiosa majestate armarentur, quorum voluntati & legibus cæteri parere, vitamque iis congruam agere tenerentur. Hoc consensu obligationem suam in universos diffundente optimum quemque & sapientissimum ad tantum fastigium evexerunt, qui inordinatam plebis licentiam præmiis pœnisque castigavit, & leges Reip. convenientes conscripsit, ad quarum vigorem & vivax imperium cæteri vi suæ conventionis obligabantur, obsequiosi pro rostris laudati publica liberalitate promovebantur ad honores & curam Civitatis; Refractarios autem

autem judicia & lictorum manus continebant in officio, neque id injuria, cum sibiipsis hanc conditionem fecerint. Paulatim deinceps cum se alii adeò ordinatæ societati aggregassent, vel expresso consensu in placita Civitatis ivere, vel *tacitè ex negotii natura promisisse debebant intelligi, secuturos se id, quod aut cœtus pars major, aut hi, quibus delata potestas erat, constituissent.* Ex quibus nunc manifestissimum fit, cur *juris civilis mater dicitur obligatio ex consensu.* Licet enim secundùm suam efficacem ad obligandum originem sit omne jus civile ab imperio, quod summis potestatibus à Deo immediatè circumfunditur, suo tamen modo etiam dici potest, esse ex obligatione ex consensu, quia hic consensus velut instrumentum concurrebat ad eligendum eum, quem deinde Deus felici purpura induit. Quando itaque Zieglero non placet, quod Grotius *jus civile filiam facit obligationis ex consensu, cùm omne jus civile non minùs mater sit obligationis, sed civilis, quemadmodum jus naturale mater est obligationis naturalis*; reponimus, quæstionem non esse, cujus mater jus civile sit, sed quæ sit juris civilis mater. Equidem jus civile obligationis civilis mater est, sed non illius, de qua loquitur Grotius, quæque futuros in Rep. cives obligat ordini civili, hæc enim obligatio jus civile præcedit, & est ejus quasi præparatoria. Per hanc autem Rep. constituta, legibusque instructa, sequitur ex legibus alia obligatio, quam imperium superioris producit, & quæ superiori quodammodo affinis est, ex eaque necessariò profluit. Quamobrem non

sequitur, *quia jus civile rectè juri naturali adjungitur, præsertim cùm ei ut plurimum adsistat, & perpetuum ad illud habeat respectum,* ideò etiam immediatè ex natura humana oritur. Et non video, quo modo stante hac sententia, quod jus civile producatur ex humana natura, non incidamus demum in illum gravissimum errorem, qui imperium naturale, à saniori Philosophia dudum proscriptum, inverecunda audacia Rebusp. obtrudat.

Occasionem dedit utilitas.] Quanta utilitas & abundans omnis felicitatis copia ex rectè institutis Rebusp. in universos & singulos velut ex sufficientissimo fonte aut cornu quodam copiæ se diffundat, ille non ignoravit, cui vita civilis est κοινωνία τέλειος, ἥδη πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας. γινομένη τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν, *perfecta societas, omnis sufficientiæ abundans. Quæ cepit quidem, ut vivatur, continuat verò, ut vivatur feliciter.* Cum nobis mortalibus ita comparatum est, ut nihil æquè quàm vitam nostram, & quæ ad illam suaviter agendam faciunt, amemus. Qui benevolens sui affectus ex natura omnis animalis prodit, ut studeat suæ conservationi, & corruptionem minantia aversetur. Imprimis verò in homine talis amor sui individui conspicuus est, qui simplicem naturæ instinctum ratione informat, magisque miseriam omnis rei cognoscere potest, quæ ad interitum vergit. Nunc quoniam corruptissima nostra indoles singulis talem vivendi securitatem non pollicetur, quæ cuilibet ex voto est, sed sine efficaciore remedio in illos Cyclopum mores abire-

abiremus, ubi ὑσὸς ὑσὸς ἀκύν, & pessimo loco imbecillíorum res essent, qui ferocium grassatorum impotenti libidini expositi miserrimam vitam ducerent, ratio tandem appetitu sociali instigante & necessitate cogente ab hominibus inventa est, quæ naturæ pravitatem institutione corrigeret, & degenerem morum improbitatem præsentiori talionis aut suppliciorum metu vel contineret, vel ad saniores cogitationes deduceret. Quando itaque in ampliorem numerum genus humanum excrevit, quàm ut familiarum instituto conveniret, Civitas tandem ἐκ πλειόνων κωμῶν (*a*) orta est, quæ salubertimo ordine instructa non solùm omnis abundantiæ ad usus quotidianos refertissima erat, sed & potentiores cum infirmioribus ita conciliavit, ut quisque jus suum absque manuaria illa & impari ferocitate competente modo posset consequi, quod absque civili ordine non licuit sperare, quoniam, ut ait Aristoteles, (*b*) δικαιοσύνη πολιτικόν, ἡ γὰρ δίκη πολιτικῆς κοινωνίας τάξις ἐστὶν. ἡ δὲ δίκη τῦ δικαίυ κρίσις. i. e. *Justitia est quiddam civile*, (quod sc. in ordinatis Rebusp. non in ἀναρχίᾳ invenitur) *jus enim est ordo civilis societatis, jus autem nihil aliud quàm justi dijudicatio.* Sola hæc consequendi juris ratio adeò apud Ciceronem (*c*) invaluit, ut scribere non sit veritus, *fruendæ justitiæ causa olim benè moratos Reges constitutos:* & ubique Philosophi inculcant, extra civile regimen necesse fore, ut vitam ferarum ageremus,

(*a*) Arist. 1. Polit. 2.
(*b*) 1. Polit. 3.
(*c*) 11. Offic.

Digitized by Google

imò tanto ipsis feris feriores, quando sine justitia & legibus ratione non nisi ad injurias & violentiam abutimur. Princeps Philosophiæ (a) iterum, τὸ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι, inquit, οὐ μόνον τῶν ἀναγκαίων, ἀλλὰ καὶ τῶν συμφερόντων, i. e. *imperare & parere non solùm est ex iis, quæ per se necessaria sunt, sed & quæ maximè utilia:* quoniam *sine imperio neque domus ulla, neque Civitas nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis nec ipse mundus potest.* (b) Itaque ut rursus Aristotelis (c) verba mea faciam, ὁ πρῶτος συστήσας μιγίστων ἀγαθῶν αἴτιος. ὥσπερ γὰρ τελεωθὲν βέλτιστον τῶν ζώων ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτω καὶ χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης χείριστον πάντων. χαλεπώτατα γὰρ ἀδικία ἔχουσα ὅπλα, ὁ δ' ἄνθρωπος ὅπλα ἔχων φύεται, οἷς ἔστι Γ ἀναιτία ἔστι χρῆσθαι μάλιστα. διὸ ἀνοσιώτατον καὶ ἀγριώτατον ἄνευ ἀρετῆς, καὶ πρὸς ἀφροδίσια καὶ ἐδωδὴν χείριστον. hoc est. *Qui primus constituit,* (societatem scilicet civilem) *author factus maximorum bonorum est. Quemadmodum enim omnium animalium perfectum optimum est homo, sic absque lege & jure omnium pessimum. Periculosissima enim maximè est injuria, quæ armis utitur, homo verò in armis nascitur, quibus abuti maximè possumus. Quare sceleratissimum ferissimumq; absque virtute, & ad venerem luxumq; deterrimum animal homo est.*

Utilitatem aliquam spectare solent.] An sui ipsius? Omninò. Præcipuè tamen omnium. Etenim id legislatori decorum est, cùm à Philosophis

(a) 1. Polit. 3.
(b) Cicer. 3. Offic.
(c) 1. Polit. 3.

sophis hoc uno Caractere à Tyranno distinguatur: quod ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτῷ συμφέρον σκοπεῖ, ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχομένων. *Tyrannus ad propriam utilitatem feratur, Rex verò ad subditorum.* (a) Rationem quærenti dare potest Xenophon, (b) quoniam ὁ βασιλεὺς αἱρεῖται, οὐχ ἵνα αὐτὸς καλῶς πράττῃ, ἀλλ' ἵνα καὶ ἐλόμενοι δι' αὐτὸν εὖ πράττωσι, *Rex eligitur, non ut sibi ipsi benè faciat, sed ut eligentes per hunc se rectè habeant.* Quicunque igitur ad Reip. clavam admoveris, cogitato, *Civium non servitutem tibi traditam, sed tutelam, neque Remp. tuam esse, sed tu Reip.* (c) Hoc non solùm Principi magnificum & decorum, sed & utile est. *Firmissimum enim id est imperium, quo obedientes gaudent, & illius demum Principis magnitudo stabilis fundataq; est, quem omnes tam supra se esse quàm pro se sciunt.* (d) Ille sanè Princeps non potest non omnibus civilis felicitatis bonis cumulari, qui semel sibi subditorum suorum amorem conciliavit, amorem dico, qui extra metum servilem, ex quo odium, & contemptum positus civium suorum animos benevolo quodam & religioso affectu adstringit. Hi tales *objicient se mucronibus insidiantium, & se suaq; jacta bunt, quæcunq; desideraverit impetrantis salus.* (e)

Ex consensu jura quadam.] Intelligit jus gentium, de quo hucusque constans fuit inter nostros DD. opinio, vim suam obligandi ex con-

(a) Aristot. 8. Pol. 10.
(b) In memor. Socr. l. 3.
(c) Senec. de Clem.
(d) Liv. l. 6.
(e) Senec. de Clem.

sensu cepisse. Verùm ille consensus, qui in omnium ore est, hactenus probari non potuit. Nos lectorem remittimus ad ea, quæ infr. *l. 1. c. 1.* hac de re scribimus.

Male autem à Carneade.] Respondet jam ad aliud Carneadis argumentum. Negaverat enim ille dari aliquam justitiam, quod homo ut cætera animalia utilitatibus tantùm suis studeat. Aut, inquit, si tamen aliqua est, ea sanè *summa est stultitia, quoniam sibi nocet, aliis commodis consulens.* Reponit Grotius per inductionem. Ipse Carneades fatetur in Civitate civem jus civile sequentem non esse stultum, etiamsi aliquando hoc adeò utile ipsi non sit. Sic nec populus stultus est, qui ex obveniente utilitate ingenitam honestatem & communia genitum jura non æstimat. Sed nihil, nisi quod justum est, utile putat, non quod utile, justum.

Tum verò.] Alia hæc est responsio. Naturam nostram rectæ rationi conformem ducem sequi, id sapientis est, non stulti.

Jura inventa metu.] De jure civili hoc fateri adeò absurdum non est. *Ideo enim leges in facta constituuntur, quia futura in incerto sunt, & sic à majoribus institutum, ut si anteissent delicta, pœna sequerentur.* (*a*) Apud Livium (*b*) etiam Cato censuit: *Ante morbos debere cognitos esse, quàm remedia eorum, & cupiditates prius natas, quàm leges, quæ iis modum facerent.*

Jus esse id, quod validiori placuit.] Nam &

(*a*) Tac. 3. Ann. 69.
(*b*) L. 34.

& in ſequius accipi poteſt, quomodo apud Plutarchum aliquis victricem enſem quatiens, ὑ ταύτης κρατῶν, inquit, βέλτιστα περὶ γῆς ὅρων διάκειται. *Qui hoc* (enſe ſc.) *potior eſt, optimè de finibus diſputat.* Et apud Tacitum (*a*) Tenſterorum Legatus ſatis ferociter minatur, *quomodo lucem diemq; omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris naturam aperuiſſe.*

Ὁ μὲν βίαν.] Sic Themiſtocles ad Andrios ſuper pecunia legatus duos Deos ſecum habere comites dixit, πειθὼ καὶ βίαν. *Suadam & vim.*

Conſcientia.] Magna in utramque partem vis eſt conſcientiæ. Bonis quidem ſolatio, malis autem terrori. *Nam animus impurus Diis hominibusq; infeſtus neq; vigiliis neq; quietibus ſedari poteſt, ita conſcientia mentem excitam vaſtat.* (*b*) Veriſſimum eſt Græcorum adagium, ἡ συνείδησις τὸν ψυχὴν πλήττει. *Conſcientia animum ferit.*

Proborum conſenſus.] Audiamus Iſocratis Archidamum. (*c*) Ἐγὼ δὲ, inquit, περὶ μὲν τῶν ἄλλων ὁμολογῶ τούτοις. ὅπως δὲ τῷ δικαίῳ χρὴ πειθεσθαι τὸ πραγματικώτερον τὸ συμφέρον, ὑφ' ἑτέρων ἂν μᾶλιστα πείσειεν. ὁρῶ γὰρ καὶ τοὺς νόμους ἕνεκα τούτου κειμένους, καὶ τοὺς ἄνδρας τοὺς καλούς τε καὶ ἀγαθοὺς ὅτι τούτῳ φιλοτιμουμένους, καὶ τὰς πόλεις τὰς εὖ καὶ φιλοτίμως πολιτευομένας περὶ τοῦτο μάλιστα σπουδάζουσας, καὶ τοὺς πολέμους τοὺς προειλημμένους οὐ κατὰ τὰς δυνάμεις, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸ δίκαιας τέλος ἅπαντας εἰληφότας. ὅλως δὲ τὸν βίον τὸν τῶν ἀνθρώπων ὁρῶ μὲν κακίας ἀπολλύμενον, ἀρε-

(*a*) 4. Hiſtor. 64.
(*b*) Salluſt. Catil.
(*c*) P. m. 387.

ἀριτλὼ δὲ σωζόμενον, ὡς' ἐκ ἀθυμεῖν δεῖ τὰς ὑπὲρ τῶν δικαίων κινδυνεύειν μελλούσας, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον τὰς ὑβριζούσας, καὶ τὰς τὰς ἐυτυχίας μὴ μετρίως φέρου σὰς ἐμοὶ, h. e. *Ego verò in aliis quidem consentio illis. Utilitatem verò anteponendam esse ei, quod justum est, nemo sanè prudens dixerit. Video enim & leges hujus causâ constitutas esse, & viros bonos de hoc maximè nobili amulatione contendere, & Civitates benè ordinatas ad istud ipsum omni studio annitì, & bella superiora non tam fiducia virium quam justitia & æquitate feliciter confecta; breviter, vitam humanam virtute servatam improbitate perisse, ut nullo modo animum despondere illi debeant, qui justitiæ causa periclitaturi sunt, sed multò magis hi, qui ad injurias proni felicitatem mediocriter ferre nesciunt.* Et paulò post. Ἐγὼ δὲ μεγίστην ἡγοῦμαι συμμαχίαν εἶναι καὶ βεβαιοτάτην τὸ τὰ δίκαια πράτειν, εἰκὸς γὰρ καὶ τὸν τῶν ὅλων ἔυνουν ἔσεσθαι μετὰ τούτων, εἴπερ καὶ τῶν μελλόντων τιμωρίαν τοῖς ἤδη γεγενημένοις. *Ego autem existimo societatem optimam certissimamq; in bello esse, si justa feceris. Verisimile enim est, Deum quoque tibi propitium fore, siquidem decet de futuris ex præteritis ominari.*

In populo aut populi rectore.] Id quod sæpius Civibus suis objicit Isocrates, in celeberrima illa Oratione περὶ εἰρήνης. (a) ἢν γὰρ ταῦτα, inquit, καὶ τὰ τοιαῦτα διεξίητε πρὸς ὑμᾶς αὐτὺς, ἐυρήσετε τὸν μὲν ἀπελασίαν καὶ τὸν ὑβριν τῶν κακῶν αἰτίαν γιγνομένην, τὸν δὲ σωφροσύνην τῶν ἀγαθῶν, ἣν ὑμεῖς ὅτι μὲν τῶν ἰδίων ἐπαινεῖτε, καὶ νομίζατε, τὰς ταύτην ἔχοντας

(a) P. m. 370.

Digitized by Google

τως ἀσφαλέστατα ζῆν, καὶ βελτίους εἶναι τῶν πολίτων, τὸ δὲ κοινὸς ὑμῶν τὰ οἴκοθεν δεῖν τοιοῦτο παρασκευάζειν. καὶ φεῦ σωφρόνως τὰς ἀρετὰς ἀσκεῖν, καὶ τὰς κακίας φεύγειν καὶ πολὺ μᾶλλον ταῖς πόλεσιν, ἢ τοῖς ἰδιώταις. Ἀνὴρ μὲν γὰρ ἀσεβὴς καὶ πονηρὸς, τυχὸν ἂν φθάσειε τελευτῆσαι, πρὶν δοῦναι δίκην τῶν ἡμαρτημένων: αἱ δὲ πόλεις ἐξ τὸ ἀθανασίαν ὑπομένουσι καὶ τὰς παρὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὰς παρὰ τῶν θεῶν τιμωρίας. hoc est. *Quod si enim hæc & his similia vobiscum rectè æstimaveritis, invenietis, intemperantiam & injurias malorum omnium esse causas. Sobrietatem verò bonorum. Quam vos quidem in privatis hominibus laude multa prosequimini, & censetis eos felicissimè vivere, qui illa utuntur, optimosq; omninò civium esse. Publicum verò bonum non putatis oportere idem agere? At decet colere virtutes, vitiaq; fugere non tam privatos quàm civitates. Vir enim impius fato prius suo fungi potest, quàm delictorum pœnas dederit, Civitatibus autem, quæ immortales sunt, Deorum hominumq; supplicia semper manent.*

In jure nihil spectant nisi utilitatem.] Nescio an hoc obiter notem, quid in mentem venerit Wesenbecio, (a) ut tam mirabilem & inauditam inter jus publicum & privatum differentiam fecerit: *quòd in illo non tam inspiciatur, quid receptum sit jure gentium aut legibus, quàm quid necessitas aut usus Reip. postulet, hoc verò æquitate naturali & civili niti oporteat, alioquin pro injusto & inhonesto habebitur.* Quasi verò ullum jus in æquitate & honestate fundari non debeat, cùm nec aliter quidem, nisi hone-

(a) De pact. n. 4.

honestum sit, obligare possit. Et publicas potestates adeò omnis æqui & boni contemnentes esse non decet, ut jus publicum ad propriam utilitatem sepositâ omni honestatis cura examinare velint. Quod si cum honestate benè congruit, tunc sanè nihil prohibet, imò necessarium est, publicæ rei emolumentum respicere. Verùm & in jure privato justitiæ utilitas adjungenda est, cùm omnis societas boni alicujus & commodi fruendi causa contrahatur.

Omnia incerta esse.] Justitiâ enim, quæ tota in abstinentia alieni posita est, sublatâ, confusio sequeretur omnium rerum, nec ampliùs meum & tuum dignosci poterit.

Memorabili latronum exemplo.] Latrones, qui adversus omnes hostile odium exercent, inter se tamen aliquam juris & justitiæ speciem conservant. Partiuntur fidelissimè ex lege conventionis acquisita per scelus, cuique suum habere permittunt, & ei, quem velut caput atque rectorem flagitiosæ societatis fecere, omnes parere cupiunt. Si de re quapiam discrimen oritur, vel amicâ compositione sopiunt, vel ad arbitrum & quasi Magistratum sui ordinis deferunt, stantque sententiæ, quam cognita causa pro uno aut altero pronunciavit. Secus, si illas injurias, quibus exteros afficiunt, etiam inter se usurparent, brevi eorum communio magno quidem omnium bonorum gaudio dissolveretur.

Fœda ne patriæ quidem causa.] Pernitiosa itaque est Machiavelli doctrina, quando Principi suo speciem magis aliquam & superficiem virtutis, quàm ipsam virtutem commendat, quæ

fucata

fucata probitas ita ſe habere debeat, ne homines facilè in interiora penetrare queant, ſed falſa imagine decepti eò faciliùs, ſi opus fuerit, tibi prædæ ſint. Quòd ſi enim perfidiæ non mediocre pretium eſt, fidem putat oportere utilitati cedere, quia illius inane nomen hujus præſens efficacia facilè obſorbere poteſt. Adducit verò (*a*) probandæ ſententiæ veterum Philoſophorum fabulam, qui Achillum multosq; alios juventutis Principes Chironis Centauri hominis & equi formam æqualiter participantis curæ & diſciplinæ commiſſos eſſe tradunt; inſigni documento & hominis & beſtiæ naturam induere illum oportere, qui Reip. feliciter præeſſe vult. Verùm enim verò Deus, qui intimus pectorum noſtrorum ſcrutator eſt, tam degenerem ſapientiam publico damnavit proclamate, & ſæpius juſtiſſimo judicio deſtituit eventu. Legimus paſſim in hiſtoriis, ipſam non rarò aſtutiam in eos incidiſſe laqueos, quos aliis ad lapſum ſtruxerat. Ludovicus Sforza, Mediolani Dux, Italiam ad nutum ſuum vel arma capere vel deponere ſibi blandiebatur, dum Carol. VIII. Galliæ Regem in Italiam ſuis auſpiciis vocatum aliorum auxiliis inde rurſus ejecerat. Verùm non multò poſt mutato cum carcere imperio ſervitutem & vitam ſimul exuit. Ille etiam omnis perfidiæ compendium, ſedisque Romanæ incomparabile opprobrium, Alexander VI. cùm ſe jam extra inconſtantiam fortunæ, imò ſupra ipſam felicitatem poſitum crederet, ecce tibi repente lethali hauſtu, quem inſonti hoſpiti præparaverat, æſtuantem truculenta

(*a*) Del Princ. c. 18.

lenta consilia cum sceleratissima anima efflare. Æterno ære dignissimis verbis delitium meum Barclajus mentibus nostris Dei providentiam instillat. *Sæpè divinitatis*, inquit, *opera hæc sunt, ut furias in ipso jam successu securas subita ultio corripiat, ne vel unquam improbis timor, vel spes absit calamitosæ virtuti.*

Militari fortitudini justitiam antepositit.] Oritur inter viros doctos quæstio, utra virtus, togata an sagata, sit præstantior? aut cujus usus in Civitate sit magis necessarius? Sanè admodum difficile est, rem scholasticis distinctionibus expedire, cùm videatur ita unum alteri connexum, ut neutrum separatim stare possit. Nam & Aristoteles prudenter observavit, maneat civitas vel non maneat, in ejus potestate situm esse, cui arma tractandi facultas est. *Et militarem prudentiam ante omnia necessariam Principi* Lipsius (*a*) asseruit, *adeò ut sine ea vix Princeps, quomodo enim aliter se tueatur, suos ac suos.* In alteram verò partem citatur illud apud Ciceronem, (*b*) *justitia fruendæ causâ olim benè moratos Reges constitutos & tantam esse justitiæ vim, ut ne ii quidem, qui scelere aut maleficio pascuntur, possint sine ulla particula justitiæ vivere.* Quibus adstipulatur Xenophon, (*c*) dum scribit, Ἐγὼ δὲ οὐδὲν νομίζω ἀνδρεῖ, ἄλλως δὲ καὶ ἄρχοντι κάλλιον εἶναι κτῆμα, οὐδὲ λαμπρότερον ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης. Pro conciliandis tam diversis opinionibus notandum est, universale Reip. regimen, quod in omnes

(*a*) V. Polit.
(*b*) 2. Off.
(*c*) De Exped. Cyr. l. 7.

omnes & singulos se extendit, in duobus potissimum functionibus occupatum esse, tum quæ in Civitate, tum quæ extra eam disponit. In civitate ordinat universaliter divina & humana; Ad divina pertinent cultus ferè religionis, & in externis quædam libera dispositio, Academiarum & Scholarum institutio, & cætera; Ad humana verò leges illæ & provisiones generales, quæ magis totam universitatem quàm singulorum commodum respicere videntur. Extra civitatem negotia vel pacifico vel hostili animo expediuntur, quo pertinet belli pacisque arbitrium, induciarum & fœderum fides. Quæ itaque in nostræ Civitatis limitibus cum civibus nobis res est, his sine dubio leges & jura sufficiunt. Neque ad rem facit, quod interdum tam fortis seditiosorum manus conspiret, ut si rei peragi debeant, armis vincendi sint; Rarò enim hoc & plerunque in corruptis Rebusp. usu venire solet, ubi bonum noxiumque pari incertitudine fluctuat. At verò extranei civilia jura parum suspiciunt, ideoque contra eos fortioribus remediis utendum est, qui morali honestate & communi gentium jure insuper habito *nunquam desunt alienæ libertatis raptores lupi.* Et quin in hac parte armata prudentia ociosas casuum juris disceptationes longè antecedat, quotidianus usus, & omnium historiarum concors lectio me dubitare non sinit. Δυοῖν γὰρ ὄντων, δι' ὧν εὔζηται πολίτευμα πᾶν, τῆς πρὸς τὰς πολεμίους ἀνδρείας, καὶ τῆς πρὸς τοὺς αὐτοὺς ὁμονοίας. (a) Alterum Cicero (b) adeò extollit, ut existimet, *virtutem milita-*

(a) Polyb.

(b) Pro Muren.

militarem cæteris omnibus præstare, quoniam *patria, libertas, cives atque adeò ipsi Reges latent in tutelæ ac præsidio bellicæ virtutis.* (a) Equidem video Ludwel. (b) pro legibus pronuntiantem, *tum quod hæ absolutè sint necessariæ, tum quod arma quoque & bella ad pacem tanquam finem præstantiorem tendant.* Sed vellem firmioribus argumentis ostendisset, cur ad totam civilis vitæ machinam rectè promovendam magis absolutè leges necessariæ sint, quàm bellica virtus. Si enim hoc vult, quod ne momento quidem sine usu legum Resp. gubernari possit, parata est responsio, hoc respectu ad cives habito saltem verum esse. In extraneos verò Reges gentesque leges nostræ exiguam aut sanè nullam omninò vim exerere valent, quare nec quoad omnia civilia munia absolutè leges necessariæ erunt, quia necessariæ non sunt ad ea, quæ gerimus cum exteris; Et profectò quàm absolutè necessariæ sunt leges in pace & inter cives, tam absolutè necessarius est Martialis vigor in bello & inter hostes. Nec continuò sequitur, bellum pacis causa suscipiendum est, ergo etiam leges sunt præstantiores armis. Quamvis enim in pace jura justitiæque partes superiores sint, neque tamen ideò pax jus erit, neque ulla consequentia inde deduci poterit. Ideoque utrumque æquè absolutè necessarium, æquè eximium, & neutrum altero præstantius esse statuimus.

Non minore religione.] Add. h. Dn. Ziegl. Non puto tamen *victoras etiam cum damno rerum*

(a) Lipsi. V. Polit.
(b) Dissert. Inst. 1. thes. 2.

rum fortunæ acceptare transactionis conditiones teneri, ſiquidem bellum juſtum gerunt, quod omninò præſupponendum eſt: quo caſu ſalvâ conſcientiâ usque ad pleniſſimam ſatisfactionem ſibi jus dicere poterit, qui Superior eſt. Imputet enim ſibi adverſa pars, quod primum injurias inferendo, poſt juſtitiam denegando in has neceſſitates ſe præcipitaverit. Ipſe Zieglerus infrà multò ampliorem vindictam concedit, ut etiam ex juſto timore victor ſibi ultra debiti quoque modum cautionem exigere poſſit: de quo ſuo loco videbimus.

Rarò eum ſoſpitem redire.] Prudenter Grotius nimis rigidam Euripidis interminationem vocabulo *rarò* temperavit; ita verò cenſuit Poëta,

εἰδὼς τραπέντας ἀδίκα σὺς ἥλθειν πάλιν;

qua limitatione intelligenda etiam ſunt, quæ paulò ſuprà ex Iſocrate adduximus, ad annotationem verborum, *Proborum conſenſus.*

Proſperi ſucceſſus.] Sæpiſſime eventus juſtiſſimæ cauſæ non correſpondent, quoniam in rebus & actionibus moralibus multiplex varietas & aberrantia occurrere poteſt, quæ ſperatos ſucceſſus impediunt. Neque enim in his contingentibus certitudinem mathematicam invenies.

Ad amicitias conciliandas.] Nullum ferè inter Europeas poteſtates bellum geritur, ubi non ingenti ſcriptorum acie utraque pars velut præludium belli faciendo ſuam juſtitiæ cauſam agit, antequam ad apertas injurias meditata violentia erumpat, aut verò ſi jam eruperit, quin iisdem

scriptis facti invidiam excusare soleat, nullo alio fine, quàm quod quilibet suam conscientiam aliis approbare, & exinde communem auram captare velint. Illi quoque, qui palam magnorum latronum more agere putantur, omnem lapidem movent, quo suis improbis cupiditatibus sanctissimæ justitiæ velo fucum faciant. Idque diligenter negotia orbis Christiani observantem latere non potest. Etenim ut rectè judicat Grotius, *ad amicitias conciliandas multum valet opinio de bello non temerè nec injustè suscepto, pièq; gesto, quia nemo iis se facilè adjungit, quibus jus, fas, fidem, vilia putat.*

Vel barbaris gentibus pudendam.] Pleni sunt querelis omnium bonorum libri de hac luxuriantis militiæ licentia, ut actum agere videri possem, si copiosos Commentarios facerem. *Vid. Lipsi. 5. Polit. 8. & Guicciard. l. 6.* Annotat etiam Machiavellus *in Discurs. supr. Liv. l. 2. c. 9.* solitam hodiernis Principibus calliditatem eludendi conventiones & fœdera, quibus sibi invicem obligantur. *Perche se io voglio*, inquit, *fare guerra con un Principe, & infra noi siano fermi capitoli per un gran tempo osservati, con altra justificatione & con altro colore assalterò io un suo amico, che lui proprio, sapendo massime, che nello assaltare lo amico o é si risentirà, & jo harò lo intento mio di fargli guerra, o non si risentendo si scoprirà la debolezza o la infedelità sua, di non diffendere un suo raccommadato, & l'una & l'altra di queste due cose è per torgli riputatione & per fare piu facilè i di segni miei.* i. e. *Quotiescunque mihi impetus est bellum inferre*

Digitized by Google

ferre Principi, cum quo mihi jam à multis retro annis amicitia est, sub colore alio amicum ejus potiùs quàm ipsum bello petam, hac certa fiducia, illum amici sui defensionem susceptum, & habebo, quod volo. Quod si verò omissa amici defensione quieverit, perfidiæ reus imbecillitatem suam simul prodit, quòd noluerit aut non potuerit defendere eum, qui in ipsius cluentela est. Utrumq; autem intentionem meam cum detrimento auctoritatis Principis facilitare potest.

Adjuvare volui.] Quantam lucem & masculum robur jurisprudentia Romana ex principiis juris naturæ & gentium rectè intellectis capiat, dici non potest. Adeò ut in vastissimo juris oceano ubique eum hallucinari oporteat, qui tam fideli manuductione destitutus est. Omnes enim civiles leges ad hanc bonitatem moralem ceu lydium quendam lapidem severissimè probari debent, id quod qua ratione præstare is potest, cum quo extra Digesta & Codicem finium regundorum agitur? Ego sanè nunquam absolutum Jureconsultum existimaverim, qui informem juridicarum quæstionum farraginem in foro turpiter sæpius agitatarum, ad scrupulum enumerans & qualicunque pretio doctoralem dignitatem emercans in civium dissidiis suam voluptatem & divitias quærit. Vipereum hoc genus non nisi fovendis litibus in Rep. natum, & communi calamitate pingue ad Garamandas & Indos relegandum esset, si civitates à continuis vexationibus tandem respirare vellent. Absit tamen, ô absit, ut ego quippiam divi-

Digitized by Google

næ Jurisprudentiæ detractum velim: ignarus equidem non sum, quàm necessaria juris & justitiæ administratio in Rep. sit. Verùm Jureconsultum, qui immotam juris naturæ regulam ex principiis connatis & inde orientibus conclusis secundum affectus & attributa ritè noverit explicare, deinde jurium cum externis gentibus communium haud perfunctoriam sibi scientiam comparavit, denique etiam suæ civitatis leges atque instituta probè callet, nec tam suæ familiæ quàm omnium saluti consultum cupit, omni laude atque faustissimis acclamationibus prosequimur. Verùm alios declamatores & circumforaneos, qui jejuna suarum legum recitatione non possunt non Prætoris alicujus indignationem incurrere, ne quidem umbratilis perfecti JCti suspicio onerare debet. Cùm igitur notitiæ naturalis & gentium juris genuinæ jurisprudentiæ unica principia sint, meritò Grotius præclaro hoc opere tam illustrem scientiam adjuvare voluisse dicitur.

Ad gratiam consulentium.] Ineptiunt omnes, quicunque jus naturale ex JCtorum infinitis consiliis eruere volunt. Potiùs tam gratiosa opera ad moralem bonitatem judicari debent. *Ziegl. h.*

Tam.] Principia quidem naturalia certissima sunt, sed an semper talia in probationibus adhibeat Grotius, vix quisquam dicet. De privata vindicta & mendacio, quæ *Dn. Ziegl.* objicit, suis locis videbimus.

Per se patent.] Haud rarò tamen accidit, ut noster intellectus prava educatione & pessimis

mis aliorum exemplis longa consuetudine adultis præoccupatus lucem horum principiorum caligantibus oculis non satis aspicere possit. *Ziegl. ad h. l.*

Ad causam universalem.] Non tamen continuò Romanorum aut Græcorum scriptorum in sui seculi moribus consensus causam aliquam universalem indicare debet. Siquidem isti populi haud longa terrarum intercapedine à se invicem discreti ex perpetuo commerciorum usu, belli pacisque publicis negotiis & vitæ quadam atque morum convenientia facilè in quasdam conditiones tacito consensu transire potuerunt, quæ tamen nec universale gentium jus arguunt, nec alias gentes obligant, nisi in quantum & ab iis talia recepta sunt.

Quod enim ex certis principiis.] Concedi hoc Grotio non debet; Jus enim gentium, quod propriè & strictè tale est, non minùs quàm jus naturæ, ex certissimis principiis certa argumentatione deduci potest, cùm nihil aliud sit, quàm quædam conclusiones ex principiis naturalibus deductæ, & societati civili applicatæ. Suo modo intellectum, verissimum est, quod quidam vir illustris in hoc argumento scripsit. *Quatenus lex naturæ refertur ad naturam rationalem per se consideratam, communiter solet appellari jus naturale, quatenus autem refertur ad naturam rationalem in societate civili & Rep. constitutam, JUS GENTIUM vocatur.* Nos quoque iterati promissi memores pleniùs infrà rem discutiemus. Solent tamen interdum inter populos aliquos ob mutuas commoditates

Digitized by Google

jura quædam consensu nasci, quæ impropriè jus gentium vocantur, quia inter plures gentes observantur. Sed hæc nec alios sine adhibito consensu obligant, nec propriè jus gentium sunt.

Effectum quendam externum.] Vide hujus generis perquam multa *in l. 3. c. 4. 5. 6. & c. c. 10. & seq. temperata.*

Non in tyrannidem abiisset.] Vide querelas hac de re Viri Clariss. *Joh. Frider. Horn. ad part. Arch. de Civit. in præfat.*

In nullius Philosophorum sectam.] Quicquid igitur vel Pythagoras, vel Socrates, vel Plato, vel Aristoteles, vel Seneca, vel Epictetus &c. censuerunt, si rectæ rationi consentanea dixerunt, sequimur sententiam propter veritatem non Authorem. *Conf. Hornej. Doctr. mor. l. 2. c. 2. thes. 11.*

In mediocritate affectuum.] Mirari subit, cur in unius Aristotelis gratiam morum Doctores tam obscurè loqui præoptent, ut virtutem in mediocritate positam esse doceant, cùm, ipsis fatentibus, illud in mediocritate positum esse nihil aliud quàm congruentiam actionum moralium cum recta ratione denotet, quæ certè loquendi formula multò venustior, multò etiam expeditior atque verior est. Hornejus in doctrina morali (*a*) rectissimè scripsit; *Virtutem esse habitum eligendi quæ bona sunt; bonum autem esse illud tantùm, quod rectæ rationi & lumini naturæ ac honestati congruit.* Hæc jam per se satis perspicua sunt, ut cuivis repurgatum cerebrum habenti sine multo scrupulo probabuntur. Quor-

(*a*) L. 3. c. 1. thes. 16.

Quorsum ergo pertinet sententiam ex se claram tam obscura & incerta declaratione inundare. *Vitam nostram tum demum congruere rectæ rationi, cum voluntas & appetitus omnes & ejus motus ita ab illa in officio continentur, ut nec in excessu nec in defectu peccent*, i. e. ut in mediocritate omnes actiones morales & affectus consistant. Et deinde ob unum & alterum, quod huic mediocritati objici poterat, obscuriorem excogitare distinctionem *inter mediocritatem rationis & rei*. Sanè enim aut satis perspicua est loquendi ratio, quâ virtutis formale dicitur convenientia cum recta ratione, aut hoc obscurum per multò magis obscurius explicabitur, cùm citius dixerint scriptores, virtutem in mediocritate sitam esse, quàm ut ostendere unquam possint, in quantum & quousque hæc mediocritas suis finibus circumscribatur. Deinde neque mediocritas illa omni virtuti congruere videtur. Si enim, ut hîc rectè Grotius urget, quidam affectus sunt, in quibus recta ratio modum sequendum dictitat, in quibusdam ad summa incitat, prioribus quidem videtur aliqualis mediocritas inesse, posterioribus verò nullus unquam terminus est positus, quem transcendendo in excessu possint peccare. Sic veritatem in medio jactantiæ & dissimulationis positam esse ille credat, qui in rebus paulò abstrusioribus censorio judicio non utitur, sed perfunctoria diligentia externum corticem quærendo in interiora non penetrat. Jactantia enim, sive, quod idem est, mendacium non excedit in dicendo veritatem, sed planè circa veritatis contrarium occupatum est, sc. fal-

sum. Jam verò nimis verum dicere & falsum dicere, toto cœlo differre, quis est, qui non videat. In vero enim dicendo nemo unquam peccare poterit, quousque veritatis inhæret vestigiis, multò minùs affectus verum dicendi, quantumque maxumus in vitio ponendus est. Dissimulationem quod concernit, intelligenda hic ea est, quæ vitium morale involvit. Et sic rursus referenda ad mendacium, sed lenius atque tolerabilius. *Jam si veritas medium esset inter duo extrema*, (ut rectissimè colligit Dn. Ziegl. h.) *in defectu & excessu peccantia, excessus erit, si quis nimiùm verax fuerit, non si mentiatur. At quia veritas tantùm unica est, & de hoc dubitari poterit, num excessivè quis verax esse possit, & de illo, num propterea reprehendi debeat; Inter mendaces autem, quorum alter in excessu, alter in defectu peccat, medius est ille, non qui veritatem dicit, sed qui mediocriter mentitur.* Idem etiam sit de temperantia, magnanimitate & mansuetudine judicium. Contemptus enim voluptatum atque honorum, ut & iræ adversus homines vacuitas, vitia moralia non sint, quoniam nullam cum lege naturæ ponunt discrepantiam. Manifestissima autem res fit, quando ad justitiæ opposita solerti indagatione perveniturr; quæ, quoniam affectus humanos à sua mediocritate declinantes ita corrumpere non poterant, ut quis nimiùm justus in excessu dicendus foret, in rebus ipsis Philosophus quæsivit, quatenus plus vel minus tribuitur; id quod tamen nec quadrare satis videtur. Nam minus quidem æquo sibi aliquis tribuere potest, id verò justi-

juſtitiæ non repugnat, quæ quanta eſt, conſiſtit in ordine ad alterum, ſive in abſtinentia alieni. Et quatenus injuſtus quis dicitur reſpectu ſui, abuſivus loquendi modus juſtitiam à genuino & connato ſenſu deduxit. Sicut pluribus perſequitur Grotius, qui ſanè non contemnendam operam in hoc argumento collocavit, & hæc una pagina plus ſolidioris continet Philoſophiæ, quàm interdum ſuo pondere nutantia ſcripturientium volumina. Ipſi etiam Authores virtutem in mediocritate quærentes, quando ad juſtitiam perveniunt, non ſatis ſibi conſtant, multis unicum juſtitiæ vitium excedens opponentibus, & unà deſtruentibus generalem virtutis formalitatem. Aut enim juſtitia virtus non eſt, aut in mediocritate conſiſtere debet. Nullus verò hactenus repertus eſt, qui juſtitiam ex virtutum numero eliminandam cenſuit, neque, ſi quispiam extitiſſet, tam abſurda opinio ulla refutatione digna foret. Qui rem attentiùs conſiderare volunt, invenient, quàm bellè ex juſtitia, imprimis univerſali, vera virtutis forma erui poſſit. Notiſſimum eſt, omnem juſtitiam præcedere aliquod jus ceu normam, ad quam illa dirigitur. Jam verò juſtitiæ univerſalis, in complexu omnium virtutum conſiſtentis, normam quam aliam quæſo faciemus, niſi jus illud naturæ, ſive rectam rationem? Nunc ſpontanea ſequela ſine operoſa argumentatione quivis colligit, ſi juſtitiæ univerſalis, quæ omnes virtutes eminenti compendio complectitur, norma non alia eſt, quàm recta ratio, cæterarum quoque perpetuam eſſentiam & formalem regulam in eadem recta ratione

quærendam esse, quicquid de medio, excessu vel defectu alii disputent.

In unam compingeret.] Liberalitatem atque parsimoniam duas distinctas virtutes esse, ex contrariis, quæ illas respiciunt, actionibus ad oculum patet. *Illa enim in dando consistit, hæc in erogando, illa donationem denotat, hæc impensas. Ziegl. h.l.* Ipsa quoque nomina diversitatem satis videntur ostendere, & vel dubitantes mendicos rogare debent, quam virtutem in hominibus præferant, liberalitatem an parsimoniam.

Nam Deum nimiùm colere non possumus.] Ex numero virtutum moralium plerique Ethici pietatem ejecerunt. *Aut enim*, inquiunt, *intelligitur per pietatem amor erga parentes, & propinquos, aut cultus nominis divini. Si illud, non est virtus, sed affectus bonus, à natura enim inest. Sin hoc, non est virtus civilis, sed Theologica. Quomodo enim Deus rectè colatur, natura Duce cognosci nequit.* (a) Sed non deest, quod ad hoc possit retorqueri. Primò videndum, an definitio virtutis pietati competat; Nam si pietas est habitus quidam animi, consistens in convenientia cum recta ratione, eam virtutem esse nemo ibit inficias, qui sanus est. At verò illam habitum talem esse, itidem ex habitus definitione patet: qui est dispositio quædam rei supervenies, difficulter mobilis, secundùm quam res benè vel malè se habet. Pietas est animi nostri quædam dispositio, secundùm quam animus bene se habet in colendo Deo, quare etiam habitus erit

(a) Hornej. Doctr. mor. l. 3. c. 2. thes. ult.

erit moralis. Nec turbant, quæ ſuprà in contrarium adducta ſunt; Licet enim à natura nobis affectus quidam benevolens erga Parentes & propinquos ſit inſitus, ille nihilominus continua aſuefactione demum in habitum transire poteſt. Ipſe hujus ſententiæ author (*a*) pullulantia virtutum vel vitiorũ ſemina in natura humana reſidere alio loco ſtatuit, *quæ tamen aut fovere & alere, aut etiam induſtria & aſuefactione noſtra ſupprimere in noſtra poteſtate eſt.* Pari modo principium quoddã pietatis erga parentes nobis innatum eſt, id quod continuo exercitio in habitum & virtutem migrare debet. Nam connatus ille affectus quàm imbellis ſit ad regendos maleferiatos homines, vel quotidiana in parentes ingratitudo oſtendit. Deinceps ſi pietas pro cultu divino accipitur, multò magis virtus erit, quia quod recta ratio dictitat, Deum eſſe colendum, hæc uſu practico in habitum transfert, & ſic iterum eſt diſpoſitio animi noſtri conſtans, cum recta ratione conveniens, nec opus eſt Deum rectè colendi ſcientia, quam bene dicitur Theologia ſuppeditare, ſed ſufficit ad virtutem hanc civilem perpetua & conſtans voluntas colendi Deum, in quantum ex lumine naturæ nobis innotuit. Nam & gentilium virtutes, licet vera fide deſtituantur, Deo quodammodo gratas eſſe, à multis præſtantiſſimis Theologis traditur.

Sed quod perverſe.] Nimirum

Religentem oportet eſſe, religioſum nefas. (*b*)

Lactan-

(*a*) Hornej. l. 3. c. 1. theſ. 4. 5. Doctr. moral.
(*b*) A. Gell. 4 Noct. Att. 9.

Lactantius.] Refutat Hornejus (a) Lactantium, sed ita, ut sua responsione mediocritatem, quam tantopere adstruxerat, perdiderit. In illis enim rebus, quæ medium non admittunt, frustra mediocritatem quæsiveris. Et respectu habito ad aliquod medium imprudenter dicitur, *vel mediocriter latrocinio latari, mediocriter furari, modum excedere*, cum velim mihi dari, quando in his factis, quæ in puncto suo mala sunt, modus non excedatur: id quod dandum esset, si ubique mediocritas quædam inveniri posset.

Græca & Romana vetera.] Non tamen ex iis continuò universalis omnium gentium consensus probatur. *Vid. Ziegl. h. l.*

Aliquo modo inde probatur.] A posteriori sc. *Vid. Grot. l. 1. c. 1. thes. 12.*

Non est ut aliter probetur.] Jam suprà hoc Grotio non concessimus, nec concedendum est: quia non minùs ex naturalibus principiis juris gentium certitudo pendet, quàm ipsius juris naturalis.

Non tantum habent pondus.] Sæpius tamen in Poëtis morum & civilitatis eximia præcepta decerpere licet, sed cum judicio aliquo legendi erunt.

Ex Dei voluntate libera.] Præsertim quod leges forenses populo judaico datas attinet: hæ enim alium, quàm quibus datæ erant, obligabant neminem, sed simul cum interitu Reip. Judaicæ cessavere, nisi quatenus in una aut altera Rep. ex libero arbitrio receptæ sunt. Ceremoniales huc

(a) Doctr. mor. l. 3. c. 1. thes. ult.

huc non ſpectant, quoniam nihil aliud fuerunt, quàm myſtica ſimulacra, quæ venturum mundi Salvatorem reſpiciebant. Sed & Decalogus, licet præcepta juris naturalis contineat, multa habet ex libera Dei voluntate, præſertim in determinatione certæ alicujus pœnæ transgreſſoribus præfinitæ.

Argumentum inde rectè deducitur.] Conf. Grot. *l. 1. c. 1. theſ. 17.*

Jus Dei.] Sine comparatione enim majus ſummo Deo in homines tanquam ſuas creaturas jus competit, quàm hominibus inter ſe. Et non video, cur antequam Deus certis promiſſorum formulis ex liberrima voluntate ſe nobis obligavit, ipſi minùs in nos licuiſſet, quàm in cætera creata & beſtias, ita ut etiam quemlibet potuiſſet absque ullâ reſurrectionis ſpe redigere in nihilum. Ipſe Ziegl. qui hîc nobis adverſatur, de immortalitate animarum non ex lumine naturæ, ſed ſolo Dei verbo certò nobis conſtare ſuprà aſſeruit. At poſtquam benigniſſimo Numini placuit cum hominibus in ſalutare fœdus deſcendere, vi quidem ſui promiſſi nobiscum tam abſoluta poteſtate agere non vult. Nihilominus tamen rectè videtur ſentire Grotius, majus Deo jus in homines competere, quàm nobis in beſtias. Quæſo enim, quod nobis jus in bruta eſt, quod non Deo etiam ſit in nos ipſos? Evocat nos ex hac vita, quando ipſi libuerit, ſine ullo ætatis, divitiarum, pietatis aut poteſtatis diſcrimine, vel celeri vel lenta morte, vel ſine vel cum intolerabilibus doloribus. Et licet interdum peccatoribus quibusdam ſatis amplum ad reſipiſcen-

piscendum spatium indulgeat, alios tamen in ipso flagitio perdit, neque quisquam ei dicere potest, quid facis? Sed nec actiones divinæ semper ab hominibus in exemplum & imitamentum trahendæ sunt. Sæpius causas eorum & sanctissimam voluntatem ignorare possumus. Injustissimus esset secularis Judex, qui parentum delicta & liberis imputaret, id quod tamen à justissimo Deo aliquoties factum legimus. Non adducam hic iratam interminationem, qua parentum peccata se vindicaturum in quartam usque progeniem pronunciat, quoniam id à nostris Theologis sub conditione tacita exauditur, quatenus & ipsi impii sunt. Mo. is ad rem faciunt bella illa Dei, quæ per servos suos Israelitas contra Cananitas gerere voluit; Ibi non uno loco cum adultis ignorantissimos, nostrisque oculis insontissimos infantes occisos leges. Sed execrabile & infandum est, nec simplici infamiæ nota à scriptoribus castigatur, quoties aliæ potestates, quæ bellis inter se ardent, in urbium expugnationibus nullam sexus ætatisque commiserationem habent. Observavimus præterea in sacris Bibliis, cùm exercitus Israeliticus in obsidione munitissimæ urbis, Jercho, hæreret, & præsentissimum Dei auxilium expectaret, Deum interdixisse militibus, ne quicquam ex præda sibi caperent, sed omnia tanquam devota ac sacra flammis ferroque consumerent. Id quia non satis ab Achane, milite gregario observatum erat, justit Deus tam nefario crimine reum sceleris atrocitatem non suo solùm supplicio expiare, sed insuper uxorem liberosque ejus flammis tradi.

Justissi-

Digitized by Google

Justissimum hoc judicium propter Authorem dicimus, seculari judici tam insolenter pronuncianti vix par pœna sufficeret. Scilicet, ut dixi, causæ nos & voluntatis divinæ sanctissimæ rationes latent, actio verò vel propter solum agentem justa est. *In iis*, ait paulò infrà Dn. Ziegl. (a) *quæ à mera Dei voluntate proficiscuntur, non licet à similibus ad similia procedere. Inter homines strictè explicandum est mandatum mandantis, quantò magis mandatum divinum, præsertim in iis, quæ sanguinem hominis concernunt.*

Majorem nobis sanctimoniam præcipi.] Rectè, idque vel sola, quæ Christianos decet, charitas docet; Hæc à jure naturæ major non exigitur, quàm quæ conservando humanæ societatis appetitui congruit, non ut etiam cum detrimento nostro damna ab aliis data & injurias perferamus, quas vindicare sine læsione illius appetitus socialis possumus: id quod non uno loco observatum est à Grotio. *Vid. L. 2. c. 1. ubi in necessaria vita rerumque defensione charitatem & jus illud strictum sollicitè distinguit.*

Definire voluit.] In tantum, ut Bartolus hæreticum ausus sit pronunciare, qui negat Imperatori Romano etiam in remotissimos & incognitos hactenus populos jus imperandi competere. Grot. infr. *l. 2. c. 22. thes. 18.*

Scholasticam subtilitatem.] Sophistas illos & aculeones facetè describit Balsac. 6. Epistol. 17. *J'ay veu*, inquit, *cét homme, qui est tout arme de pointes, qui poursuit une proposition jusques*

(a) L. 1. c. 2, thes. 5.

jusques sur les dernieres bornes de la Logique, qui dans les plus paisibles conversations ne veut rien debiter ny rien recevoir, qui ne soit dilemme ou Syllogisme; Pour vous dire franchement ce que j'en pense, s'il avoit moins de raison, il me plairoit beaucoup dávantage, & cette eloquence querelleuse m'estonne plus, q'elle ne me persuade. Ceux qui sont d' ordinaire aupres de luy courent a mon advis la mesme fortune, que ceux qui sont proches des emboucheures du Nil. Il n' est point des desbordement pareil a celuy de ses paroles, on ne luy donne point audience impunement, & un mal de teste de trois jours est le mieux, qui puisse arriver, a quiconque l'escoute une apres-disnée. i. e. *Vidi hominem, qui totus aculeatus est, qui persequitur propositionem ad intima usque Logicæ viscera, qui in familiarissimis etiam colloquiis nihil vel dicere vel accipere vult, nisi dilemma aut syllogismum; Ut dicam, quod sentio. Si haberet minus rationis, mihi utique probaretur magis. Et hac querula eloquentia magis me terret, quàm ut persuadeat. Hi, qui continuò cum accolis ostiorum Nili eadem, in eo quidem judicio, periculà sustinent. Neque enim ulla inundatio major quàm suorum verborum esse potest. Nemo ipsi impunè auscultat, satiusq; est, continuos tres dies capitis dolore affici, quàm vel semel post prandium loquentem audire.*

Specialem politicam.] Sejungit hic Grotius à politica prudentia juris scientiam, quod illa occupata sit circa utilitatis quæstionem, hæc de jure & justitia inquirat: sed videtur sic doctrina civilis angustioribus limitibus circumscribi, quàm

quàm ut auguſtum ſuum ſplendorem ſatis tueri queat, ſi à præcipua parte excluditur, quæ omnibus publicis actionibus decus & æquitatem affundit. Ariſt. quoque prudentiam, quæ circa civitatem eſt, aliam Architectonicam, ſive nomotheticam, aliam conſultatoriam, aliam denique judiciariam facit, non obſcurè domeſticam juris ſedem in hoc habitu quærit. Politica enim nihil aliud eſt quàm civitatem regendi prudentia. Civitatis autem regimen feliciter procedit, ſi cum exactiſſima Reip. cognitione legitimam univerſi in actum deductam gubernationem conjunxeris. Quæ potiſſimùm in duobus conſiſtit: ut & conſilia ad ſalutem totius civitatis inſtituta rectè applicentur, & jura legesque pro conditione naturaque cujusque Reip. ferantur. Quæ ſanè pars non contemnendam vim & excellentiam habet, cùm ejus tanta neceſſitas ſit, ut ne ii quidem, qui ſcelere paſcuntur, ſine aliqua particula juſtitiæ vivere poſſint. Ex quibus pendet quæſtionis vulgatæ deciſio, quatenus politica & jurisprudentia ſe invicem præſtant. Illius enim in ſuo auguſtiſſimo ambitu conſideratæ hæc quædam famula eſt, quæ ſuo officio à politica ſibi concredito ſtrenuè fungitur, & leges à majeſtate, conſultatrice virtute feliciter cooperante, latas perſonis rebusque applicat, actiones legitimis formularum ſolennitatibus includit, & ita jus ſuum cuique tribuit. Hujus prudentiæ interpretes & quaſi viva vox cùm ſint JCti, meritò domeſtica dignitate contenti abſoluti politici nomen ne affectent, qui & in judiciaria parte non niſi aliquam particulam obtinent, eam ſcilicet,

quæ in jure dextrè explicando & applicando conſiſtit; ad legislatoriam verò prudentiam & eam, quæ jus latum exequitur, non aſcendunt, quâ JCti, ſed vel majeſtati in ferendis legibus adſiſtunt, & ſunt Conſiliarii, vel judicant de controverſiis cum poteſtate eas decidendi & exequendi, & in Judices abeunt. Nec officit, quòd ad legum eruditam interpretationem requiratur pleniſſima omnis juris ſcientia, ut non minùs quis noverit, quæ leges cuique Reip. ſalutares ſint, & qui modus in earum executione tenendus, quàm qua ratione eas interpretari conveniat. Quamvis enim hæc JCtum perficiant, dum tamen in jure interpretando & applicando occupatus eſt, quod ejus officium proprium, neque leges ferre, neque illarum vim & juſſa exequi videtur. *Ita ſentit nobiscum famigeratiſſ. JCtus Bernh. Suth. 1. diſp. aph. 4. & Dn. Ziegl. ad h. l. Diſſ. nonnihil Hah. ad Weſ. de juſt. & jur. n. 14. obſerv. jus inquit. qui ſatis diffusè, ſed & confusè, hoc argumentum tractavit.*

Et jam nunc adeò.] Quin & nunc adeò, ſi quid in his obſervationibus pietati, ſi quid bonis moribus, ſi quid ſacris literis, ſi quid Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſui, ſi quid ulli veritati diſſentaneum à me dictum ſit, id nec dictum eſto.

OBSER-

OBSERVATIONES IN HUGONIS GROTII, DE JURE BELLI ET PACIS, LIBRI PRIMI

CAPUT I.

QUID BELLUM. QUID JUS.

§. 1.

Nondum coierunt.] Non satis convenit inter viros doctos, quo tempore primùm gentes esse ceperunt. *Gregorius Cedrenus*, & eum secutus *Joh. Frider. Hornius* ante diluvium neque gentem fuisse neque regnum autumant, quòd gens sit populus in Remp. concinnatus, istis autem temporibus nulla planè fuerit Resp. sed Patrumf. quilibet suæ imperaverit domui. Nos in re tam obscura nihil definire volumus, cùm gentilium scriptoribus tempora & res antediluvianæ planè fuerint incognitæ, & in sacris literis aut omninò nulla aut certè ambigua admodum conjectura capi possit, unde ad Remp. aliquam concludamus. Equidem Cainus urbem condidisse dicitur,

Digitized by Google

tur, sed hac posita non statim & regnum ponitur. Sed & hodiè evenire posset, ut multitudo aliqua sit, quæ tamen civili imperio non contineretur, ut fit in iis, qui in insulas hominibus vacuas fato suo delati se ipsos multiplicant, & interea familiarum Principes sunt, donec multitudo civitati sufficit.

Tum Reges ipsi.] Continetur hic enumeratio formarum Rerump. quòd vel Regum, vel Optimatum, vel populi auspiciis civilis gubernetur societas.

Bellum pacis causa suscipitur.] Cicero ait, *ita bellum suscipiatur, ut nihil aliud quàm pax quæsita videatur.* Et Sallustius: *Sapientes pacis causa bellum gerunt, & laborem spe ocii sustentant.* Quare rectissimè Aristoteles (*a*) culpat Lacedæmoniorum Remp. in qua πρὸς μέρος ἀρετῆς ἡ πᾶσα σύνταξις τῶν νόμων ἐστὶν, τοῦ πολεμικοῦ, *omnis legum publicus ordo ad partem virtutis, eam sc. quæ belli tractat negotia, se unicè refert.* Ratio non alia est, quàm quod omne bellum pacis quietisque causa debeat suscipi. Αὐτὴ γὰρ, (ait Philosophus, sc. ἀρετὴ πολεμικὴ) χρησίμη πρὸς τὸ κρατεῖν. τοῖς γὰρ ἓν ἴσως ζῶσιν μὴ πολεμοῦντες, ἀπόλλυνται δὲ ἄρξαντες, δῆλον τὸ μὴ ἐπίστασθαι σχολάζειν μηδὲ ἀσκηκέναι μηδεμίαν ἄσκησιν κυριωτέραν τῆς πολεμικῆς. *Hæc enim virtus bellica utilis quidem ad acquirendum. Quare salvi incolumesque fuerunt belligerantes, periere verò, postquam imperium adepti sunt, quia nesciebant otio uti, neque se exercuerant in ulla alia re magis quàm bellica.*

Unde non bellum oriri possit.] Existimat hîc

(*a*) 2. Polit. 7.

hîc Ziegl. Grotium priùs debuisse præmittere, quid fieri debeat, i.e. de partium reconciliatione, non quid fieri possit, i. e. de bello gerendo. Ego verò his verbis Grotium nihil aliud voluisse sentio, quàm ut doceret origines & causas, unde bellum possit oriri. Ad illud tamen priusquam perveniatur, omnem juris viam tentandam ipse non imo loco in hoc opere monuit: Et omnino illam juris disceptationem causæ parturientes bellum tempore & actu præcedere debent, quoniam frustra de hoc disceptaveris, quod nondum est in controversia.

§. 2. *Ita ut sit bellum.*] Joh. Frider. Horn. *de Civit.* definit bellum *dissidium populorum per vim concertantiũ, susceptum ad propulsandam aut vindicandam injuriam.* Cùm autem animadverteret, non omne bellum tale propositum habere, huic objectioni remedium quærit in verbis seq. quando dicit. *Finem & causam adjicimus, injuriæ propulsationem, non quòd omnia bella talia sint, sed videri velint. Litigaturis enim & belligeraturis nunquam prætextus desunt.* Sed plurima in historiis exempla occurrunt, ubi nec ad propulsandam nec vindicandam injuriam bellum susceptum, nec etiam partes tale quid semper prætenderunt. Jam suprà adduximus ex Tacito, quendam Legatum non multum de causis belli sollicitum satis ferociter dixisse, *sicut aërem & cælum omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris naturam aperuisse.* Luculentum autem est testimonium in Gallis illis, qui Romam urbem deleverant. Ad hos Clusium oppugnantes cum legati Roma-

ni veniſſent, quærentes *quodnam id jus eſſet, agrum à poſſeſſoribus petere, aut minari arma, esquid in Heiturin rei Gallis eſſet?* Hi *ferociter dicunt, ſe in armis jus ferre, & omnia fortium virorum eſſe.* Quaſi innuerent, ſe, ut viros fortes decet, non multum eſſe de belli jure ſollicitos, meliùs didiciſſe gerere bellum, quàm ignavorum more diſceptare de juſtitia, viſuros itaque, ut in quo jure ſint inferiores, fortitudine militari victores evadant. Ex quibus apertè conſtat, omnes populos propulſationem aut vindicationem injuriæ non obtendere, ſed non colorata violentia ſine ullo juris velo aliena rapere, neque tamen ideo minùs dici debent bellum gerere. Niſi quis vellet objicere, idipſum, quod non irruentibus ſtatim adverſa pars cedit, eos reputare pro injuria. Sed hoc nimis longè petitum eſt; Quare melior adhuc eſt Grotii definitio, utpote quæ omnia bellorum genera comprehendit, & rectè juſtitiam in bello definiendo non includit.

Nomen generis.] Ut in adoptione, actione, cognatione. *Vid Ziegl. h.*

Id, quod quæritur, ab eo, de quo quæritur.] Id eſt, diſtinguenda eſt juſtitia belli, quæ in bello quæritur, à bello, de quo quæritur, an aliquod ſit juſtum.

§. 3. *Eſt autem injuſtum.]* Meritò à Grotio hæc eſt adjecta explicatio. Nam non continuò, quod non eſt injuſtum, ut, edere, bibere, dormire, aliique actus indifferentes, id juſtum eſt: Sed ita demum, ſi ordinem & reſpectum ad alium includat. Quoniam enim omnis juſtitiæ eſſentia in abſtinentiâ alieni conſiſtit, idcirco

quic-

quicquid juris nomen meretur, ordinem ad alium ponere debet. Ubi tamen notandum eſt, ordinem ad alium capiendum eſſe non de partibus aut potentiis diverſis in uno ſuppoſito, ſive homine, ut Plato voluit, ſed de diverſis diſtinctisque ſubjectis. Conf. Horn. *Doctr. mor. l. 3. c. 11. theſ. 10.*

Deum & homines.] Bene hic declarat Ziegl. qua ratione ſit ſocietas quædam inter Deum hominesque. Scilicet *ratione ejus, quod naturaliter & ex ſe ante omnem volitionem divinam juſtum aut injuſtum, honeſtum aut turpe eſt.* Cicero *1. de Legib. Eſt igitur, quoniam nihil eſt ratione melius, eaq; in homine & in Deo, prima homini cum Deo rationis ſocietas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis eſt, quæ cùm ſit lex, lege quoque conſociati homines cum Diis putandi ſumus. Inter quos porrò eſt communio legis, inter eos communio juris eſt. Quibus autem hæc ſunt inter ſe communia, & civitatis ejusdem habendi ſunt.* Et *Joh. Frid. Horn. de Subj. jur. natural. c. 1. §. ult. Deo minores ut geremus nos, ex præſcripto pietatis tenemur. Cæterùm id ſine arrogatione ſummo tamen cum honore mortalium prædicamus, ſocietatem nobis cum Deo intercedere, dum in noſtris mentibus ſe ſanctitas divina effigiat.*

§. 4. *Eſt qualitas moralis.*] I. e. jus conſtitutum, à Magiſtratu alicui reddendum, ſive facultas alicui jure competens. *Hah. ad Weſ. de Juſt. & Jur. n. 14.*

Facultas.] Bene hîc Dn. Ziegl. *Facultatem*, inquit, *vocat, quando poſſum exigere id, quod*

mihi debetur, ideo nempe, quia mihi debetur. Aptitudinem autem, quando non possum ita exigere, dignus tamen invenior, cui præmium, e.gr. conferatur.

§. 5. *Nomine sui.*] Sufficienter Filiucius exponit, quid per τὸ suum intelligatur, i. e. tam jura in re, quàm ad rem, & tam contractus, quàm delicta. Hahnius (a) etiam more, ut solet, Philosophico, *videtur*, inquit, *illud revera nihil aliud esse quàm prælatio quædam moralis, quâ hic homo præfertur moraliter aliis quoad utilitatem talis rei, propter peculiarem connexionem, quam res ad eum habet atque ordinatur. Nam τὸ suum esse indicat quandam unionem moralem rei, quæ ipsi est cum persona, quæ suum dicit, unde & illa ipsi quodammodo devincta.* Optimè equidem, nisi etiam ad τὸ suum referret justitiam, ut audit, distributivam, in verb. paul. præc. *Debetur autem sic alicui, vel ut parti à parte, vel ut toti à parte, & vice versa. Cujusmodi sunt, quæ ex commutationibus, item onera, præmia, honores, in his enim posita est essentia juris sui, sive debiti.* Sine dubio tamen Grotius soli justitiæ commutativæ, sive, ut ipse ait, expletrici τὸ suum rectiùs attribuit, quia ad quam rem ego dignus invenior, in illa non continuò etiam prælationem quandam moralem habeo, ut necessarium sit, me præferri aliis quoad utilitatem talis rei. Nam & poterit alius æquè dignus occurrere, & videtur locus esse gratificationi faciendæ ab eo, qui communitati præest, *argum. l. ult. pr. ff. de relig.* vel forte res erit dirimenda. Et fac nemi-

(a) De J. & J. n. 10.

neminem te digniorem adesse, quod si tamen alicui magis indigno honores conferantur, non tam justum, quod non habes, læsum esse dici potest, quàm alterum neglexisse ea, quæ recta ratio & humanus intellectus facienda suggerebant. *Vid. Grot. in Proleg. & infr. l. 2. cap. 17. thes. 3.*

Potestas tum in se.] Quomodo quis potestatem in se habeat, exponit Dominus Ziegl. quatenus sc. quis est in nullius potestate, sed sui juris. Ipse Grotius *libertatem* appellat.

Tum in alios.] Rursus sine causa à Grotio discedit Hahn. d. l. quando jura personarum ad hanc moralem qualitatem pertinere non putat. *Ideoq; cùm hic*, ait, *de particulari justitiâ agatur, alterius loci sunt, & hic dimittimus jura personarum, mariti, item uxoris, quos inter & similes nulla propriè justitia est, quamvis actiones exinde oriantur, reliquis, quæ in personam vel rem sunt, assimiles. Eademq; ratio est debiti aliorum virtutum. Ita quòd pater teneatur liberos alere, filiam dotare, quòd liberi parentibus obedire, quod uxor viro, servus Domino parere, aut subditus superiori, id omne est non ex justitia aliqua particulari, sed titulo alio habetur, sc. ex pietate, honestate, ex superioritate, obedientia.* Verùm oppidò decipiuntur, quicunque cum eo sentiunt. Cùm enim τὸ *suum* nihil aliud quàm prælationem rei moralem sive facultatem potestatemq; ad aliquid justè habendum significet, quis τῶ κυρίω in subditum, domino in servum, patri in liberos, marito in uxorem talem qualitatem denegare poterit? cùm hæ personæ in usu

subditi, servi, filii & uxoris præ omnibus aliis illam prælationem moralem habeant. Et certè quomodo jus personarum ad justitiam pertinere non debet, cùm ipsum vocabulum *justum* involvat. Ipse Hahn. (*a*) jus personarum infr. describit, quòd sit *facultas sive potestas tributa homini ex conditione suæ personæ*. Actio itaque secundùm competentem illam facultatem instituta justa est. Præcedit autem non ex justitia universali, quæ in omnium virtutum complexu consistit, sed particulari, quatenus in rebus externis, sive bonis fortunæ, jure suo utitur. Nec ad rem facit, quod laudatus Hahn. hæc alio titulo superioritatis, obedientiæ, &c. haberi ait. Sicut enim actus unius virtutis aut vitii referri potest ad actum alterius, ut probat *Dn. Ziegl. ad Proleg. Grot. p. 25. & Hornej. Doctr. mor. l. 3. c. 11. thes. 6.* ita etiam nihil impedit, hanc facultatem duobus titulis præsertim subordinatis competere. Deinde, quia justitia tota in abstinentia alieni & tribuendo, quod cuique suum est, consistit, ille certè secundùm justitiam particularem agit, qui debita obedientia & honore superiores prosequitur, tribuit enim hoc modo id, quod superiori debetur, & abstinet ab alieno, obsequium suum non denegando. Quicunque verò refractarios & contumaces spiritus alit, omne obsequium & impositum rectè onus detrectando, hic eo ipso pluris est usurpator, dum in jura aliena involat, & ea ad se rapit, quæ sua nunquam fuerunt. Omnis autem pluris usurpator peccat contra justitiam expletricem, quare & hæc jura ad eam omninò pertinent. *Credi-*

(*a*) De Stat. homin. n. 1.

Creditum.] Observa ita sufficientissimam qualitatis hujus moralis perfectæ distributionem in tria capita, ad quæ, quicquid ad jus strictè dictum pertinet, revocari potest. 1. Potestatem tum in se, tum in alios. 2. Dominium plenum & minus pleno, i. e. dominium verum in re corporali consistens, & aliud jus in re constitutum. 3. Creditum, i. e. jus ad rem, sive obligationem.

Debitum.] Tam ex contractu, quàm delicto. Licet enim, ut quis ob delictum puniri possit, id ad hoc caput non pertineat, sed potiùs ad potestatem, quam exercet τὸ κύριον in subditos, vigore cujus delinquentes in leges & instituta publica coërcet; Quatenus tamen damnum passus legitimam facultatem habet petendi, ut sibi de injuria vel damno præstatione pecuniaria satisfiat, quod in plerisque delictis fit, hactenus hoc debitum quoque huc spectat.

§. 6. *Sub se habet.]* Adeò, ut hujus potestatis exercitium vel certis limitibus includere, vel planè ad se trahere & in subjecto proprio quoad actum primum extinguere possit. Id quod certè Regi non liceret, nisi majus & eminentius τῷ κυρίῳ imperium minora sub se comprehenderet & moderaretur. Ita nimis luxuriantem aliquando Romanorum tempore patriam potestatem, quæ parentibus in liberos jus vitæ necisque tribuebat, posteriores legislatores boni publici causa castigavere; scilicet institutis in Civitate judiciis & legitimo jus suum persequendi modo introducto, quilibet privatæ vindictæ, quam natura concedit, renunciasse videri debuit, ne ordinata civilis societatis structura

ctura seditiosis & improbis machinationibus solveretur. Ut frustra mihi Bodinus quærere videatur, an præstet tam amplam potestatem parentibus rursum concedere, quia boni civis est, se civitatis suæ institutis conformem facere, & haud dubiè jureconsultissimi viri jus æquius melius cuique dicunt, quàm iratus plerunque pater domesticis impeditus affectibus sibi ipsi tribueret.

Majus est dominium Regis.] Rectè ineptiunt omnes illi, & irrito labore lavant laterem, qui majestati dominium in bona subditorum eminens concedere nolunt. Quæso, quomodo is, qui pleniſſimum in personas subditorum imperium habet, non etiam in eorundem bona habebit dominium, cùm bona saltem sint accessorium personæ, & sequantur conditionem sui principalis? Quoniam verò in civili vita accuratior de dominio eminenti notitia singulari necessitate se commendat, non abs re erit, rem ipsam breviter secundùm fundamenta politica considerare: incipiamus autem à definitione. *Dominium eminens est summa in civitate potestas, perfectè disponendi de rebus privatorum.* Ex qua definitione clarum est, dominium eminens de natura & essentia veri dominii participare, nec *quamvis & communem ordinationem summæ potestatis animadverti, sed exerceri actus verissimo dominio debitos, ut inquit excellentiss. Dn. Bæcl. in disquis. de Dom. emin.* Quando enim in genere dominium est potestas perfectè disponendi de re corporali, eminens autem perfectissimè disponit, tutò concludimus, nequaquam illud ex dominiorum numero esse relegandum.

Dispo-

Disponit nimirum de rebus subditorum, eo ipso, quod singuli emendo, vendendo, donando partes suas agunt, quoniam præscripsit modos disponendi, quos si observant, valet actus, sin minus, ipso jure nihil egisse videntur. Non minùs Princeps censetur litigantium causas dirimere & disceptare, cùm judices ad id dati sententiam ferunt, quia illorum autoritas descendit ab imperante, ut etiam per appellationem & aliis modis non rarò revocetur. 2. Perfectè disponit, i. e. jus habet prælationis, ut ex natura dominii in dispositione & usu rei omnibus subditis præferatur, quod exinde patet, quia dispositio privatorum nihil valet sine illa, quàm Princeps exercet, hæc verò illi omnem substantiam & vim largiatur, eandemque possit planè evertere: Deinde exerit se illa prior dispositio in modis transferendi, acquirendi & amittendi dominii, quos majestas præscribit. Interdum planè novas formas & conditiones inducit, vel veteres ampliat, restringit, aliisque legibus includit. Non sine injuria Fridericus Imperator (*a*) peregrinantibus permisisset ab alieno agro, qui juxta viam est, licet nullam habeant servitutem, tantum pabuli sumere, quantum pascendo equo opus est, nisi superius disponendi jus in hæc bona habuissent: Et mendacissima esset Resp. quæ suæ rei cuilibet liberum arbitrium permittit, *l.* 21. *C. Mand.* prodigo deinde administrationem interdicit, nisi in usu rei omni tempore prælationem haberet. *Joh. Jodocus Felvingerus, senioris illius Politici Filius, J. U. Ddus* conscripsit non ita pridem in Universitate Alt-

(*a*) C. ult. 5. ult. 2. Feud. de Pac. tenend. & ej. viol.

Altorfina dissertationem juridico-politicam, ut vocat, de supereminente dominio; in definitione verò singulis ferè impingit lineolis. Neque enim potestas supereminens toto suo genere est potestas *extraordinaria*, quia & ordinarias in Rep. suas functiones habet, id quod non solùm actus privatorum, qui ex dominio privato resultant, & ab hoc superiori procedunt atque informantur, sicut paulò suprà explicavimus, ostendunt, sed & tributa, quæ & ipse Felvingerus refert ad hoc dominium, *thes.* 37. Quid magis in Rep. ordinarium est, quàm exactio tributorum? quæ omni tempore rato statoque ordine progrediuntur, & tamen qua ratione circa illa potestas extraordinaria dominii eminentis se exerit? quare non erit toto suo genere extraordinaria potestas. Neque Resp. hanc potestatem *jure gentium* habet, quia ex majestate profluit, cujus jus & particula quædam est. Non potest aliqua res originariè habere duas causas efficientes; Dominium autem eminens est actus quidam & efficacia majestatis, quare juris gentium esse nequit. Ad jus gentium spectant actus illi publici, qui gentibus, qua gens sunt, intercedunt. Dominium autem eminens non circa gentes populosque exteros, sed subditos versatur, ideoque ad jus gentium non pertinet. Neque habet illam potestatem Resp. *in cives*, quia dominium eminens sola bona, non etiam personas subditorum afficit, quibus imperium in personam destinatum est. Quod etiam Felvingerus *thes.* 9. vidit, ideoque tam indistinctè agere non debuisset, & quæ *thes.* 23. 24. 25. 26. proponit, tanquam ab

hoc

hoc argumento aliena, ad alium magis idoneum locum referre: imperium sc. in personam, quod toto objecto ab eminenti dominio aliud est. Neque semper ad exercitium eminentis dominii opus est *extrema necessitate urgente*; quia & actus quosdam in Rep. ordinarios habet, qui semper absque ulla extraordinaria necessitate continuo usu exercentur, sicut paulò antè diximus. Interdum quidem peculiaris requiritur necessitas, sed non semper. Id autem, quod interdum accidit, non est de universali rei alicujus formalitate, ac propterea neque definitionibus inserendum. Et hæc quidem de definitione. Cœterùm haud me latet, offendere quosdam vocabulum, qui nullum planè dominium majestati competere contendunt, ne jam nimis ambitiosæ potestati fomitem addant. Sed certè eorum rationes tanti non sunt, ut nos à sententia movere debeant, quam rationibus tam ex sacris literis, quàm ipsissima rei natura petitis non modò ex antiquioribus plurimi, sed & recentiores ferè omnes, qui in civili prudentia accuratè philosophantur, amplexi sunt. Ante omnes verò videndus est *Dn. Bæcl. in disquis. de Domin. emin. & Joh. Frider. Hornius de Civit. l. 2. c. 4.* qui posterior adeò totius negotii indolem & certitudinem adcuit, & respondit ad contraria argumenta, ut tam omnem dubitationem sustulerit, quàm aliis nihil quicquam præterea dicendi reliquerit, quod quidem ad rem pertineat, & non ab ipso dictum sit. Nam præter incommoda, quæ hanc doctrinam sequerentur, ferè aliud nihil ab adversariis adferri videas. Et tamen

non

non satis est cum Ziegl. dicere, *ambitiosum esse vocabulum dominii, idq; si Principi tribuendum fuerit, verendum, ut in officio semper continere possit ille, quantumvis optimus & integerrimus, quòd multa secum afferat ejusmodi fortuna, quæ à recto dimovere soleant. Ipsam vim imperii propter salutem publicam instituti sufficientem Principi titulum præbere urgente necessitate utendi bonis suorum subditorum, eò quòd omnia ea simul concessa intelligantur, sine quibus obtineri bonum commune non potest.* Equidem ipsum vocabulum *dominii* cur ambitiosius sit *imperio*, hucusque non inveni. Quod si tamen hoc volunt contrariæ opinionis propugnatores, quasi dominium eminens Principi largiatur potentiam subditum spoliandi bonis suis pro lubitu, id verò nullo modo concedendũ est, quippe quod non rapacem aliquam invasionem, sed superiorem & sublimiorem vulgari potestatem denotat, quæ privata dominia moderetur & defendat, nec nisi ex civili ratione ad se trahat. Nunquam juris antecessores proprietario in fundo, cujus ususfructus ad alium pertinet, dominium negavere, neque tamen ille usufructuarium pro arbitrio expellere potest. Et licet debitor rei, quam pignori dedit, verus dominus maneat, ipsi nihilominus non integrum est, quandocunque voluerit, creditorem spoliare securitate sua, cui creditum innititur. Quin potiùs si pignus fraudulenter ad se traxit contra creditoris voluntatem, furtum facit. Neque senior ex suo placito vasallum feudo exuet. Verendum igitur non est, ut imperans, *præsertim optimus*

& integerrimus propter hoc vocabulum semper in officio contineri possit : qui si velit subditos spoliare bonis, tam facili negotio imperii specie quàm dominii id perpetrabit, quoniam semper necessitatem fingere poterit,& *nunquam deerit lusciniola sua cantio.* Nam *semper in Principe cupido auri immensa obtentum habebit, quasi subsidium regno paretur.* Quid verò est illud *imperium*, quod Principi hanc actionem tribuit? Si generaliter majestatem intelligunt, verissimè quidem loquuntur, sed nondum genuinum atque proximum principium aperiunt. Particularis ille actus distinctus ab aliis à majestate procedit quidem, magis tamen domesticum fontem habet, qui deinde in majestatem resolvitur. Qui enim totam civilem potestatem allegant, eos rogarem, qualis sit illa, & quæ potestas, quæ propter imperium & majestatem Principi in singulorum bona conceditur? Pari modo omnia jura summæ potestatis à majestate deducerem, & relegato distincto singulorum conceptu in informe chaos confunderem. Alio sensu imperium se ad personas determinat, sed hîc applicatio deficit, cùm satis bona ab hominibus distinguantur. Singularis enim illa majestatis facultas objectum suum deserere & in aliud incongruum agere non potest, quòd singula circa propriam sibi rem versentur & potestas inferior non nisi ab analoga superiori suspendatur. Quippe hîc de occupatione bonorum privatorum quærimus, quo jure possint prioribus possessoribus adimi, & ad Remp. transferri: ideoque ut justa sit ablatio, ante omnia oportet privatorum dominia destrui, quod ab imperio

in personam fieri non potest, sed potestas ejusdem generis intercedere debet. Majestas quidem id præstat, sed per intermedium quoddam fundamentum, quod est dominium eminens. Qui uberiorem in hoc negotio cognitionem habere cupit, adeat modò laudatum Hornium, qui dominii eminentis causam ex fundamento egit. Ubi sanè quamplurima ad palatum, modò sapias, invenies. Neque verò hoc argumentum in legali doctrina contemnendum usum habet, sed multis difficultatibus occurrit, quibus Doctores non satis mederi videntur. Vulgaris est quæstio de jure venandi. An quod subditis jure gentium licitum est, potuerint Principes ad se trahere? Hîc præterquam quòd in vocabulo juris-gentium æquivocus sensus lateat, cùm jus venandi non rectè juris gentium dicatur, lis ex nostra disputatione de Principis dominio expedita est, quod cùm ipsi in omnes res, quæ suæ ditioni adjacent, competat, in ipsius arbitrio positum erit, cujus velit possessionem privatis relinquere, & quæ sibi reservare: imò quæ semel largitus est, bono publico rursus adimere potest. Qui in materia usucapionum versantur, varias rationes excogitant, ut juris naturalis effato satisfaciant, quod vetat quemquam cum alterius jactura locupletari. Plerique bonum publicum obtendunt. Sed ita confunditur impellens causa cum efficiente. Nam si dicitur propter bonum publicum priori domino res ejus auferri, adhuc supereſt quæstio, quæ igitur sit illa potestas, quam bonum publicum instigat. Nam si ordo civilis per se hoc operari posset, non opus

esset

esset majestate. Quod si verò ab hac ille dependeat, sine confusione motionem finis pro causâ effectrice venditare non debemus. Quod si solum bonum publicum esset causa efficiens hujus actionis, jam mirari quis posset, cur exercitium ad solum Principem, & non etiam alium civem spectet. Nam ob publicum bonum non ferè magis illius quàm hujus interest. Erit itaque adhuc aliquid præcipuum in Principe, unde ejusmodi habeat prærogativam, id verò est nihil aliud, quàm quod ex majestate profluit, dominium eminens: quod etiam *Dn. Hahn. ad Wes. de usurp. & usuc.* agnovit. Sunt & alia complura in Jurisprudentia Romana, quæ primâ facie iniquitatem habere & juri naturæ adversari videntur. Sed ex hoc principio feliciter explicantur, quæ nunc compendii causâ relinquo diligentiæ lectoris.

Magis obligatur quàm creditori.] Ambigua hæc verba sunt, & non simplicem sensum habent. Vel enim Grotius τὸ magis obligari intelligit de firmiori obligatione, vel de ea, quæ aliquam habet prælationem. Firmiùs aliquem obligari Reip. quàm creditori, quantum quidem contractus voluntarios attinet, vix dixerim, cùm voluntas utriusque obligationis causa sit, hâc saltem differentiâ, quòd τὸ κύριον potestate publica instructum possit civem cogere, cùm creditor debitorem juris viâ compellet. Quod si intelligit obligationem in prælatione fundatam, distinguerem ego inter creditorem, qui est concivis sui debitoris, & inter etim, qui alterius Reip. subditus est. τὸ κύριον sicut ipsum creditorem

posset usu & necessitate monente cogere vi dominii eminentis, ut proprias res bono publico contribuat, ita multò magis poterit exactionem debiti suspendere, ut debitor hoc sit opulentior, magisque sufficiens ad perferenda Reip. onera. Si extraneo debetur, vel bellum est cum ejus civitate aut alia justa causa negandi solutionem, & iterum præfertur Resp. vel nihil tale adest, quod satisfactionem creditoris impediat, & non puto, ob prætensam necessitatem creditorem invitum rectè carituram jure suo. Nisi fortè adeò inevitabilis adsit necessitas, ut ipsa Reip. salus in ejusmodi solutione sit periclitatura, in omnibus enim civium actionibus talis necessitatis casus exceptus præsumitur.

§. 7. *Aptitudinem.]* Est aptitudo qualitas sive facultas moralis, competens personæ ad aliquid justè agendum vel habendum, non quòd habeat in illa re jus strictè constitutum, sed quia dignus invenitur, cui tribuatur v. gr. præmium. Ipse quidem, si repudiatur, de jure suo læso queri non potest: at distribuens, si minùs dignum digniori præferat, non observasse existimatur, quæ recta ratio & honestas naturalis jubent. Adscribam locum Ciceronis, (*a*) ubi accuratè hoc vocabulum explicat; ita verò ille. *Æstimabile esse dicitur. Sic enim, ut opinor, appellamus ἀξιωτὸν, id quod aut ipsum secundùm naturam sit, aut tale quid efficiat, ut selectione dignum propterea sit, quòd aliquod pondus habeat dignum æstimatione, quam ille ἄξιον vocat.* Conf. & locum 1. *Offic.* quem propterea non apponimus, quia

(*a*) 3. de Fin.

quia Grotius in annot. ad h. c. §. 7. totum descripsit.

§. 8. *Justitia expletrix.*] Hæc justitia apud vulgus Ethicorum dicitur justitia commutativa, sicut attributrix distributiva.

Non est ἐν συναλλάγμασι.] Excusat Aristotelem Ziegl. quòd, cùm aliud vocabulum non habuerit, *quo res simul omnes ad justitiam commutativam pertinentes complecteretur, maluerit huic tam latam significationem conferre, quàm iterata rerum coacervatione auditoribus fastidium creare.* Sed annon & aliud commodius vocabulum adest, quo etiam usus fuit Aristoteles, dum illam justitiam ἐπανορθωτικὴν dixit?

Comes earum virtutum.] I. e. qui liberalitatem & misericordiam exercere cupit, ut id ritè & ex ordine faciat, justitia attributrix ipsi modum docet. Ut scilicet det beneficium non indistinctim omnibus, nec omnibus misereatur, sed quibus maximè convenit, h. e. qui beneficentia & misericordia digni sunt, pauperibus sc. aliisque benefactoribus, miseris item ac oppressis. Non prodigis verò, neque contumacibus, & qui indignatione potiùs quàm humanitate persequendi sunt.

Quam διεστραμμένην.] Etiam hunc sanè non exiguum errorem servili superstitioni Aristotelis exhibitæ acceptum ferimus, dum vulgus Ethicorum quodlibet Philosophi commune & indifferens prædicatum continuò ad formalem rei essentiam refert. Viderat ille justitiam attributricem atque expletricem non uno modo jus suum cuique tribuere, ideoque similitudine quadam

dam uti voluit ex aliena scientia petita, ut rem quodammodo illustraret. Hac datâ occasione cæteri tot disputationibus & difficultatibus naturam utriusque justitiæ involverunt, ut satius sit omninò abstinere his vocabulis, quæ etiam per se non satis quadrare videntur, quàm continuis dubiis & incertitudine torqueri. Primò enim satis absurdum est, res morales, quæ aliàs à rebus, quæ quantæ sunt, toto genere distant, velle intelligere & explicare ex illarum terminis, sicut & *ineptum est, conclusiones hujus disciplinæ ex principiis Physicis demonstrare.* Hoc telum cùm videret Hornejus, (a) sic eludere voluit. *Longè aliud esse terminos, quos una disciplina ex altera commodatò accipit, in illa obiter explicare, & rerum ipsarum demonstrationem confundere. Æqualitatem & proportionem in omni justitia requiri: aliam item competere proportionem justitiæ distributivæ, aliam commutativæ, & illi quidem solam Geometricam, huic solam Arithmeticam: conclusiones Ethicas esse, unde istarum veritatem ex suis principiis Ethicam docere. Sed quid & quotuplex sit proportio, quæ dicatur Geometrica, quæ Arithmetica, solam Matheseos tradere, quare etiam inde discì debere, an totuplex proportio sit, quotuplicem fecimus, & an ita quæq; earum describenda, sicut suprà nos descripsimus. Verùm quia Ethicus in rebus moralibus eatenus deprehendit simile quid in illis, quæ in rebus Mathematicis sunt, ut terminis inde desumptis explicare cogatur, terminorum illorum intellectum inde petere necesse esse.* Sed hæc ita demum

(a) De Doctr. mor. l. 3. c. 12. thes. 3.

demum vera essent, si & proportiones illæ, quas observat utraque justitia, per omnia similes essent proportionibus Mathematicis, & non multò clariùs atque expeditiùs æqualitates & proportiones morales terminis domesticis possent explicari. Tum demum scilicet necesse foret, ad peregrinos habitus transitum facere, & exinde supplere, quod in tuo deficit. Si autem nec proportiones in Mathesi inventas rectè congruere moralibus demonstraverimus, & has propioribus vocabulis declaraverimus, neminem fore puto tam evirati cerebri, ut non remotis tenebris in luce cum Grotio ambulare malit, quàm in perpetua rerum caligine cum aliis offendere. Mathematici inter alia, quæ ad rectè instituendam proportionem faciunt, requirunt, ut quantitates, inter quas est proportio, sint ejusdem generis: hoc modo, ut conferatur linea cum linea, vel numerus cum numero, non verò linea cum numero, aut cum linea numerus. *Vid. Laurenb. Instit. Arithm. l. 3. prop. 1. n. 3.* Moralium Doctores proportionem faciunt conferendo non idem genus, sed personas cum rebus. Ita enim Hornejus. (*a*) *Sicut ad omnem proportionem quatuor termini requiruntur, ita etiam justitiam ad minimum in quatuor esse. Cùm omne justum sit minimum inter duas distinctas personas, omnis item æqualitas minimum rerum duarum.* Quid itaque mirum, si hæ proportiones per omnia non procedunt? Deinde, cùm omnis proportionalitas discreta debet esse minimum inter quatuor numeros, vel lineas, ita etiam omnis justitia

(*a*) d. c. thes. 14.

stitia minimum semper deberet consistere in quatuor. Hornejus id quidem requirit, sed sibi ipsi in exemplis sequentibus talem dedit objectionem, quam sufficienter solvisse non videtur. *Etsi enim*, ait, *in depositо, commodato & similibus contractibus res una videtur esse, duæ tamen sunt, cùm non tam spectetur id, quod deponitur aut commodatò datur, quàm lucrum & damnum, quod ex una illa re oriri potest.* Nemini injuriam facerem, si uterer tam familiari aliorum refugio, ut dicerem, omne lucrum & damnum semper evenire per accidens. Quam loquendi formulam adeò plerique imbiberunt, ut non sine causa illa responsio suspecta esse possit, in quo illud prolythrillaton invenitur, tanquam asylum improbæ & jejunæ causæ. Verùm benigniùs agam, & quæram, ubi inveniantur illæ duæ res, si, quod evenire potest, omne lucrum & damnum cesset? Ecce tibi depositum. Deposuit aliquis nulla necessitate cogente & sine ulla inde redundante utilitate ex mero lubitu: Depositarius custodiam, quam debebat, præstitit, re nec deteriore nec meliori reddita, eadem restituitur deponenti, quandocunque voluerit: cupio nunc scire, cùm ab utraque parte tam lucrum quàm damnum cessat, quomodo hæc proportio consistat in quatuor? Respondebunt suo more, hoc *per accidens* fieri. Dico ego, ergo nec per accidens quadrare proportionem in hoc casu. Licèt non videam, cur magis per accidens fiat, si lucrum & damnum cessat in depositо, quàm si adfuerit. Ulteriùs, si lucrum & damnum hîc pro rebus sunt, utique pro distinctis erunt, quoniam

distin-

distinctis subjectis sive personis competunt; his adnumera rem ipsam, invenies justitiam non in quatuor, sed quinque esse. Rursus in justitia distributiva semper duas res occurrere quis credet? Sit præfectura uni ex civibus committenda, secundùm justitiam distributivam dignissimus quærendus erit. Plures quidem personæ competitores sunt, una tamen saltem res est conferenda, ita ut videatur cum reliquis excepto concursu nullum planè negotium esse, cùm dignior minùs dignum, etiam antequam magistratum peteret, excludat. Et clarior casus fit, si fingamus, unum tantùm aptum esse ad munus publicum subeundum. An tunc alia quàm simplici commensione attributio fieret? Quod autem Hornejus dicit, in deposito non tam spectari id, quod deponitur, quàm lucrum & damnum, id oppidò falsum est. Quæso enim cur in contractu magis spectabitur id, quod eidem vel adesse vel ab eo abesse potest, & non potiùs illud, quod de essentia contractus est, semperque in illo versari debet? Re, quæ deponitur, formaliter depositum contrahi, quis est, qui nescit? modò sciat depositum contractum realem esse. Lucrum verò & damnum perfecto demum contractui accidunt, nec quicquam naturæ ejus seu perfectioni conferunt. Quî igitur fiet, ut contractus accidentia magis quàm ipsa formalitas spectetur? Denique, cùm proportio arithmetica sit, *cùm plures coordinantur numeri atque inter se conferuntur, inter quos eadem est excessus differentia, ut in 2. 4. 6. §. &c.* proportio Geometrica, *cùm servatur non eadem differentia aut idem*

excessus, sed eadem proportio multiplex, ut 2. 4. 8. 16. Ego sanè omnes ingenii mei nervos intendens videre non possum, utra proportio ab utra justitia magis observetur. Pone enim, in una communitate esse mille cives, quorum unus alteri eadem excessus differentia præstat, distribuendosque fore thaleros tot vel tot. Hac posita hypothesi, secundus primo, qui unum accepit, adhuc unum plus accipiet. Tertius unum plus secundo, quartus unum plus tertio, & sic deinceps. Annon est hæc exactissima proportio arithmetica in distributione observanda? Pone ulteriùs, plures cives invicem ita differre, ut alter alteri præstet duplo & adhuc triente, rursus alius undecuplo & sextante, &c. juxta hanc excessus præstantiam distribui bona debent: at quomodo jam proportione Geometrica procedi possit, cùm nullibi sit eadem proportio multiplex, me velim Hornejus doceat, & habebo ipsi gratiam. Probare ille vult proportionem Geometricam in justitia distributiva obtinere his rationibus. *Res omnes*, inquit, (a) *quæ in Rep. distribuuntur, ea aut bona sunt, aut mala. Bona præmia, mala onera. Utraq; autem sicut ad totam communitatem pertinent, ita etiam ad singulos cives eatenus tantùm spectant, quatenus ejus partes & membra aliqua sunt. Quicquid ergo præmii publico nomine confertur, id ut debetur cuiq; quatenus civis ejus Reip. est, ita etiam majus minúsve erit, prout majores aut minores in Rep. partes facit. Quia si debentur membris per totum, & quatenus constituunt illud.*

(a) d. l. thes. 5.

lud, tribuantur etiam ius oportet juxta proportionem, quam ad totum habent. Nulla ergo justa distributio præmiorum esse potest, nisi pro diversitate civium diversa sint præmia. Similis est ratio de oneribus. Cùm enim & ea pertineant ad totam Remp. imponenda itidem sunt civibus, prout eorum quisq; pars Reip. est. At non ex æquo omnes eam participant, quare nec onera ex æquo ferent. Hoc ergo pacto instituenda est distributio rerum, ut æqualitas & justitia observetur. Atq; hæc quidem non adeò malè; nisi quod de oneribus dicit, easque res malas vocat, quas inter cives distribui oporteat. Neque enim onera illa sunt res moraliter malæ, quod cuique patet, quia nullam habent discrepantiam cum recta ratione, neque etiam civiliter, quia non in damnum, sed utilitatem Reip. distribuuntur. Neque officit, quòd Cives, quibus imponuntur, incommodent, revera enim & morali æstimatione ad illos nihil incommodi redundat, sed saltem apparenter, quoniam si bono publico in universum bene est, diffunditur illa felicitas in singulos cives. Rep. verò pessundata, omnes etiam perire necesse est. Quare res malæ non sunt, quæ commodo Reip. cedunt, sed saltem ab imprudentibus ita æstimantur. Optimè Dn. Bœcl. judicavit, *onera utilitatis nomen & rationem induere, quando ad societatis civilis seu consociationis finem referuntur.* Sed in viam redeo. Cæteris igitur, ut dixi, non adeò contradico. Nunc autem tam mirabili & inaudita sequela reliqua infert, ut eam neque in ulla Logica unquam legerim, & ipse in sua omiserit. *Verum hæc æqua-*

litas,

litas, pergit, *vel nulla est, vel talis, qualis est in proportione Geometrica. Quemadmodum enim ista in eo posita est, ut sicut se habet numerus primus ad secundum, ita tertius se habet ad quartum. Sic aequalitas illa distributionis in eo consistit, ut sicut se habet persona civis unius ad personam alterius; ita etiam praemio unius respondeat praemium alterius. Et quemadmodum proportio Geometrica est, si quum, exempli causâ, secundus numerus duplo major est primo, etiam quartus duplo major tertio. Sic Geometrica quoque proportio est, si cùm meritum unius duplo majus est altero, etiam praemia unius duplo majora sint praemiis alterius.* Hæc non uno modo impingunt. Quæso, quo pacto sequitur, proportio, quam observat justitia attributrix, aut nulla est, aut Geometrica. Esto, quòd sit nulli proportioni similis, quæ est in Matheſi, annon poterit esse proportio quædam moralis, quam natura justitiæ distributivæ requirit? Verum est, proportionem Geometricam esse, quando se habet tertius numerus ad quartum, ut primus ad secundum, sed sequela ἀναλογίας infertur, cùm minus sit in conclusione, quàm fuit in præmissis. Non enim eodem planè modo se habet civis unius præmium ad præmium alterius, sicut se habent numeri, in proportione Geometrica, cùm illi cives possint alia diversa proportione differre. Tandem exemplum proportionis Geometricæ cum hypotheſi exempli proportionis moralis rectè se habet. Sed quid dicendum, si, quod ferè in omnibus Rebusp. usu venit, talis proportionis excessus non inveniatur? Quin ego constanter

ſtanter affirmaverim, ex quo orbis eſſe cepit, nullam extitiſſe communionem, in qua tam exacta proportione Geometrica, ut Hornejus vult, cives inter ſe convenerint, imò id impoſſibile eſſe, facilè ille mihi dabit, qui rerum contingentium naturam cum neceſſariarum linearum vel numerorum certitudine conferre vult. Sit nobis exempli loco, quod Livius de ejusmodi publica diſtributione notat. (*a*) Narrat enim Hiſtoricus, Servium Tullium Regem Romanorum *cenſum inſtituiſſe, rem ſaluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli pacique munia non viritim, ut antè, ſed pro habitu pecuniarum fierent, tum claſſes centuriasque & hunc ordinem ex cenſu deſcripſiſſe vel paci decorum vel bello. Ex iis, qui centum millium aris aut majorem cenſum habebant, LXXX. confeciſſe centurias, quadragenas ſeniorum ac juniorum. Prima claſſis omnes appellati. Seniores ad urbis cuſtodiam ut præſtò eſſent, juvenes ut foris bella gererent: arma his imperata. Galea, clypeus, ocrea, lorica, omnia ex ære. Hæc ut tegumenta corporis eſſent: Tela in hoſtem haſta atque & gladius. Addita huic claſſi dua fabrûm centuria, quæ ſine armis ſtipendia facerent, datum munus, ut machinas in bello ferrent. Secunda claſſis intra centum usque ad quinque & ſeptuaginta millium cenſum inſtituta, & ex his ſenioribus junioribusque viginti conſcripta centuriæ, arma imperata, ſcutum pro clypeo, & præter loricam omnia eadem. Tertia claſſis in quinquaginta millium cenſum eſſe voluit, & hæ eodem diſcrimine ætatis factæ, nec de armis*

(*a*) Lib. I. c. 43.

armis quicquam mutatum, ocreæ tantùm adempta. In quarta classe census quinque & viginti millium, totidem centuriæ factæ, arma mutata, nihil præter hastam & verutum datum. Quinta classis aucta, centuriæ triginta factæ; fundos lapidesq; missiles hi secum gerebant; in his accensi, cornicines, tubicinesq; in tres centurias distributi: undecim millibus hæc classis censebatur. Hoc minor census reliquam multitudinem habuit, inde una centuria facta est, immunis militiæ. Ita pedestri exercitu ornato distributoq;, equitum ex primoribus Civitatis XII. conscripsit centurias, sex item alias centurias, tribus à Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratæ erant, nominibus, fecit. Ad equos emendos dena millia æris ex publico data, & quibus equos alerent, viduæ attributa, quæ bina millia æris in annos singulos penderent. Deinde est honor additus. Non enim viritim suffragium eadem vi, eodemq; jure promiscuè omnibus datum est. Sed gradus facti, ut neque excluſus quisquam suffragio videretur, & vis omnis penes primores civitatis esset. Equites enim vocabantur primi. LXXX. inde primæ classis centuriæ. Ibi si variaret, ut secundæ classis vocarentur, nec ferè unquam infra ita descenderent, ut ad infimos pervenirent. Hæc ex Livio ideò excerpere placuit, ut simul in conspectu habeatur, quomodo Servius Rex onera honoresque per justitiam distributivam in singulos derivaverit: & tamen quicunque inde mihi proportionem Geometricam fabricaverit, erit mihi magnus Apollo. Restat ultimo loco aptioribus termi-

terminis utriusque justitiæ proportionem exponere. Hoc quoniam & à Grotio & suprà à me jam actum est, brevissimis faciam. Justitia expletrix hanc æqualitatem habet, ut id, quod mihi debetur, & in quantum debetur, quoque loco, quo tempore, mihi tribuatur, idque ideo, quia debetur. Justitia autem attributrix mihi aliquid tribuit, quia eo dignus sum, & in quantum sum dignus, non quòd habeam verum constitutum jus in re.

Sed materia circa quam.] I. e. non differunt proportione, sed objecto. Justitia expletrix enim versatur circa jus strictè sic dictum, sive qualitatem perfectam, consistentem in potestate tum in se, tum in alios. 2. Dominio. 3. Jure ad rem, ut antè dictum. Justitia attributrix verò in aptitudine sive ἀξιότητι ad rem aliquam, sive illa aptitudo inveniatur circa res communes Reip. sive circa privatas.

Contractus societatis.] Pro diversa pecuniarum quantitate poterit similitudo quædam proportionis vel arithmeticæ vel geometricæ in eo versari. Pone enim, quatuor iniisse societatem: primum contulisse 200. secundum 400. tertium 600. quartum 800. & lucrum fecisse 200. ideoque partitio fiet proportione arithmetica, & primus accipiet ex lucro 20. secundus 40. tertius 60. quartus 80. æquali enim excessu hi omnes inter se distant. Atque sic rectè se habet exemplum allatum *à Dn. Hab. ad Wes. pro Soc. n. 6.* Quando verò primus contulisset 20. secundus 40. tertius 80. & quartus 160. divisio fieret proportione geometrica, & primus ex lucro, quod

erat

erat 220. acciperet $13\frac{1}{3}$. secundus $26\frac{2}{3}$. tertius $53\frac{1}{3}$. quartus $126\frac{2}{3}$. quæ est proportio ad amussim geometrica. Quicquid interim alii Authores hic de eo, quod fit per accidens, fabulentur, certissimum ex his est, interdum arithmeticam, interdum geometricam, sæpiùs verò planè neutram proportionem hîc observari. Quando nimirum quantitas pecuniæ collatæ neutri proportionum convenit. Ideoque ad evitandas has difficultates melius est, relictis matheſi proportionibus & proportionalitatibus rem in sua nativa æquitate contemplari, secundùm quam æquum est, ut quantum quis societati intulit, tantum etiam pro rato ferat, sive illa proportio sit geometrica, sive arithmetica, sive neutra, certissimum est, esse talem, qualem indoles hujus fraternitatis exigit.

Quod à nonnullis dicitur.] Ita sentit Dn. Hahn. *ad Wes. de justit. & jur. n. 11.* ubi justitiam distributivam definit, *quæ in distributione rerum communium juxta conditionem cujusq; civis (ut præmiorum, officiorum, honorum, onerumq;) occupata est, observans proportionem geometricam. Ratio est,* pergit, *quia in his rebus contingit, ut aliquis vel plus, quàm dignus sit, vel minus habeat, quod ad injustitiam pertinet, vel habeat, quod pro dignitate & æquum est, id quod justitiæ.* Probat hanc sententiam *Hornej. Doctr. mor. l. 3. c. 11. thes. 23. Formalis ratio distributivæ,* ait, *non tam posita est in habitudine illa communitatis ad partes suas, quàm in ordine omnium partium ejus inter se.* His consentanea docet per integrum caput seq.

quod

quod in explicatione hujus juſtitiæ peculiariter occupatum eſt. Sequitur hos vulgus Ethicorum pedeſtre, quibus moris eſt, ſine penetrantiori examine opiniones aliorum ſortiri. Sed errant, neque juſtitia tale novit diſcrimen. Equidem officium & munus juſtitiæ attributricis frequentiùs invenitur in rebus à communitate diſtribuendis, non ideo tamen minùs circa res privatorum occurrit. Illuſtre eſt Grotii exemplum, de legato, licet Dn. Ziegl. h. ſe capere mentem Grotii neget, inductus falſa hypotheſi, quaſi indubitatum eſſet, juſtitiam diſtributivam ſola communia partibus diſtribuere, quod Grotius hoc exemplo refutare voluit. Senſus itaque hic eſt: Teſtator, qui de re ſua teſtari & legare vult, ſi iis, quibus convenit, bona relinquit, facit, quod recta ratio atque honeſtas jubent, & talis actio congruit juſtitiæ diſtributivæ, quia tribuit ea cuique, quibus dignus eſt. Ex juſtitia enim commutativa procedere nequit, cùm nemo in rebus teſtatoris ejusmodi facultatem perfectam exigendi habeat, ſed ſaltem aptitudinem quandam ſeu ἀξίαν, quæ, ut reliquis præferatur, ſuadet. Hoc modo commodiſſimè explicari poſſet illud à DD. juris ſæpius agitatum, quando liberi quodammodo rerum paternarum domini dicuntur. Quod Dominium DD. vulgariter vocant κατ' ἐλπίδα, & ad hanc juſtitiam attributricem referri poteſt, quia ſcilicet liberi præ aliis quandam prælationem habent in ſucceſſione paterna. Quibus ita ſe habentibus fruſtra quis quæſiverit, *cujus partem legatarius facere debeat, ut legatum ex juſtitia ſcriptum dici poſſit.* Cùm univerſa-

liter verum non sit, non nisi bona communia partibus distribui. Hujus itaque justitiæ essentia in sola consistit ad rem aptitudine, quæ non minùs in re privata quàm publica esse potest. Ut jam liberorum exemplo ad successionem paternam vocandorum sufficienter declaravimus.

Non nisi expletricis.] Quia scilicet non tantùm aptus est rem habere: sed insuper jus strictè sic dictum exigendi debitum habet.

§. 9. Tertia juris significatio.] In §. enim 3. significabat qualitatem actionum ad legis sive præcepti conformitatem institutam. Ut numerꝰ numerans differt à numerato, mensura à mensurato, ulna, quâ metimur, à panni ulna. Sic differt jus, ut legem notat, à jure, quod justum est. *Dn. Ziegl. h.*

Regula.] Congruum hoc genus est regula. Cùm enim jus, ut legem notat, actiones humanas certa qualitate afficiat, ut præscripto conformes aut inde declinantes justæ vel injustæ dicantur, bene jus hactenus regula sive norma est, quæ omnem actionum justitiam determinat. Atque ex his lumen affunditur difficultati, quæ videtur in *l. 1. ff. de J. & J.* esse. Ibi si jus notat qualitatem actionum, in tantum rectè est à justitia, quoniam habitus sive constans jus suum cuique tribuendi voluntas antecedit natura & tempore inde profluentem actionem. Et sic etiam intelligo *Giphan. in arg. ad l. 5. Eth. Aristot.* scribentem: *Jus nihil aliud est quàm justa actio sive factum ex justitia, ut habitu suo, manans, eiq; congruens: quomodo fortiter quid factum manat ex fortitudine, omne denique officium sive*

κατὰρ-

κατόρθωμα & rectè factum nihil est aliud quàm actio ex virtute manans, eiq; consentanea. Atque hunc in modum accipiendum videtur, quòd JCtus Ulpianus jus à justitia appellatum dicit. Patet ex his ad oculum, doctissimum Giphanium non intellexisse jus, ut legem significat, quod quidem voluit. Nam hoc conceptu quomodo à justitia deduci possit, non video: cùm omnis mensura prior sit suo mensurato, ergo & omnis regula prior sua appellatione & usu. Hahnius *ad Wes. de just. & jur.* jus à justitia derivatum vult, quatenus significat jurisprudentiam. *Quia jurisprudentia est de justitia materialiter sive justo, eundem etiam finem habet, hæc ipsi formam dat, adeoq; causa est jurisprudentiæ.* Sed Giphanii deductio, ut materiæ convenientior, magis placet. Denique animadvertendum, an & quousque verum sit, quòd Aristoteles legem definiverit per λόγον, seu orationem. Multis rationibus Hahnius *ad Wes. de Legib. n. 5.* probat, congruum hoc genus non esse, *cùm proximus sit jussio, jussum, sive institutum, vim atq; necessitatem, h. e. imperium habens.* Sed sine dubio subintelligendum tale quid erit, ut lex sit oratio *jubens* sive præscribens superioris cum obligatione ad subditos. Quod ita probo: Omnis lex est præceptum seu norma quædá præceptiva de faciendo aut non faciendo: Omne præceptum certa oratione & terminorũ compositione absolvitur. Ergo & lex erit hactenus oratio. Quippe oratio est vox, ex simplicibus dictionibus composita: in lege talem notionum combinationem deprehendimus, quare & oratio hoc sensu lex di[illegible]o-

Digitized by Google

terit. Subjecti loco semper stat res, quæ præcipitur, prædicati vim ipsum præceptum implet. E. gr. *parentes sunt honorandi.* Subjectum sunt parentes, prædicatum præceptum honoris, qui parentibus tribui debet, idque in omni lege invenire licet. Concludo itaque, legem rectè esse orationem, sed jubentem. Nam hac addita limitatione idem est, ac si dicerem, legem esse normam seu regulam præcipientem.

Actuum moralium.] Objectum legis sunt actiones morales. Actiones autem morales hîc sunt, quæ convenientiam aut discrepantiam habent cum sua norma sive regula: Latiùs enim hîc capi debent, quàm fit in morali disciplina, ubi nihil aliud quàm convenientiam cum lege naturæ & recta ratione denotant. Verùm cùm in genere de lege agimus, longè plura comprehendunt. Sic actio suâ naturâ indifferens & in neutram moralitatis partem devia, si præcipiatur à legislatore, erit hoc sensu moralis. V. gr. transcendere muros Civitatis, in se consideratum, neque bonum est, neque malum. Nunc supervenit Princeps, & quoniam rem mali exempli, hostilisq; in Remp. animi esse videt, capitali supplicio muros civitatis tuetur. Quicunque igitur præceptum illud negligens se pœnali legi obstrinxerit, moraliter peccavisse dici potest, quoniam actum liberum voluntas superioris determinaverat. Et hæ suâ naturâ indifferentes res unicum objectum sunt legum civilium, *quæ de talibus constituunt rebus, quarum natura indifferens est, i. e. quæ neque justæ, neque injustæ intrinsecè sint, sed pòst lege lata ad utilitatem Reip. jubendo*

do fiunt juſtæ, vetando injuſtæ. Quare ante promulgationem neminem obſtringunt, poſtea omnes ſubditos: ut eleganter ſcribit *Joh. Frider. Hornius de Civit. l. 2. c. 2. th. 2.* Quoniam verò hîc jus definitum eſt, ut abstrahit ab omni juris ſpecie, includendo ſingulas, ideo & actiones morales, ut ſic dicam, ſecundariæ, quatenus objectum ſunt legum civilium, ad hunc locum ſpectant.

Obligans.] Formale ſive eſſentiale conſtitutivum omnis legis eſt *præceptum obligatorium*, quia ſine obligatione vanum legis nomen eſſet, & fruſtra præciperet aut juberet quid, quod ad obſequium non adſtringeret. Putant nonnulli, ſolam legislatoris voluntatem abſolvere legis eſſentiam, & obligationem eſſe neceſſarium legis conſecutivum. Verùm huic ſententiæ ab accuratioribus rectè contradictum eſt, quoniam hac ratione conſilium lex eſſet. Dirigit quidem conſilium actionem, ſed non ſub obligatione, quæ ſoli legi propria eſt. Hinc voluntas Principis ſuadendo aliquid ſubditis ſuis aut permittendo, lex non eſt, quia illos ſuaſio aut conſilium ad aliquid faciendum vel non faciendum neutiquam obſtringit, ſed ipſi libero inter ſe judicio examinare poterunt, conducátne hoc conſilium ſequi, & expenſis rationibus in utramque partem inclinare; cùm in lege civili omne judicium reprobatorium ſubditis negatum ſit, & ſimpliciter ſine ullo ſeveriori examine teneantur ad obſequium. Deinde, ſi voluntas ſola legislatoris legem faceret, ſequeretur, Tyrannum, qui vult cædes, adulteria aliaque moralia mala, per ſuam nudam vo-

Digitized by Google

luntatem hæc talia leges facere. Tyrannum enim legislatorem esse, nemo, ut existimo, dubitabit. Si regerunt, hactenus voluntatem legislatoris jus facere, quatenus animum habet faciendi jus: objiciam ego hypothesin, quando voluit Tyrannus animo condendi legem, ut cædes & adulteria sint jus sive justa: & omnes puto reclamaturos, tale institutum non esse observandum. Quare rectè à Moralistis illud dicitur, jus non tam esse voluntatis quàm rationis; concurrit quidem voluntas, sed ratio sive rationabile præcipuum sibi locum vendicat. Cùm ad injusta nemo obligetur, obligatio autem sit de essentia legis.

Nam consilia.] Hoc habet cum lege commune consilium, quòd sit directorium actionis, & ostendat, quæ facienda, quæ item fugienda: interim cùm absit obligatio, & in utramque contradictionis partem liber detur transitus, lex non est. Lubet rem illustrare exemplo desumpto ex jure civili. Ex mandato, qui est contractus, quo alicui aliquid gratis faciendum committitur, est obligatio, dum tam is, qui committit aliquid faciendum, & qui suscipit mandatum, suis actionibus agere & conveniri possunt. Et id quidem rectè. Cùm liberum antea fuerit unicuique vel non mandare, vel in se mandatum non recipere; id verò quando est factum, utriusque interest, ne vel temerè revocetur aut deseratur. Interim tamen, si mandatarii solùm gratiâ mandatur, ex eo nulla est actio; ratio non alia, quàm quòd consilium nō obliget, & cuilibet liberum sit expendere ejus utilitatem aut damnum. Quare in §. 6. *I. de Man-*

Mandato dicitur, *hujus generis mandatum magis consilium quàm mandatum esse, & ob hoc non esse obligatorium, cùm liberum cuiq; sit apud se explorare, an sibi expediat consilium.*

Permissio autem.] Originem hîc habet distinctio multis DD. usurpata inter jus permissivum & præceptivum. Verùm divisio hæc non est generis in suas species, sed vocabuli æquivoci in sua æquivocata. Permissio toto genere distat à lege. Lex est norma præscribens, norma præsupponit necessariam aliquam applicationem, hæc applicatio liberum arbitrium excludit. Ubi ex jussio, ibi exulat permissio. Quia *quod in neutram partem inclinat, & ad nullum contradictionis effatum adstringit subditos, jus non est, sed absentia juris prohibitivi. Joh. Frider. Horn. de Civit. l. 2 c. 2. thes. 7.* Interdum permissio denotat legitimam facultatem aliquid faciendi, & est plerunque concessio alicujus potestatis & ab hac, de qua diximus, diversam naturam habet, alioque ex capite dijudicanda venit.

Nisi quatenus.] Nec hoc modo obligat tam ipsa permissio ex se, quàm tacitè subintellecta legislatoris voluntas prohibens, ne quis impedimentum ponat ei, qui liberam agendi facultatem habet.

Ad aliam virtutem.] Leges enim non tantùm de justitia particulari, sed & aliis virtutibus præcipiunt; ut de fortitudine, si certum præmium statuitur bene gerenti armis Remp. de temperantia, si numerus liberorum parentibus ad multas exemptiones proficit. &c.

Laxius justum dicitur.] I. e. justum universa-

versale, procedens ex universali justitia, quæ complexu omnium virtutum absolvitur.

Optima partitio est.] Alii dividunt legem in divinam & humanam. Divinam in necessariam & voluntariam. Necessaria est jus naturæ. Voluntaria est vel simpliciter voluntaria tam respectu Dei, quàm nostri, vel certo modo, i. e. voluntaria respectu Dei, necessaria respectu nostri. Illa complectitur leges populo hebræo datas, forenses; Hæc verò jus divinum constitutum universale, de quo ab initio Prolegom. diximus. Humanum est vel universale, vel particulare. Illud est jus gentium. Hoc vel jus civile, vel hoc patens arctius. Jus civile à potestate nomothetica constituitur in qualibet civitate, & pro diversitate Rerump. diversum est. Jus arctius patens sunt illa præcepta, quæ à patref. quatenus est sub nullius superioris imperio, suæ familiæ feruntur. Ita quidem, ut dixi, dividunt jus in genere. Licèt & Aristotelis divisio sufficiens sit. Ad jus voluntarium enim certo modo referri possunt omnia alia jura, præter illud naturæ, quod intrinsecè & ex sua natura necessarium est.

§. 10. *Est dictatum.]* Non convenit inter viros eruditos de genere juris naturæ. Aliis per dictatum sive præceptum, aliis per habitum definientibus. Sanè cùm jus naturæ essentiam juris participet, jus verò in genere sit præceptum, videtur illud naturæ jus non incongruè per dictatum sive regulam describi, respectu scilicet habito ad actum secundum, quatenus se diffundit in actuale præceptum. At verò si per jus naturæ intelligimus potentiam illam naturalem à Deo

Digitized by Google

Deo nobis inditam, per quam apprehendimus illa principia practica, rectè quis habitum dixerit, cùm sit qualitas quædam animæ rationalis constans. Et si quis rem accuratè considerare velit, magis habitus naturalis, qui suggerit principia practica, jus naturæ dici potest, quàm ipsa principia, cùm lex naturæ sit in homine tanquam in subjecto suo. At verò non tam ipsa principia quàm potentia ea apprehendendi homini innata est: illa enim principia sedem suam in sanctitate & justitia divina habent, quæ homo beneficio habitus connati sibi deinde applicat. Licèt, ut dixi, in actu secundo rectè per dictamen definiatur. *Conf. Joh. Frid. Horn. de subject. jur. natur. c. 1. thes. 15. & 16.*

Ab auctore naturæ Deo.] Ex sanctitate & justitiâ divinâ origo & incunabula juris naturæ repetéda sunt. Jus naturale enim est particula quædam divinæ imaginis, & idea ejusdem sanctitatis. Hominem à Deo ad ejus imaginem creatum esse, ex sacris literis docemur. Hæc divina imago absolvebatur sapientiâ atque justitiâ perfectâ, tum morigero voluntati appetitu, & rectitudine cæterarum virium. Postquam autem Adamus horribili se perduellionis crimine obstrinxit, excidit simul tam consumato bono, & justitia voluntati, sapientia verò intellectui erepta est. Appetitus detrectabat rectæ rationis imperium, aliæque naturales facultates suam quælibet congenitam perfectionem amiserunt. Rudera nihilominus quædam remanserunt divini hujus depositi. Et intellectus speculativus suis principiis instructus refert æternam sapientiam, & intelle-

Digitized by Google

ctus practicus particulas quasdam divinæ justitiæ, quæ voluntati ablata est, retinet, ut eidem per lapsum à sua rectitudine deviæ loco directoris & aurigæ essent, præcipiendo honesta & turpia vetando. Hæc rudera amissæ justitiæ & sanctitatis nihil aliud quàm jus naturæ sunt, & se ad perfectissimum suum instar adhuc conformant. Lubet adscribere, quæ in hanc sententiam doctissimus *Hornius*, *de subject. jur. natur. c. 7. thes.* 29. commentatur: *Theologi quadam imaginis divinæ rudera*, inquit, *repetunt à justitia divina. Legem quippe Dei humanis mentibus insitam ad imaginem divinam referunt, docentq́, hominem ideo dici ad imaginem Dei conditum esse, quia in eo relucebat imago, h. e. notitia Dei, & similitudo quadam mentis divinæ consistens in honestorum ac turpium discrimine. Referebat scilicet homo ante lapsum divinam sapientiam in intellectu, justitiam in voluntate, instructus præterea morigero appetitu & rectitudine virium cæterarum erat. His absolvi tradunt imaginem divinam. Postquam deficit à creatore suo, amisit divinum illud depositum, ita tamen, ut quædam reliquiæ supersessent ex illa ruina: justitia voluntatis, obedientia appetitus, sapientia intellectus aliaq́ perfectiones contiderunt, mansit interim scintilla quædam in mente humana, qua & sapientiæ divinæ & justitiæ index foret. Sapientiæ æternæ testis est intellectus speculativus, suis communibus principiis ornatus; intellectus practicus ad justitiam & sanctitatem divinam spectat. Nam humanæ voluntatis rectitudo nihil erat aliud quàm*

con-

congruentia exquisitissima cum regulis intellectus activi, quæ se metiuntur ad protypum sanctæ divinitatis. Quamvis enim ceciderit illa voluntatis bonitas & hactenus justitiæ instar perierit in voluntate, supereſt nihilominus adhuc proxima regula deperditæ justitiæ in principiis practicis juris naturalis, quæ antiquam originem ſervant, quam habuerunt, Dei ſanctitatem. Hæc ille, quibus nihil eloquentius aut verius dici poteſt. *Conf. loc. in eod. Tract. c. 1. theſ. 18. & de Civitate l. 2. c. 2. theſ. 5.*]

Aut vetari.] Deus quidem eſt author juris naturæ, quatenus eſt in homine: i. e. Deus creavit hominem, & ipſum habitu illo connato & intellectu activo inſtruxit; ſed fundamentum obligationis juris naturæ neque eſt voluntas, neque imperium Dei. Illud tamen inſuper concedimus, ſi homo non obligaretur propter intrinſecam rei qualitatem, obligari eum potuiſſe ſola voluntate aut imperio divino, cujus creatura eſt, liberrimæque ejus diſpoſitioni ſubjacet. Creator enim in omnia creata ſummum habet imperium. Et ſic intelligo *Dn. Ziegl. in Proleg. p. 7. & h. §. 11. not. 1. & 2.*

Debiti ſunt aut illiciti per ſe.] Objectum juris naturalis ſunt actus morales ex ſe ſuaque natura boni aut mali. Boni ab eo præcipiuntur, & ſine peccato omitti nunquam poſſunt, mali verò vetantur, nec absque crimine patrari. Sed quia bonitas vel malitia moralis actionibus humanis certam qualitatem affundit, ob quam illæ morales dicuntur, ut naturam earum eò penitiùs perſpectam habeamus, labor noſter haud

erit

erit inutilis, si de malo & bono Ethico paulò uberiùs ordiamur examen. Bonum in genere est, quod habet rationem appetibilitatis, sive congruentiam aliquam cum appetitu. Sic bonum definiri ab omnibus ferè tam Theologis quàm Metaphysicis testatur Hornejus. (a) Nec id quidem malè. Appetitus nihil appetit, quàm quod vel bonum est, vel se sub specie boni commendat. Erit ergo formale boni appetibilitas sive appetibile, quod appetitus in objecto quærit. Ita definitum bonum Scholastici & Moralistæ dividunt in bonum simpliciter tale, & quod est tale secundùm quid. *Illud dicitur propter qualitates & operationes suas: hoc propter ipsum esse tantùm.* Conf. Hornejum *d. cap.* ubi & rationes hujus distinctionis adjicit, & pluribus argumentis defendit, bonitatem hanc omni enti competere. Deinde bona simpliciter ita dicta, sc. propter operationes & qualitates suas iterum distribuuntur in naturalia & moralia. Illa, quæ debitam suæ essentiæ habent perfectionem. Hæc, quæ convenientiam ponunt cum recta ratione & lege naturæ. Fundamentum isthæc habent in bono summo & perfectissimo, quod omnes creaturæ appetunt. Maxima felicitas & bonitas cujusque rei est *reditus ad suum principium*, quoniam ab hoc cuncta processêre, & habent, quod sunt; imò hôc perfectius est, quicquid est, quò propiùs ad similitudinem ejus accedit, à quo esse suum dependet. Id autem cùm nihil aliud sit, quàm benignissimus Deus, qui ex infinita sua bonitate & potentia omnia creata ex nihilo produxit,

(a) Doctr. mor. l. 2. c. ult.

Digitized by Google

duxit, ut aliquid esset extra seipsum: ideo ad eundem quoque omnia se referunt, & ex hoc tanquam norma essentiam aliasque qualitates metiuntur. Porrò optimus Creator, quia & absolutissimam essentiam habet, & immensa sanctitate atque justitia præditus est: Sic bonitatem participat quælibet creatura duplici modo: quatenus essentiâ suæ speciei congruâ perfectè gaudet, & quatenus per studia & mores sanctitatem divinam imitatur. Prior bonitas omni enti competit, posterior tantùm rationali. Nam mores, qui intellectum, discursum, liberamque utrumvis electionem & judicium præsupponunt, non nisi in animal ratione præditum cadere possunt. Quicquid autem sibi debitam naturam habet, prius bonum possidet, quod naturale dicitur, cùm alterum propter suum objectum sit morale. Exempla rem declarabunt. Inter alia in Deo naturale bonum est, esse æternum & perpetuum. Hanc æternitatem creatura participare nititur, omniaque, quæ interitum suum afferre videntur, ex instinctu congenito odio prosequitur & aversatur. At cùm materiale corpus fluxum caducumque sit, ut saltem analogo modo æternitatem Creatoris æmuletur, per naturalem procreationem, speciei (cùm sui individui non possit) conservationem perpetuitati transcribit. Iterum cùm infinita in Deo sit sanctitas & justitia, quicquid intelligere illam sanctitatem aptum natum est, i.e. omne rationale, ad eandem etiam, in quantum humanæ vires & corrupta indoles nostra patitur, se conformare debet. Ex sanctitate enim illa, ceu lydio quodam lapide probamus

omnem

omnem moralitatem, quæ cadit in homines. Quibus diligenter memoriæ traditis facile erit judicium de malo. Nam bonum ponit aliquam appetibilitatem, quare malum erit, ubi illud appetibile deficit. Notanter dico, *ubi deficit appetibile*. Quoniam malum non essentiam propriam & subsistentem habet, sed nihil aliud quàm absentiam atq; defectum boni indicat. Omne ens, quà ens est, sive esse substantiale habet, bonum est, sive sit substantia sive accidens. Secus daretur aliquod malum summum independens, id quod sine summa impietate dici nequit, ut multis deducit Hornejus. (*a*) Quocirca malum cùm in classe entium non inveniatur, & tamen quodammodo animadvertatur in ipsis rebus, erit aliquod non ens. Quicquid enim de aliquo dicitur, id de eo dicitur, vel quatenus est ens, vel non ens. Malum dicitur rebus inesse, non ut ens; ergo inerit, ut non ens. Est verò non ens non negativum, nec rationale, sed privativum. Non negativum: quia ens negativum est, cùm simpliciter res non esse dicitur: at malum certo modo aliquid ponit, nempe privationem boni. Non rationale, nam hoc est mera rationis nostræ fictio ejus, quod nunquam fuit. Relinquitur igitur ens privativum. Malum inducit absentiam boni in subjecto, quod aptum est habere bonitatem. Quare non de quavis re malum prædicari potest, sed de ea demum, quæ deberet bonum habere. v. gr. lapidi malum non est, quòd non videat, ligno, quòd non volet, homini, quòd non sit incorporeus. Quia ad neutrius speciei perfectio-

(*a*) Doctr. moral. l. 2. c. 1. ule

fectionem potentia videndi, volandi, aut habitudo incorporea requiritur. At homini & bruto malum eſt cœcitas, & quidem naturale, cùm viſus rectè prædicetur de bruto vel homine. In lapide verò hæc cœcitas eſt non ens purè negativum, cùm ſit in homine privativum. Sic, ut ad mores veniamus, ſi quæratur, cur in ſubjecto rationali morale malum ſit inceſtus cum parentibus, & ſocii cædes, bruta verò nullum crimen contrahant indiſtincta ſanguinis generantis confuſione, & ſimilis individui nece? nulla alia ratio dari poterit, quàm quòd intellectui humano regula quædam practica inſcripta ſit, præcipiens honeſta, vetans turpia, quæ hominum vitam & actiones dirigat ad finem honeſtum: Brutis autem intellectus ille practicus communicatus non ſit, quo cùm deſtituantur, actiones ſuas ad eam normam, quam ignorant, inſtituere non poſſunt. Lex enim neminem obligat, niſi cui data eſt. Quare malum vel bonum morale in reſpectu ad bruta tota erit negatio. At in homine malum eſt privatio boni alicujus, quod in ſubjecto eſſe debebat. Obiter illud notandum, quomodo accipi debeat, quod ſuprà dictum, mala eſſe & inveniri in rebus: & tamen non eſſe aliquod ens, quod implicare videtur. Verùm ſciendum, duplici modo aliquid dici poſſe eſſe. Uno, ut eſt in prædicamento aliquo, i. e. quatenus ad claſſem rerum ſive entium pertinet. Altero, quatenus intelligimus veritatem propoſitionis, v. gr. hoc corpus eſt malum. De corpore dicitur malum, non quòd malum revera ens ſit, ſed quòd corpori competat, & de eo dici poſſit.

sit. Nihil tamen aliud infert propositio, quàm absentiam boni, & idem dico, si corpus esse *non bonum* ajo. Nam hîc continuò quicquid non habet bonitatem debitam, id est malum. Intermedium non datur. Absentia enim boni immediatè concludit ad malum. Posteriori hâc loquendi formulâ, malum rebus competit. Porrò quemadmodum suprà bona in naturalia & moralia divisimus, eodem planè modo & mala dividuntur, contrariorum enim eadem est ratio, ut ait Philosophus. Malum naturale est, quod non habet debitam naturæ perfectionem; Morale, quod discrepat & deficit à recta ratione & lege naturæ. Illud saltem observa, quòd bono secundùm quid ita dicto sive essentiali malum nullum correspondeat. *Neque enim*, ut inquit Hornejus, (a) *ut ipsum esse simpliciter est bonum, ita & ipsum simpliciter non esse malum est. Nam simpliciter non esse, non ens negativum est.* Atque tantum de bono & malo in genere, & ut abstrahit ab omni specie. Nunc quoniam nos versamur in materia juris, natura boni moralis magis interiùs scrutanda est, ut nihil relinquatur solidæ cognitioni necessarium. Principio autem videndum de subjecto, cui bonum morale inest. Sic enim hactenus à sapientiæ magistris traditum, in accidentibus describendis & probè noscendis ingens momentum cognitionem subjecti facere, cùm accidentia omnis materiæ vacua propria vi subsistere nequeant, sed exterius domicilium requirant, cui inhærere possint. Subjectum omnis moralitatis præter hominem novimus

(a) L. 2. c. 7. thes. 13. Doctr. moral.

Digitized by

vimus nullum aliud, id quod vel ex ſola definitione moralis boni evincitur, utpote quod in congruentia & concentu cum lege naturæ & ſanctitate Dei conſiſtit. At verò dictata & principia practica juris naturalis cognoſcere, ac ſecundùm illa tanquam certiſſimam normam & rectitudinem ſuas inſtituere actiones, id ſolius hominis familiare bonum eſt. Jamdudum à verè Philoſophis cum indignatione repudiata eſt Treboniani ſententia, juris naturæ peritiâ omnia animalia cenſeri. Quare ſi regula moralitatis in brutis nulla eſt, nulla etiam erit ejus applicatio, quæ diſcurſum aliquem & ratiocinium præſupponit. Nec magis aliquid de juſtitia & ſanctitate Dei brutis innotuit. Suo feruntur naturali inſtinctu, & appetitu ſenſitivo inſtructi bonum aut malum non ex prævio quodam diſcurſu & argumentatione, ſed impetu innato diſcernunt, de Deo & ejus attributis hactenus non ſollicita, imò Deum eſſe planè neſciunt, cùm quævis propoſitio & judicium de terminorum compoſitorum veritate pertineat ad ratiocinium. Deinde, ubi principia moralitatis deſunt, ibi ipſam fruſtra quæſiveris. Negatâ enim causâ nullus ſequitur effectus: Jam ſubſumo, intellectum & cognitionem objecti, judicium item & electionem liberumque volendi arbitrium animæ irrationali tribuere, id verò demum eſt de recta ratione deficere. Sed hæc talia principia ſunt omnis moralis actionis: ergo nulla cadet in bruta. Cognoſcunt illa quidem res, ſed beneficio materiæ, in quantum in viſum vel aliam facultatem ſenſitivam cadunt, diſcurſum autem de illis nullum forma-

re, multò minùs per reflexionem in se retrogrediens judicium promere possunt. *Distinguunt bonum à malo in usum vitæ, hoc est separant bonum naturale ab incommodo, verùm ad hoc non opus est ullo ratiocinio, quod sensus operæ satis sit sufficiens. Canis à lapide offam, carnem & panem beneficio odoratus distinguit:* scribit *clariss. Dn. Hornius de subj. jur. natural. c. 6 thes. 4.* Nec magis electio aut libertas arbitrii extra animam rationalem reperitur. Canis præsente carne & fame urgente naturali stimulo in carnem fertur, quod verò interdum dentes abstineat, id non ideo fit, quasi ullam inter bonum & malum electionem habeat, sed quia memoriæ ejus, quâ pollet, succurrit plagarum metus, quibus carnem commedens olim fuit oneratus. Adscribam iterum laudati Hornii (*a*) verba. *Verberum recordatio multoties inhibet naturalem affectum & appetitum, non quòd ratione regatur brutum, sed vehementiori affectu deterritum ab opere avocetur. Ita canes & feles plagarum infligtione à cibis summoventur, quos appetitus & fames devorandos suadebant. Obversatur enim phantasiæ naturali species, quod perpessum est brutum, cùm sibi convenientia attingeret. Metu igitur infligendi mali omittit sibi commoda.* Pergamus ad objectum, quod cognitionem moralitatis absolvit. *Sicut enim in rebus naturalibus speciem dat forma. Ita in moralibus objectum. Dn. Hornej. Doctr. mor. l. 2. c. 7. thes. 17.* Et Connimbricenses *Disput. 5. in Eth. Aristot. Quæst. 1.* ajunt, *bonitas & malitia humanarum actio-*

(*a*) d. c. thes. 15.

actionum ſumitur ab objecto. Hoc ipſum quemadmodum immutabile eſt, ita qualitas ab illo participata ejusdem conditionis efficitur. Quæ bonitas vel malitia inde contracta primaria dicitur, quæ pendet ab objecto, quod ſe habet ut FORMA quædam in naturalibus. Hoc eſt: Objectum ſive res, circa quas actiones noſtræ verſantur, ſpecificant eas, ut vocentur bonæ aut malæ. Nam quando quæritur, cur actio aliqua ſit bona vel mala, reſponſio eſt, quia circa ejusmodi verſatur rem, quæ ſuâ naturâ & intrinſecè aut eſt honeſta aut turpis. Ubi tamen bene notandum, actionem moralem etiam dici, quæ phyſicè & naturaliter poneret actionis privationem. Sic v. gr. non defendere patriam, cùm poſſis, non honorare parentes, eſt actio moralis mala, at naturaliter non eſt actio, ſed abſentia actionis. Quamvis nihilominus videatur privatio hæc ſemper aliquam ſimul poſitionem involvere. Nam non defendere patriam cùm poſſis & debeas, eſt eandem prodere. At prodere patriam, eſt agere. Non afficere parentes debito honore, eſt eosdem afficere injuria, quia nulla cogitatione poſſum conſequi, ubi ceſſet debitus honos, & non continuò ſequatur injuria: eo ipſo, dum non honoro eos, deſpicio atque contemno. Par judicium eſto de omnibus illis rebus, quæ per ſe licitæ aut illicitæ ſunt, quoniam eorum honeſtas aut turpitudo conſiſtit in puncto, adeò ut medium nullum intercedat, ſed à privatione actionis bonæ contiguus in malam fiat tranſitus, & ita intelligendum eſt, quod tradunt Ethici, *tam omiſſionem rei, quàm commiſ-*

sionem conformem aut non conformem legi esse posse. (a) Quia omittere, quod facere decet, est tacitè agere contrarium, quod lex præcipit, sicut committere, quod lex vetat, comprehendit omissionem debiti. Quoniam itaque objectum malum est, desertio sive traditio patriæ, & contemptus parentum, idcirco etiam actio circa illud mala erit. Quod si tamen curiosus animus non quiescat in responso de malitia aut bonitate objecti, sed inquirat ulteriùs principium illius qualitatis objecto communicatæ, ille docendus est, formulam hanc loquendi, *bonitatem vel malitiam in objecto latere*, non hoc importare, *quasi objectum illud aliam normam non habeat, sed quòd necessariò norma bonitatis aut malitiæ subjaceat ex sua natura.* Idque propterea, quia ex sanctitate & justitia divina, tanquam ultima & principe omnis moralitatis norma, talem determinationem accepit. In hunc sensum Connimbricenses *cit. loc. quia tamen hoc loco de bonitate & malitia morali agitur, spectanda est prædicta natura non secundùm esse naturale absolutè, sed ut convenit cum rectâ ratione, & lege divina, aut ab ea defluit.* Ex his quasi sub manibus nascitur mihi nobilis illa quæstio, an obligatio juris naturalis procedat ex imperio aut voluntate divina? Omnes, qui hoc argumentum accuratè tractarunt, utrumque negant, cùm lex naturalis non ideo obliget, quòd Deus voluerit aut sic præceperit, sed quòd aliter velle atque præcipere non potuerit. Sive, ut inquit *Vasquez non ideo sunt mala, quia mala judicantur à Deo,*

(a) Rom. 1. 2. c. 7. thes. 16.

Deo, quin potiùs ideo talia judicantur, quia ex ſe talia ſunt. Ex quo illud efficitur, ut ante omnem voluntatem Dei & imperium, imò etiam ante omne judicium aliqua ex ſe ſint bona opera vel mala. Dn. Ziegl. (*a*) etiam *ad Grot.* ita cenſet. *Quædam juſta eſſe, quæ Deus aliter velle non poteſt, quæ adeò ſuâ juſtitiâ intrinſecâ omnem voluntatem Dei liberam antevertunt.* Et in Prolegom. *p. 7. in fin. Interim tamen hoc non nego, eſſe in Deo æternam aliquam legem, hoc eſt, rationem divinæ ſapientiæ, directivam omnium actionum & motuum in ſuos fines, & jus aliquod naturale immanens antecedenter ad omnem liberum voluntatis actum, ſecundùm quod non poteſt velle, quod juri illi repugnat.* Adeundus autem eſt ante omnes *Dn. Joh. Frider. Hornius in tract. de ſubj. jur. nat. c. 7. theſ. 25.* ubi ſolidiſſimis rationibus imperium & voluntatem Dei rejicit, & recurrit ad objectum. *Accidit enim,* ait, *omnibus rebus à jure naturali mandatis, vel prohibitis, ut in objecto lateat malitia vel bonitas. Nam unanimi conſenſu receptum eſt, actiones ex præſcripto juris naturalis reſultantes ideo bonitatem nanciſci, quòd circa rem bonam occupentur, contrarias autem vel eo tantùm nomine contrahere pravitatem, quòd circa rem malam verſentur.* Et paulò pòſt (*b*) objecti hujus normam declarat ulteriùs, atque cum ſua protypa bonitate componit. *Quoties quæritur,* pergit, *num homicidium ſit fugiendum? continuò affirmat rationalis creatura. Si quæratur*

(*a*) L. 1. c. 1. theſ. 5. not. 1.
(*b*) Theſ. 28.

assertionis causa, illa dabitur, quia in se malum est. Vera utique causa, quæ in objecto ponit principium obligationis. Sed non quiesceret curiosus animus, ulteriùs instabit & rogabit, quare malum sit? Hic ipsum objectum ad normam ponendum eidemq; applicandum est, ex qua applicatione id responsum dabitur, quia ex sua natura adversatur honestatis regulæ nobis implantatæ, & ab hac discrepat: Si procedas ultra & inquiras, cur illud rectæ rationi disconveniens malum sit? Respondebitur, quia simul à lege æterna abhorret, cujus vis impressa est homini. Si nec dum sedeat mens, & petat, cur legi æternæ contrarietur? decisoriam accipiet causam, non quia voluntas aut imperium divinum prohibuerit, sed quòd justitiæ & sanctitati divinæ opponatur, & ab eadem deviet. Hæc de objecto. Ultimo loco nota, interdum actiones, quæ circa bonum objectum occupatæ sunt, ex fine & aliis circumstantiis contrahere pravitatem. Sic amor Dei in se bonus est. At verò, si non tam ideo Deum ames atque colas, ut nomen ejus glorificetur, & in te gratus ostendatur animus, quàm ut ab eo velis bonis externis ob cultum illum ditari, mala est actio. Ita sentiunt & docent cum Hornejo plerique Ethici. Verùm rem penitiùs inspicienti facilè & his casibus pravitas in objecto occurret. Nam non amat quis Deum, qui dicto fine illum amat, sed amat potiùs divitias, ideoque verus amor Dei amoris objectum non esse videtur, sed simulatus quidam & ex perverso fine procedens cultus, qui certè etiam in se malus erit. Idem judicium sit de circumstantiis, quæ ipsum objectum

ctum corrumpunt, & in aliud mutant. Nam quamdiu actiones circa bonum objectum, quà eſt tale, ut normam verſantur, malitiam contrahere nequeunt.

Quibus jus naturale non repugnat.] Hinc nata eſt diſtinctio inter jus naturale permiſſivum ſive negativum & poſitivum. De qua in genere ſuprà egimus. Jus permiſſivum enim non eſt jus, quia permittit, nihil præcipit.

Quæ ratio honeſta aut oppoſitis meliora.] Pertinet huc jam explicata aptitudo ad rem aliquam. Item ab imperitis impetus naturalis ad aliquod jus naturæ dicitur, quò referri etiam debent brutorum actiones, quæ ſpeciem aliquam juris habere putantur. Item maris & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio. Sic jus gentium, ut in legibus Romanis accipitur, non rarò jus naturæ audit. Ad aptitudinem, cujus mentionem fecimus, ſpectant quoque ea, quæ fundamentum habent in conditione naturali, licet ſimpliciter non præcipiantur jure naturæ, ſed ſuaſoriè & ſaltem in generali, ut ſucceſſio filii in bona patris ab inteſtato: quo ſenſu dicitur ſucceſſio parentum deberi liberis jure naturæ, i. e. 1. ob aptitudinem. 2. tacitam defuncti voluntatem. Verùm hæ, & ſi quæ aliæ, impropriæ ſunt locutiones, quædam planè impertinentes. Non enim ſtatim quod naturale eſt, eſt etiam juris naturæ. *Ad. Grot. l. 2. c. 12. theſ. 26.*

Quæ voluntatis humanæ actum conſequuntur.] Rectè. Jus naturæ enim quasdam concluſiones & præcepta habet, quorum applicatio uſui nulli eſt, niſi ſub hypotheſi certæ actio-

nis aut certi hominum ſtatus. Ita honorare parentes præſupponit relationem patris & filii. Exemplum autem Grotii non quadrare videtur, quoniam nullo tempore talis rerum communio, ut fingitur à plerisque, in rerum natura extitit: ut ſuo loco in *l. 2. c. 2.* perfectè explicabimus.

Furtum naturali jure prohibitum.] Sæpè miratus ſum, cur Jureconſultis non conveniat, quo jure furtum ſit prohibitum. Aliis jure gentium & civili, aliis ſolo jure civili, interdictum ſcribentibus. Verùm ſatis ſimplex & aperta eſt juris naturæ regula, neminem deberi cum damno alterius locupletari. Officit enim hoc ſociali & rationali naturæ, & contrariatur ipſi divinæ juſtitiæ, quare non poterit non contra jus naturæ eſſe. *Conf. Hahn. ad Weſ. de Furt. n. 7. & Ludvv. ad l. eod. tit. §. 1. n. 6.*

Adeò immutabile.] Duo imprimis naturalis juris attributa ſunt: immutabilitas & evidentia. Immutabile eſt jus naturæ propter ſuam originem. Sanctitas & juſtitia divina mutationem omnem reſpuunt, Deus enim ſe ipſum abnegare non poteſt. At hoc jus particula quædam & idea laudatæ juſtitiæ eſt, quare à ſuo protypo, ad quem ſe refert, diverſæ naturæ eſſe nequit. Evidentia in eo eſt poſita, ut perceptis ſaltē terminis per principia activa ab habitu apprehenſa, de cujusque actionis honeſtate aut turpitudine ſine hæſitatione poſſimus pronunciare. Unde illud ſimul colligitur, juris naturæ haud eſſe, quod per operoſas & impeditas conſequentias ſe rectæ demum rationi conformat. Quare aſſiſtere Hor-

neſio

nejo (*a*) non possum, qui duplicia juris naturæ principia facit: *quædam, quæ ex principiis illis primis & indemonstrabilibus promptè & facilè deducuntur: alia, quæ difficilius, & ferè à doctis tantùm.* Verum jus naturæ semper evidens est, est enim habitus connatus, qui principia practica suggerit, & ubique facilè tam ex sua origine & protypo, quàm natura sociali noscitur, *dum prolixa deliberatio aut subtilis & anceps disputatio haud requiritur, & sponte sua honestas apparet & omittendorum turpitudo agnoscitur. Injuncta est homini harum sanctionum custodia, ne dictamen illud naturale patiatur à quoquam sub quocunq; prætextu oppugnari. Commendavit cuilibet conscientiam suam Deus, quam intemeratam servare debet:* scribit *Joh. Frid. Hornius de Civit. l. 2. c. 12. thes. 11.* Id, quod per conclusiones difficiles ex principiis sequitur, immediatum juris naturæ præceptum non est, sed potiùs fundamentum aliquod & terminum concludentem in eo habet. Exemplum Hornei de pecunia reddenda non solùm in valore externo, sed & intrinseca bonitate severius postularet examen. Videtur enim jus naturæ hâc de re planè nihil constituisse. Edicit quidem illud, ut id, quod nobis datum mutuò est, reddamus idem. Sed de bonitate extrinseca & intrinseca hactenus tacet. Id unicum nunc è multis urgendum esse puto. Nummos & pecuniam commerciorum causâ inventam esse, jam si tu mihi dedisti centum taleros argenteos, ego verò tibi eosdem reddam in materia stannea, dum tamen

(*a*) Doctr. mor. l. 4. c. 3. thes. 16.

tempore solutionis factæ eundem valorem habeant, quam antea argentei, nec aliud periculum mutandæ monetæ subsit, videris certè à me non deceptus, nec ego quicquam lucri feci, cùm non pluris argenteos expendi, quàm tu nunc stanneos es expensurus. Solus valor intrinsecam monetæ formam constituit, quo reddito, videtur idem reddi, licèt eadem non ampliùs adsit materia, cùm alter nullum damnum in commercio, cui nummus inservit, sentiat. Ipse etiam Hornejus (*a*) æstimationem rerum in vita communi non quærit *in perfectione naturali, puta numero, magnitudine, aut qualitate Physica, vel in universum nobilitatis essentia, sed vel in usu & utilitate aut indigentia earum in vita, vel certè ex hominum opinione*, quod non minùs etiam de nummo dici potest, qui non ex materiæ nobilitate, sed valore, quem accepit ab eo, cui cudendi nummi jus est, probatur. Dividunt equidem nonnulli, inter quos etiam est Hahn. ad Wes. bonitatem nummi in intrinsecam & extrinsecam. Intrinsecam vocant, materiæ pretiositatē & pondus. Extrinsecam, valorem & formam externam. Sed hæc egregia juris monetalis imperitia est. Cujusq; rei bonitas intrinseca secundùm suam formam æstimanda est. Forma enim, quæ cuilibet rei dat, quod est, bonitatem etiam intrinsecam constituit. Numismatis autem forma alia non est quàm valor, qui unicus nummum facit, ideoque & ejus interna bonitas in valore erit: id quod & JCtus *Paulus in l. 1. pr. ff. de Empt. vendit.* non ignoravit, quando de materia nummi fatetur, quod

(*a*) Lib. 3. Doctr. mor. c. 13. thes. 25.

quod *forma publica percussa usum dominiumq; non tam ex SUBSTANTIA præbeat, quàm ex QUANTITATE.* Ubi per quantitatem plerique DD. intelligunt æstimationem publicam & pecuniæ valorem, cujus signum & nota sit character nummo impressus. Quod si igitur auctore Paulo nummi usus dominiumque non in substantia, i. e. pretiositate materiæ, ut ajunt, sed quantitate, i. e. valore consistit, qua ratione intrinseca forma erit materiæ pretiositas? Et quæ verò est illa pretiositas, quam adversarii adeò urgent? Nondum profectò sufficientibus argumentis est demonstratum, aurum argentumque pretiosiorem in numismate materiam esse, quàm ferrum vel stannum. Qui enim qualitates quasdam naturales & salutarem in medicina efficaciam allegant, næ illi insigniter frustra sunt, quoniam hîc in negotio monetali materiæ pretiositatem non intelligere possumus, quæ medicinæ congruit, nisi & ex unionibus & floribus salutiferis nummos rectè fieri dicere velimus, sed pretiositas materiæ erit, quæ naturæ nummi magis apta est. Aptius autem aurum & argentum quàm ferrum aut chalybem esse, quis facilè dixerit? imò quò materia mollior est, hoc minùs idoneam ego dixerim, quoniam sic fraudibus falsariorum monetæ facilè subjacet. Sed & neque ferri neque chalybis planè nullus est in medicina usus. Quin nescio an non major ipsius auri. Qui puritatem metalli objiciunt, equidem aliquid dicunt, quod Principem movere posset, ut materiam puriorem non adeò puræ præferat, quam tamen si ex aliis civilibus rationibus non

prætu-

prætulerit, nihil est, quod vel Principi imputari, vel aliquis de neglecta pretiosiore materia conqueri possit. Quin illa semper in re nummaria pretiosa satis materia erit, cui nummi valor commissus est. Quòd autem communis ferè Europæorum opinio aurum & argentum cæteris metallis præponat, id ex raritate materiæ venit, quæ quidem in mentibus hominum aliquid valet, & ex usu æstimationem recipit, ipsi autem rei dignitatem quandam majorem internam conciliare nequit. Utut res rara sit, manet tamen eadem, quæ est, nec pretiosior ex se, sed ex indigentia fit. Est enim unica indigentia, quæ omnes res suâ naturâ non æstimabiles certo pretio addicit, ut in *lib. 2.* pluribus videbimus. Breviter. Bonitas metalli & operationes excellentiores, quæ in medicina usum habent, ad commercia, quibus nummus inservit, non pertinent, & non minùs ferreus nummus, quàm aureus mutuam potest habere functionem impositam ex valore, & forma externa. Qui copiosiorem hujus argumenti notitiam habere desiderat, adeat ille *Joh. Frid. Hornium de Civit. l. 2. c. 6. de Commun. dom. & num.*

Sibi ipsis repugnant.] Quoniam sub objecto potentiæ non comprehenduntur. Eruditè hîc Dn. Ziegl. *sic repugnat in genere, ait, esse impossibile primò & per se, & tamen quærere, num à Deo fieri possit. Quæ enim impossibilia sunt, qualia sunt, quæ contradictionem implicant, sub nullius potentiæ objecto continentur: Si enim sub aliquam potentiam caderent, hoc ipso jam essent possibilia & non impossibilia. Quicquid*

quid igitur destruit & evertit essentiam vel potentiæ divinæ, vel objecti, circa quod potentia versatur, vel utriusq; id implicat contradictionem, & per consequens fieri nequit, ne à Deo quidem.

Imago quædam mutationis fallat incautos.] Decepit hæc imago plerosque JCtos, qui varias distinctiones excogitavere, quæ difficultati medelam adhiberent. Communiter distinguitur inter jus positivum & negativum, sive permissivum, id quod suprà rejecimus. Cæterùm præ reliquis videtur hîc laborasse *Dn. Hah. ad Wes. de J. & J.* qui quinque distinctionibus ad quæstionem respondet: Agedum easdem paulò attentiùs ad veritatis trutinam pensabimus, ubi illud verbo monuerimus, potuisse DD. in alia re meliùs ingenium exercere: Sicut sanctitas divina immutabilis est, ita nec jus naturale, (cujus principium hæc est) & recta ratio in gratiam scholasticarum distinctionum perpetuum tenorem migrabit. Illud quidem ab initio rectè ab Hahnio actum censemus, quòd jus naturale liberaverit ab ambiguo sensu, modò animadvertatur, non semper jus naturæ impropriè esse, quod actum voluntatis humanæ consequitur, ut nos paulò antè probavimus exemplo honoris erga parentes. Accedamus nunc ad distinctiones, quæ quæstioni applicari debent. Ita verò se habet quæstio: An jus naturale sit immutabile? Distinguit Dn. Hahn. 1. *inter jus quoad substantiam & quoad notitiam*, & opinatur *priori modo in omnibus unum esse & immutabile, posteriori verò non in omnibus integrum, sed mutabile,*

v. gr.

v. gr. quando quædam nationes furta permiserint, fornicationes, lupanaria, adulteria. Sed quid notitiæ gentium ad mutationem juris naturalis faciunt? Status controversiæ erat, an jus naturæ sit immutabile? ad quam respondetur ab omnibus nationibus actu secundo non intelligi. De quo ne punctum quidem in quæstione. Esto enim præcepta juris naturæ in quarundam gentium mentibus præpostera educatione & consuetudine efferatis vim suam non exerere, an hæc crassa ignorantia jus naturæ mutare poterit? longè melius Andronicus Rhodius censuit, πᾶσι ἀνθρώποις τοῖς ὀρθῶς καὶ ὑγιῶς ἔχουσιν εἶναι δίκαιον ἀμίνητον, ὁ Φυσικὸν λέγεται. οἱ δὲ τοῖς νοσοῦσι τὰς φρένας, καὶ διεγραμμένοις οὐ δοκεῖ δίκαιον, οὐδὲν διαφέρον. οὐδὲ γὰρ ὁ λέγων τὸ μέλι γλυκὺ εἶναι ψεύδεται, διότι τοῖς νοσοῦσιν οὐ τοιοῦτον δοκεῖ, i. e. *Apud omnes homines, qui benè & secundùm sanam rationem se habent, jus naturale immutabile esse. Quod si verò iis, qui dictamem rectæ rationis non audiunt, jus esse non videtur, nihil referre. Neq; enim, qui mel dulce dicit, errat, licet ægrotantibus dulce non videatur.* Sanè incongrua admodum & obscura loquendi formula est jus naturæ quoad notitiam esse mutabile, dum notare debebat, non ab omnibus æquè percipi. Deinde quodlibet distinctionis membrum de quæstione paticipare debet, at posterius planè nihil participat: quare erit non tam ad quæstionem accommodata distinctio, quàm responsio simplex, jus naturæ esse quidem immutabile, in omnium tamen gentium notitia non versari. Putandum denique non est, dum quædam gentes adul-

adulteria, furta & latrocinia permiſerint, harum rerum turpitudinem eis non innotuiſſe, quæ ex principiis practicis facillimo negotio elicitur. Verùm illæ ob alia emolumenta publicam honeſtatis regulam parum obſervabant. Secundò diſtinguit Hahn. *inter ipſum jus naturæ & juris civilis determinationem. Poſſe enim mutari jus naturæ per additionem, licet non per detractionem.* Iterum inſolita loquendi formula, jus naturæ eſſe mutabile per additionem: quæſo quæ eſt illa mutatio per additionem? *ita fit mutatio quoad ſpeciem determinatam pœnarum, tutelarum, inſtitutionis hæredis primæ & ſecundæ, legitimæ, Falcidiæ, Trebellianicæ, &c.* Mirabilis, medius Fidius, mutatio. Hoc modo mutaretur corpus meum adjectione veſtium & calceorum. Vir doctus mutaretur acceſſione honoris doctoralis. Ita jus naturæ furem dignum eſſe judicat, qui puniatur: Supervenit civilis lex, & furtum laqueo determinat, an ob hanc certæ pœnæ adjectionem mutatur jus naturæ? imò tantum abeſt ut mutetur, quin potiùs determinatio pœnæ confirmationem juris naturalis importet. Ego mirari ſatis nequeo, doctiſſimum Hahnium genium quæſtionis non meliùs conſideraſſe. Quæritur enim, num jus naturæ ſit immutabile, i. e. num id, de quo jus naturæ præcipit, à legislatore civili vetari, aut de quo vetat, præcipi rectè poſſit? Jam qua ratione diſtinctio Hahnii huic poſitioni applicetur, ego ſanè non video, cùm poſterius membrum eam nullo modo ingrediatur. Tertia eſt illa communis, cujus ab initio fecimus mentionem. Quar-

ta

ta iterum ad propositum problema eximiè non pertinet. Circumstantiæ enim illæ non tam mutant jus naturæ, quàm actus & objectum, circa quod illud versatur. V.gr. jus naturæ vetat homicidium, i. e. cædem hominis innocentis dolosam. In necessaria defensione cessat illud edictum, non quòd mutetur jus naturæ, sed quia non adest adæquatum objectum, quod interdictum naturale respiciebat. Multò concinniùs loquitur Grotius, *revera non mutari jus naturæ, quod immutabile est, sed rem, de qua jus naturæ constituit, quæq; mutationem recipit. Quemadmodum extrinsecè per mutationem alterius, per mortem scilicet filii pater desinit esse pater, nec in se tamen quicquam mutatur, quamvis videatur. Dn. Ziegl. ad h. l.* Quinta distinctio est inter jus naturæ & non assistentiam juris civilis, quæ illud vult, quasi juris naturalis obligatio possit à jure civili annihilari sive suspendi. Sed & hîc non fit mutatio in jure naturæ, sed extrinsecus in objecto. Quod usucapionis difficultatem attinet, illam satis paulò antè in argumento eminentis dominii expedivimus. Ita quòd pupillus habeat condictionem, id eò venit, quoniam majestas omne obligans utrinque commercium cum his personis sine authoritate tutorũ civibus interdixit, ut totus actus cum pupillo celebratus ab initio nullus sit, non verò demum ex postfacto jus naturale mutetur. Idem sit judicium de fœminarum intercessione. Τὸ *κύριον* enim tam in subditorum actiones, quàm in eorundem res eminentius habet dominium, quorum virtute suspendere & sufflaminare omnia potest, quæ in

Reip.

Reip. detrimentum videntur vergere. Nec per illam determinationem vel minimum in jure naturę mutatur, ſed antecedenter adimitur contrahendi atque obligandi facultas, hoc modo. Jus naturale præcipit, ut ſerventur pacta. Mulier, interceſſionem non ſervans, non peccat contra jus naturæ, quia revera pepegiſſe non videtur, deſtituta legitima contrahendi potentia, quam majeſtas ipſi ademit. Et ita non tam poteſt dici non ſervaſſe pacta, quàm omnino pepegiſſe nihil. Sic etiam ſe res habet de nudo pacto. Jure naturæ ex pacto quidem efficax eſt actio, ſed eo demum, quod animo ſe obligandi initum eſt. Quæ quæſtio cùm ſit mentis, & latam litibus viam ſternat; ecce tibi majeſtatem, quæ certas contrahendi formulas introducit, ex quibus poſſit ille animus æſtimari. His verò deficientibus, præſumitur non adfuiſſe obligandi propoſitum: Et non ſervantur pacta nuda ideo, quia non videtur contrahendi voluntas adfuiſſe. Ceſſatio repetitionis, quòd innocenter condemnatus ſolvit, in dominio eminente fundamentum habet: Legislator boni publici causâ victo adimit dominium rei, & adjudicat victori. Sicuti ex eodem principio Hahnius alio loco defendit rem malè judicatam ſecundùm acta & probata; huc inſuper refer læſionem ultra dimidium. Quæ omnia & ſi quæ ſunt ſimilia jus naturæ non alterant, ſed in ſe quandam mutationem contrahunt, & deſinunt eſſe verum juris naturalis objectum. Atque nunc ſingulas examinavimus Hahnii diſtinctiones, quas omnes ſi quis inter ſe conferre velit, inveniet non tantùm malè cohæ-

rere, sed & sibi ipsis esse multum adversas. E. gr. in prima distinctione dicit, jus naturæ esse immutabile quoad essentiam, non verò quoad notitiam. Quæ si vera sunt, cur in sequentibus jus naturæ quoad essentiam certo modo mutabile aut immutabile facit? In secunda distinctione ait, posse mutari jus naturæ per additionem, licet non per detractionem. Subsumo, si mutari per detractionem nequit, cur in distinctione quinta ob non assistentiam civilis legis mutationem etiam per detractionem concedit. Sed tempus est, ut tandem absurditates has porrò persequi desinam, quæ eruditiori palato non nisi nauseam concitant.

§. 11. *Pro certo rerum statu.*] Quatenus scilicet objectum juris naturæ consistit in ordine & relatione ad aliud quid. Sic privata vindicta præsupponit cessationem judiciorum, honor debitus parentibus relationem filii & patris.

Quod animantibus.] Rejecerunt hoc jus naturale brutis competens, quicunq; cum jurisprudentia solidam Philosophiæ severioris usum conjunxere. Loco omnium autem esse potest *Joh. Frider. Hornius de subject. jur. natur.* Dignissimus lectione est hic libellus, quia præter hanc controversiam multa ibi invenies, quæ ad notitiam juris naturæ pleniorem facere possunt.

Impropriè.] Quicunque Authores jus naturale brutis impropriè competere statuunt, illi planè negant, eis competere. Quoniam quod impropriè dicitur de aliqua re, illud de ea non dicitur, sicut risus de prato; quoniam pratum non ridet.

Sint

Sint nobis communes.] Communes illi brutorum actus cum quibusdam noſtrûm, occaſionem dedere diſtinctioni inter jus materialiter & formaliter conſideratum. Nimirum omnia excogitaverunt Treboniani Clientes, quæ quocunque modo poſſent ſuſtinere aliquod in brutis jus. Quòd ſi autem his fortiora non habent, tam grande poſtulatum vix obtinebunt. Neminem adeò ſtupidum & infantem exiſtimare debebant, ut propter obſcuram aliquam diſtinctionem interiori cogitationi ſuperſederet, & actus brutorum communes jus reputaret. In omni morali actione duo concurrunt: 1. Actio phyſica, quæ ipſis dicitur materiale: 2. Formale, ſeu convenientia cum lege aut ab eadem diſceſſus, quæ convenientia aut diſceſſus ſpecificat actionem naturalem, & certa qualitate morali induit. Sic in homicidio materiale eſt ſublatio manus & percuſſio, formale discrepantia cum lege. Materiale, id eſt, actum quendam naturalem, nemo brutis negabit, formale verò, i. e. convenientiam moralem ipſi non concedunt, & eo ſimul volentes nolétesque jus adimunt, cùm forma demum rem ſpecificet, & actio naturalis, quæ cædem facit, abſque ſua regula & formali convenientia non magis ſit actio moraliter mala, quàm edere aut bibere. Inconveniens igitur & abſurda eſt locutio, quæ jus aliquod materiale facit. Ignorata hactenus ſine ullo diſcrimine fuit diviſio juris in materiale & formale. Jus quicquid eſt, forma & regula eſt, quæ omnem reſpuit materiam.

§. 12. *Cum natura rationali aut ſociali.]* Quæ deinde ulteriorem normam petit à ſancti-

tate & justitia divina; ut jam satis explicavimus.

§. 14. *Civile est.*] Notanter dicit Grotius à potestate civili. Nam ferendi leges potestas præcipuum jus majestatis est, imò inter illa connumerandum, quæ per se immediatè Princeps exercet, nec facilè ut aliud potestatis vel dignitatis exercitium aliis concedit. *Conf. Johan. Frider. Horn. de Civit. lib. 2. cap. 7. thes. 4. & nos infrà cap. 3. h. libri.*

Est autem civitas.] Congruum est genus cœtus: quippe consideratur hîc civitas non ut abstrahit à materia vel forma, sed ut utrumque complectitur. Hoc conceptu civitas non tam ordo est, quàm multitudo hominum ordine civili instructa. Ordo est genus Reip. quà formam civitatis sustinet. At genus accidentis in descriptione subjecti generis locum non implet. Constat autem cœtus ille societatibus tam simplicibus quàm compositis. De quibus politicos consuluisse non pigebit. *Vid. Joh. Frider. Horn. de Civit. lib. 1. Nos quoque quædam in lib. 2. de hac materia.*

Gentium omnium aut multarum voluntate.] Pervulgata est scriptorum opinio, Gentium jus præsumpto tacitoq; populorum, si non omnium, saltem moratiorum consensu introductum vim obligandi cepisse. Ita enim Grotius noster *in Prolegom. Quod ex certis principiis certa argumentatione deduci non potest, & tamen ubiq; observatum apparet, sequitur, ut ex voluntate libera ortum habeat.* Et rursus, *inter Civitates aut omnes aut plerasq; ex consensu jura quædam pacta esse*, statuit. Idem hôc §. 14. repe-

repetit. Sequitur commune concluſum cum aliis infinitis *Dominus Hahnius ad Weſ. de J. & J. num. 14.* dum jus gentium definit, *quòd gentes uſu exigente & neceſſitatibus humanis conſtituerunt.* Et paulò pòſt illud non inter omnes, ſed ferè omnes gentes obſervari tradit. Sed cùm alii viri eruditi animadverterent, conſenſum gentium tacitum adulterinum fictitiumq; imaginantis cerebri fœtum eſſe, multi eorum in eas delapſi ſunt cogitationes, quaſi nullum in natura rerum exiſteret verè talę jus, ſed omnes omnino controverſias, quæ populis invicem intercedunt, aut jure naturæ, aut conſuetudine quadam, uſu vel expreſſo conſenſu recepta judicarentur. Quæ conſuetudo poſſet quidem latè jus gentium dici, vim tamen nullam obligationis haberet extra eos, apud quos recepta eſt, & contraria voluntate rectè mutaretur. Nobis quid in argumento tam nobili animi ſit, nunc aperiendum eſt. Eſt enim hic ille locus, ad quem toties in Prolegomenis provocavimus. Equidem unicum in tacita voluntate omnis juris gentium fundamentum ut quærerem, hactenus mihi imperare non potui. Videbam interim actus quosdam publicos gentibus, quà gens ſunt, intercedere, itaque credere cogebar, illos ad aliquam regulam dirigendos eſſe, quia æquabili ſemper tenore procederent, aliam verò præter jus gentium inveniebam nullam. In tacito conſenſu obligationem non quæro, quoniam ille eſt commentitius, nec univerſalis, nec perpetuò obligans. Eſt imaginarius, quia nullis temporum vel hiſtoriarum monumentis unquam eſt proditum,

gentes aliquando in certa pacta & conditiones conveniſſe; Producant quæſo tabulas, in quibus conventiones illæ populares deſcriptæ ſunt, & aſſenſum noſtrum ultrò præſtabimus. Sed impoſſibilis erat conſenſio illa omnium gentium, quam prætendunt. Si tam vera eſt, ut eſt probabilis quorundam ſentétia, poſt diluvium demum gentes cepiſſe, cùm perpetuis familiarum auctibus regna conderentur, homines primùm in varia loca diſperſi ſine ullo pacto obligatorio à ſe invicem recedebant, quærentes ſibi commodas habitationes. Quibus deinde multiplicatis & in omnes mundi angulos abeuntibus, fieri non poterat, ut generale aliquod convocaretur concilium, deliberationis rerum publico conſenſu ſtabiliendarum causâ. Si tacitum conſenſum urgent, ego reſpondeo, unde ille profluxerit? An ex cogente aliqua & morali neceſſitate, an verò ex liberrimo arbitrio? Si illud: Nobis cum illis convenit, præſupponit enim hæc opinio aliquod fundamentum, quod ſequitur præſumptus conſenſus. Sin hoc, (ut facit Grotius & plerique alii) tam liberales eſſe non debebant Moraliſtæ fingendo tacitum conſenſum in præjudicium aliorum. Aliàs in juris quęſtione, quando quis tacitè conſenſiſſe videatur? non uno modo diſtinguitur. Vel enim agitur de commodo alicujus, & conſenſus adhibitus videtur, niſi contrarium appareat: Vel incommodo & præjudicio, & aut nullum factum adeſt, quo tacita voluntas colligi poſſit, & illa præſumi non debet, vel acceſſit aliquod, & plerunque præſumitur. *Conf. Hahn. ad Weſemb. de Pact. & Grot. lib. 2.* cap. 4.

cap. 4. thes. 3. 4. 5. 6. ibidemq; Dom. Ziegl. & nos ipsos. Fiat ad præsens institutum applicatio. In multis publicis gentium actibus non tam de utilitate quàm præjudicio alterius partis agitur. Destinetur splendida legatio ad Principem aliquem, quæ incertis & obscuris de causis in suspicionem venit, quòd non tam missa sit amicitiæ quàm seditionis & corrumpendorum subditorum causâ. nec tamen liquidò de voluntate mittentis constat. Hîc jus gentium præcipit, ut admittatur, & ne violetur. Ille Princeps, ad quem tendit legatio, continua sollicitudine fluctuat, atq; sagacissimâ providentiâ omne periculum arcet. Melius interim ipsi foret & securius, planè eandem non recipere, nisi moralis quædam coactio juberet admissionem; quæ si cessaret, non deberemus tacitam Principis admittentis voluntatem præsumere, quando non exiguum ejus in hoc negotio periculum versatur. Pari modo ille consensus non est universalis. Non operosi ad hoc probandum erimus, quoniam ipsi scriptores fatentur sufficere consensum moratiorum gentium. Animadvertebant enim universalem nunquam fuisse adhibitum, propter moralem, quæ aderat, impossibilitatem. Ego tamen necessarium juris gentium requisitum existimaverim, ut omnes gentes obliget, sicut præcepto juris naturæ universi homines, juris civilis, quotquot cives sunt, obligantur, ita quoque juris gentium scitis, omnes gentes, quà gentes sunt, & non tantùm moratiores, subjiciuntur. Sufficerent aliàs naturalia & civilia jura, & transgressor juris gentium ad pœnam deposci non posset, qui con-

sensum suum adhibitum negaret. Præclarè *Clariss. Dn Joh. Frid. Hornius de Civit. l. 1. c. 9. thes. 11.* scribit: *Si consensus hoc jus producit, mihi quidem indubitatum est, paucas admodùm gentes jure hoc uti. Sed illud quoq; satis certum est, verò gentium jure teneri omnes populos, etiam barbaros, de quorũ voluntate contraria testantur facta. Jura legationum inviolabilia habenda sunt etiam feris nationibus, non quia consenserunt, sed quia sanctimoniam missorum violare non debent.* Et paulò pòst. *Attendenda est obligationis universalitas, quæ ex intimis visceribus Rerump. petenda est. Nisi omnibus populis normam daret jus gentium, frustra essent, quotquot illud allegarent, quum vel naturale vel civile sufficiat, vel aliquod singulare pactum paucarum Civitatum: cùm interim certissimum sit, jus naturale omnes homines, jus civile omnes subditos, jus gentium omnes populos inter se obligare.* Concesso tamen, quod concedendum non est, omnes aliquando populos convenisse de certis quibusdam actibus, illæ conventiones & pacta nec successores, nec illos, qui novissimè in gentem evasere, ulla ratione obstringere poterunt. Principes antecessorum placita indistinctim servare non tenentur, nec conventionibus cum extraneis subjacent, nisi & ipsi specificum adhibuerint consensum. Da mihi Remp. quæ justo bello subacta in alterius cessit imperium. Victor sanè pauciſſima pacta, quæ Remp. devinciebant, observabit. Et quod magis stringit. Populus aliquis, v. gr. Romanus ex pastoritia feritate in gentem sive Remp. coaluit, an cujus in

prima-

primario illo congressu nec nomen nec forma extitit, consensum adhibebit, quem nunquam largitus est? idque ex liberrima voluntate nulla intrinseca ratione urgente? Deinde etiam immotum fundamentum est, quod mutuo consensu placuit, dissensu mutuo dissolvi posse. Verùm perpetuitas & immutabilis natura juris gentium haud dubiè efficacius vinculum & antiquiorem consensu obligationem inducit. *Si hoc jus*, (inquit laudatus Hornius (*a*)) *est obligatorium, & coactivè quidem, ut omnes populos adstringat ad observationem aut pœnam, necessum est, id à nudo & solo consensu non pendere, eam ob causam, quòd populi non cogantur semper & perpetuo eundem consensum, quem liberum habuerunt, quem nullum obligatorium vinculum ob necessariam rationem determinat, servare ac retinere. Consentiunt in illa, quæ commoda in aliis Rebusp. deprehendunt, sed ad perpetuam obligationem haud adstringuntur.* Et hæc sunt, quæ tacitum gentium consensum ab obligatione excludunt. Videmus interim actus publicos inter gentes populosque usitatos, quæ quoniam secundùm suam rectitudinem uniformiter semper se habent, normam aliquam necessariam præsupponunt, cui applicantur. E. gr. Apud omnes gentes nomina legatorum sancta habentur, & illorum violatio severissimam expectat pœnam. Nemo sine præsentissimo supplicio fœdera pacemque rumpere audebit, & quæ sunt alii gentibus familiares actus, qui regulæ publicæ conformantur: quæ quoniam ex consensu

(*a*) de Civit. l. 2. c. 8. thes. 4.

obligationem rejicit, aliud inquirendum fundamentum relinquit vinculi illius obligatorii. Qua in re ut feliciter procedamus, liberandum ante omnia erit gentium jus ab æquivoco & ambiguo sensu, qui multis non sufficienter distinguentibus sæpius imposuit. Familiare Authoribus est, receptam inter quosdam populos consuetudinem dignari juris gentium nomine. Verùm hæc atque talia neque alios, qui non consensere in consimilem observationem, obligare, & insuper mutua contrahentium voluntate aliter constitui vel planè abrogari possunt. Causam abusivæ denominationis Clariss. Joh. Frid. Hornius (*a*) oscitantiæ scripturientium assignat. *Usu venire non infrequenter solet*, inquit, *ut in rebus difficilioribus, quarum abscondita ratio post intimas penetrationes demum patet, investigandis, quasi redimendi temporis causâ vel compendio certo ad jus gentium, aliquando jus naturale recurratur: sed hoc vulgari suffugio aut prætextu in omnes casus comparato plurima inexplorata relinqui, & non ignobilia argumenta ignorari haud difficulter persuaderi possem. Quatiescunq; negotii civilis natura ex suis principiis asserenda, quoties difficilioris alicujus juris veritas & prima stratebra demonstranda est, jus gentium allegatur, cujus aspectu superstitiosa credulitate percelluntur interdum animi, ut curiosiori perscrutationi supersedeant, & visa interim pro compertis acceptent. Quod sicut prima facie pronam apertamq; causarum cognitionem præ se fert, & ambitiose pollicetur, ita in progressu, ubi*

(*a*) de Civit. l. 2. c. 9. thes. 11.

ubi connexio & consonantia jurium, ut ultima primis respondeant, quaritur, inextricabiles difficultates & conclusionum confusas aut adversas invicem illationes incondito partu solet producere. Hucusque ille eloquenter & jucundè, ut solet. Propriè jus gentium dicitur, *quod in se mutuam continet obligationem. In se*, ajo, *mutuam obligationem*, i. e. antecedentem omnē liberum populorum consensum, ita ut gentes hoc vel illo modo agere teneantur, non quòd consenserunt, sed quia intima ratio & contextus Rerump. id requirit. Nam quæ ex indeterminata voluntate proficiscuntur, verum jus gentium esse nequeunt, cùm omnis juris natura & virtus posita sit in obligatione: consensus autem libertatem præsupponat, ita ut potuerint etiam non convenire, id quod oppidò juri gentium repugnat. Ita acceptum jus gentium definimus cum Dn. Hornio, (a) quòd sit *Regula quædam actuum publicorum, qui diversis gentibus, quà gens sunt, intercedunt, dirigens populorum ad invicem operationes in communem justitiam & omnium tranquillitatem.* Regula dicitur, quia jus gentium participat essentiam juris, ut abstrahit ab omni specie. Jus autem in genere est regula, quare & jus gentium. Est verò regula actuum publicorum, qui gentibus intercedunt, quà gens sunt. Hi enim actus sunt objectum hujus juris. Non verò omnino omnes actus publici hûc pertinent, sed quatenus se ad aliam gentem referunt. V. gr. convenerat inter quasdam gentes, ut capti in bello fierent servi. Captura hostis erat

(a) de Civit. l. 2. c. 2. thes. 6.

erat actus quidam publicus, non tamen objectum juris gentium, quoniam quæ hoc jure constituta sunt, immutabilia sunt, & sine læsione alicujus Reip. abrogari nequeunt. At verò inter Christianos servitus absque ullis exterorum querelis exulare jussa est. E contra pacis fœderumque ruptura, violatio legatorum, &c. sine injuria alterius Reip. fieri nunquam potest, quoniam hi actus contra verum gentium jus commissi perpetuum alterius Reip. respectum inferunt. Simile judicium sit de moneta & variis contractibus, qui juri gentium adscribuntur, propterea quòd apud gentes plerasque observantia æqualis in his deprehenderetur. Ad genuinum autem & legitimum jus gentium non pertinent, cùm nullum ad alium populum respectum ponant, & pro lubitu imperantium abrogari vel mutari apta sint, idque sine damno alicujus Reip. Verum itaque & unicum objectum juris gentium sunt *actus publici, qui ponunt aliquam inter gentes mutuam relationem, & gentibus intercedunt, quà gens sunt.* Ex quibus omne, quod ad hoc jus pertinet, facilè judicari & probari poterit. Nam quicquid vincula Rerump. non lædit, id nec contra jus gentium factum esse tutò concludimus. Atque in hoc objecto quærendum est fundamentum obligationis juris gentium. Consensum tacitum suprà rejecimus. Tenentur enim omnes gentes huic regulæ convenienter agere, non quòd sibi ipsis hanc legem dixerint, sed quoniam aliter planè agere nequeunt, nisi velint turbatores publicæ quietis & invasores alieni juris audiri. Itaque res ipsa, circa quam actus illi publici occu-

occupati ſunt, ita comparata eſt, ut reſpectum ad aliam gentem habeat, lædatq́; aliquam Remp. quod huic juri adverſatur, quo ipſo datur gentibus poteſtas vindicandi aut arcendi illatam injuriam. Si dicis, nudum objectum per ſe nullam obligandi virtutem habere: objiciam tibi jus naturale. Suprà abundè vidimus, in objecto latere fundamentum obligationis juris naturalis, quod illud ejusmodi ingenium habeat, ut actiones vel moraliter bonas vel malas reddat. Eodem omnino modo ſe res habet in jure gentium. Quodcunque huic juri repugnat, illud nexum Rerump. ſolvere, & imperantium ſanctimoniam corrumpere videtur, cùm juris gentium natura ſit tota, ut diximus, relativa. Quoniam verò deſtructio Rerump. animum hoſtilem arguit, per ſe ad oculum ſatis patet, cuique Reip. jus eſſe, vim vi illatam repellere, & publicæ tranquillitatis vincula ultricibus armis tueri. Illud inſuper notandum, omnia juris gentium effata ex naturæ jure per diſcurſum & concluſiones derivari poſſe. Sed tamen non omnia hûc trahenda ſunt, de quibus interdicit naturæ jus, verùm in quantum aliquam ad ſocietatis civilis patiuntur applicationem. Quare juris naturæ quidem præceptum eſt, Deum eſſe amandum, colendum, neque maledictis afficiendum. Parentes eſſe honorandos &c. Sed transgreſſor contra jus gentium non peccat. Puniri quidem poteſt, ſed non tanquam violator juris gentium. At horum præceptorum, fidem eſſe ſervandam, neminem lædendum, ſuum cuique tribuendum, eximiæ ſunt in jure gentium concluſiones, hæ ſcilicet. Fœdera etiam

eſſe

esse servanda, nec legatos violandos. Et sic deinceps. Unde simul patescit, ex certissimis principiis hoc jus oriri, contra quàm Grotius putavit, & legitimis illationibus facilè cognosci posse. Quæ hactenus tam de nexu Rerump. indissolubili, quàm deductis ex principiis naturalibus conclusionibus dicta sunt, confirmat egregiè subtilissimus *Suarezius de Legib. l. 2. c. 19. n. 9. Ratio*, inquit, *hujus juris* (sc. gentium) *est, quia humanum genus quamvis in varios populos & regna divisum semper habet aliquam unitatem, non solùm specificam, sed & quasi politicam & moralem, quam indicat naturale præceptum mutui amoris & misericordiæ, quod ad omnes extenditur, etiam extraneos & cujuscunque nationis. Quapropter licet unaquæq; Civitas perfecta, Resp. aut regnum, sit in se communitas perfecta & suis membris constans, nihilominus qualibet illarum est etiam membrum hujus universi, prout genus humanum spectat. Nunquam enim illæ communitates adeo sunt sibi sufficientes singulatim, quin indigeant aliquo mutuo juvamine & societate ac communicatione, interdum ad melius esse, majoremq; utilitatem, interdum verò OB MORALEM NECESSITATEM. Hac ergo ratione indigent aliquo jure, quo dirigantur & rectè ordinentur in hoc genere communicationis & societatis, & quamvis magna ex parte hoc fiat per rationem naturalem, non tamen sufficienter & immediatè quoad omnia, ideoq; specialia jura potuerunt usu earundem gentium introduci. Nam sicut in una civitate vel provincia consuetudo introducit*

jus,

jus, ita in universo genere humano potuerunt jura gentium moribus introduci; & vel maximè, quòd QUÆ AD HOC JUS PERTINENT, JURE NATURALI VALDE SINT PROPINQUA, ATQUE FACILLIMAM AB EO HABEANT DEDUCTIONEM. Hucusque nos quidem de vera juris gentium ratione & fundamento obligatorio. Neque tamen dum hæc disputavimus, omnem gentium consensum excludimus, sed omninò tacitum aliquem præsumimus, verùm magis à posteriori quàm priori; hoc modo, ut quoniam indoles actuum publicorum gentium se referat ad invicem, censeri etiam debeant omnes gentes voluisse actiones suas & mores regulæ illæ communi & sociali congruentes reddere, idque vel maximè ideo, quoniam aliter sine certissimo supplicium metu agere nequeunt. Et hac ratione consentiunt gentes in jus gentium *non motu effectivo*, ut ipsi aliquid sanciant, *sed parendi necessitate*, quia nolentes volentes sic vivere tenentur. Eo ipso enim, quo gentes sunt, se juri gentium summittunt, sicut omnes, qui Reip. alicui accedunt, præsumuntur velle juxta leges & civilia instituta agere. Atque sicut hos, sicubi in ordinem Civitatis publicum peccaverint, ipso facto forum sortiri & suppliciis subjacere diximus, ita etiam juris gentium violatores commune auxilium coërcet. Et quemadmodum in aliquo incendio in Civitate quadam coorto omnes non solùm vicini, sed & alii cives concurrunt ad extinguendum ignem, ita etiam contra attentatam publicorum nexuum dissolutionem,

quibus

quibus Resp. invicem colligantur, justum piumque bellum geritur ab omnibus gentibus, & sanctissimo proposito communia vincula communi concursu conservantur. Consensus itaque tacitus hic præsumitur non tanquam principium aliquod efficiens, sed ut necessarium consequens. Præclarè *Dn. Ziegl. ad hunc §. Constituerunt autem*, ait, *jus gentium, inter se omnes aut multas gentes non fortuitò, aut altera alterius imitatione, sed QUASI EX COMPACTO. Non quòd convenerint, ut legem scriberent, sed quòd utilitas & NECESSITAS consensumpleraruma omnium provocaverit & obtinuerit.* Quo sensu etiam explicari poterit, quod dicitur in §. 1. *I. de J. N. G. & C. usu exigente & humanis necessitatibus gentes humanas jura quædam sibi constituisse.* I. e. à posteriori coactas fuisse consensum suum adhibere, & id feciisse præsumi debere. Nisi quis velit ad jus gentium impropriè sic dictum, quod sine perpetua & universali obligatione ex libera voluntate inter aliquos non ita multos populos tempore & usu introductum est, hæc verba referre. Denique in definitione suprà data continetur officium etiam & finis juris gentium. Qui est, *dirigere populorum adinvicem operationes in communem justitiam & omnium tranquillitatem.* Nam in gentium jure nihil, nisi quod honestatem & bonitatem quandam moralem sapit, invenitur. Favet virtuti, & vitium exterminat, ut quidam loquitur. Idcircò si ad hujus præscriptum singulæ semper gentes viverent, sine dubio orbis terrarum tam infandis & sanguinolentis bellorum motibus

non

non concuteretur. Si injustè oppressum aliæ gentes mutuo juvamine ab impia violentia defenderent, & severissimâ vindictâ commissum scelus vindicarent, metus parilis supplicii cæterorum immoderatas cupiditates castigaret, & tranquillioribus indueret cogitationibus. Plutarchus Solonem dixisse refert, illam demum Civitatem vera felicitate frui, ἐν ᾗ τῶν ἀδικημένων οὐχ ἧττον οἱ μὴ ἀδικούμενοι προσκάλλονται καὶ κολάζουσι τοὺς ἀδικοῦντας, *in qua non minùs illi, qui injuria nulla affecti sunt, quàm ipsi oppressi invadunt puniuntq; maleferiatos homines.* Et Aristoteles: δεῖ τοὺς ἀδικουμένους ὑπὲρ ἑαυτῶν πολεμεῖν, ἢ ὑπὲρ συγγενῶν, ἢ ὑπὲρ ἑυεργετῶν, ἢ συμμάχοις ἀδικουμένοις βοηθεῖν. *Oportet injuriam passos bellum gerere aut pro sè ipsis, aut pro consanguineis, aut pro beneficis, itemque sociis injuria affectis auxiliari.* Cicero etiam: (a) *Qui non defendit nec obsistit, si potest, injuria, tam est in vitio, quàm si parentes aut patriam aut socios deserat.* Et alibi: (b) *Communis utilitatis derelictio contra naturam est, semper officio fungitur utilitati hominum consulens & societati.* Aurei sunt Menandri versus.

Injuriarum si improbis auctoribus
Reponeremus ultionem singuli,
Nobis putantes fieri, quod fit alteri,
Inter nos junctì conspiratis viribus.
Non pravaleret innocentiæ impetus
Audax malorum: qui custoditi undiq;
Jussiq; pœnas, quas merentur, pendere,
Aut nulli penitus essent, aut pauci admodùm.

(a) 1. Offic.
(b) 3. de Offic.

Adjungendum coronidis loco. Sicut juris naturæ duo imprimis attributa sunt, immutabilitas & evidentia; ita etiam jus gentium immutabile & evidens esse. Est immutabile, non simpliciter, ut jus naturale, sed ratione Rerump. ut, quamdiu hæ durant, illud etiam omninò durare debeat, quoniam ipsa socialis ratio & Rerump. intima natura ejusmodi sacrosancta vincula strictissimosque nexus inferunt, quæ violare in neutrius gentis potestate est, cùm neutra talia copulaverit, & sine injuria omnium populorum solvi nequeant. Quod si autem aliquando contingeret, ut gentes esse desinerent, simul jus gentium concidere necesse esset, quia sublato subjecto, cui jus tanquam accidens inhæret, ipsum jus gentium cessaret, utpote quod extra subjectum suum propria virtute subsistere nequit. Unde & illud sequitur, antequam ceperint esse gentes, i. e. populi in Remp. concinnati, jus gentium in natura rerum non fuisse. Evidentia autem inde profluit, quòd & conclusiones contineat ex principiis practicis deductas, & facillimo negotio cognosci possit relativa illa indoles Rerump. ad invicem. Et hæc quidem de gentium jure. Quæ quamvis videantur solitam animadversionum mensuram exiisse, uberrima tamen & nobilis materia excusationem facilè impetrabit, cùm maximè solùm necessaria, & ut sic dicam substantialia hîc adducta sint, & totius rei pleniſſima elaboratio singulare opus postulet. Quod utinàm tam facilè præstitisset, quàm promisit Johan. Fridericus Hornius. Procul dubio multa eximia & utilissima inde liceret colligere, quæ

ad

ad verum juris gentium intellectum pertinent.

Quod alibi non est.] Imò hæc potiùs nota est infallibilis, actus ejusmodi ad jus gentium propriè sic dictum non pertinere. Ut jam demonstravimus.

§. 15. *Quod nimiùm indistinctè.]* Nam de jure naturali id verum non est. Cùm illud sit antecedenter immanens omnem Dei voluntatem liberam.

§. 17. *Lege fit.]* Aliud est fieri lege permissionem, & aliud permissionem esse legem. Hoc suprà negavimus, in §. 9. Illud sano sensu concedi potest. Cùm plerunque illæ leges, ut ita loquar, permissivæ habeant aliquid etiam positivi, seu regulam aliquam. Quando scilicet id, quod permittunt, limitant, restringunt, ampliant. Quæ concomitantia normam quandam inferunt.

Facti nudi.] Permissio facti nudi impropriè permissio dicitur, cùm nihil aliud significet, quàm id non impedire, quod possis, licèt non debeas. Hoc sensu Deus permittit peccata, Magistratus actus subditorum indifferentes.

Aut plena est.] Quando scilicet aliquid permittitur, quod intrinsecè malum non est, sed indifferens ante specificationem.

Minùs plena.] Cùm res permissa habet aliquid moralis mali, & sic saltem quoad externam impunitatem licitè fieri potest, conscientiam tamen gravat, & apud Deum in genere licitorum non est. Neque tamen, cùm tale quid Magistratus permittit, aut licitum id fit, aut Magistratus malum vitiumque procurat, sed tole-

Adjungendum coronidis loco. Sicut juris naturæ duo imprimis attributa sunt, immutabilitas & evidentia; ita etiam jus gentium immutabile & evidens esse. Est immutabile, non simpliciter, ut jus naturale, sed ratione Rerump. ut, quamdiu hæ durant, illud etiam omninò durare debeat, quoniam ipsa socialis ratio & Rerump. intima natura ejusmodi sacrosancta vincula strictissimosque nexus inferunt, quæ violare in neutrius gentis potestate est, cùm neutra talia copulaverit, & sine injuria omnium populorum solvi nequeant. Quod si autem aliquando contingeret, ut gentes esse desinerent, simul jus gentium concidere necesse esset, quia sublato subjecto, cui jus tanquam accidens inhæret, ipsum jus gentium cessaret, utpote quod extra subjectum suum propria virtute subsistere nequit. Unde & illud sequitur, antequam ceperint esse gentes, i. e. populi in Remp. concinnati, jus gentium in natura rerum non fuisse. Evidentia autem inde profluit, quòd & conclusiones contineat ex principiis practicis deductas, & facillimo negotio cognosci possit relativa illa indoles Rerump. ad invicem. Et hæc quidem de gentium jure. Quæ quamvis videantur solitam animadversionum mensuram exiisse, uberrima tamen & nobilis materia excusationem facilè impetrabit, cùm maximè solùm necessaria, & ut sic dicam substantialia hîc adducta sint, & totius rei plenissima elaboratio singulare opus postulet. Quod utinàm tam facilè præstitisset, quàm promisit Johan. Fridericus Hornius. Procul dubio multa eximia & utilissima inde liceret colligere, quæ

ad

ad verum juris gentium intellectum pertinent.

Quod alibi non est.] Imò hæc potiùs nota est infallibilis, actus ejusmodi ad jus gentium propriè sic dictum non pertinere. Ut jam demonstravimus.

§. 15. *Quod nimiùm indistinctè.]* Nam de jure naturali id verum non est. Cùm illud sit antecedenter immanens omnem Dei voluntatem liberam.

§. 17. *Lege fit.]* Aliud est fieri lege permissionem, & aliud permissionem esse legem. Hoc suprà negavimus, in §. 9. Illud sano sensu concedi potest. Cùm plerunque illæ leges, ut ita loquar, permissivæ habeant aliquid etiam positivi, seu regulam aliquam. Quando scilicet id, quod permittunt, limitant, restringunt, ampliant. Quæ concomitantia normam quandam inferunt.

Facti nudi.] Permissio facti nudi impropriè permissio dicitur, cùm nihil aliud significet, quàm id non impedire, quod possis, licèt non debeas. Hoc sensu Deus permittit peccata, Magistratus actus subditorum indifferentes.

Aut plena est.] Quando scilicet aliquid permittitur, quod intrinsecè malum non est, sed indifferens ante specificationem.

Minùs plena.] Cùm res permissa habet aliquid moralis mali, & sic saltem quoad externam impunitatem licitè fieri potest, conscientiam tamen gravat, & apud Deum in genere licitorum non est. Neque tamen, cùm tale quid Magistratus permittit, aut licitum id fit, aut Magistratus malum vitiumque procurat, sed tole-

rat majoris incommodi vitandi causâ. Et voluntas Magistratq non habet immediatum objectum malum, sed permissionem mali. Ut id pluribq deducit *Dn. Ziegl. h. Conf. Dn. Hahn. ad Wes. de Consub. n. 3. ubi tres gradus permissionis hujus facit.*

Fructuum decima.] Hoc rectè rejicit Dn. Ziegl. h. Debentur quidem alimenta & salaria Sacerdotibus aliisque personis, quæ in rebus sacris occupantur pro præstito officio. Quantitas verò, i. e. an decima, vel octava aut etiam vicesima pars præstanda sit, id imperantis arbitrio relinquitur. Neque decimarum præstatio quicquam in se moralitatis habet, ut ab iis sine vitio recedi nequeat, *Conf. h. omn. Ziegl.*

CAPUT II.

AN BELLARE UNQUAM JUSTUM SIT?

§. 1.

Quæ illis primis præferenda.] Equidem recta ratio & honestum propositum bonitati morali conveniens, corpore & naturali sui amore potiùs, nequaquam tamen hæc contemnenda aut more Stoicorum torquenda sunt. Arctissimam enim corpus cum anima habet harmoniam, adeò, ut huic bene esse non possit, nisi & illud rectè colatur. Ideoque honestæ voluptates, quibus corpus nostrum gaudet, non nisi demens rejecerit. Omnia à Deo hominis bono creata sunt, & rectè in usum ejus cedunt, si modus & honestas observetur. Adscribam ingeniosissimi Barclai verba in Euphormione. (*a*) *Scio*, inquit

(*a*) Part. 2. p. m. 826.

quit ille, *tantùm vitio noſtro voluptates degenerare à pulcherrimo fine. Deorum munera eſſe, ſi adhibes modum, quem plerunq; intempeſtivæ libidines corrumpunt. Neq; aliquid eſt tam molle, quo ſeveri homines ſanctè uti non poſſint. Jam verò quantum ſit corporis commercium cum animo, morborum faſtidia monſtrant & dolores, qui in perpetuam ſui contemplationem animum tenent. Itaq; demulcendus eſt tam familiaris mentis comes, hoc corpus, inquam, ut eam nobis ad ſtudiorum ſublimitatem permittat, nec occupet importuno ſodalitii jure. Mihi crede: vix in anguſtiis aut curarum ægritudine eſt literis locus, & ſapienter majores noſtri Solem omnis lætitiæ datorem Muſis præpoſuerunt. Nam ut animum nimio luxu ſolutum nervi ad ſapientiæ inveſtigationem deſtituunt; ita, niſi impetraveris veniam à corpore honeſto veluti ludo, fruſtra ſentabis conciliare animum literis, propria ſolicitudine intentum. Nullo æſtu Apollinis caleſcet injuriis hiemis apertus, & ipſe Homerus nunquam ſecuriùs Deos vulnerabat, aut pugnantem Achillem ſequebatur, quàm cùm promiſerat ad cœnam. Ideo homines ſtultiſſimos puto, qui veluti pugnarent cum natura, aſſiduis doloribus ſuorum corporum patientiam fatigant, & interim animum nolunt miſeriis ingemere, ſed eruditioni locum in mentibus quærunt, quæ tot malis plena vix ipſam ægritudinem capere poſſunt.*

Sed ipſa recta ratio.] Ulterior explicatio peti poteſt ex *l. 2. c. 20. theſ. 5.* ubi vindicta ſecundùm illa prima naturæ ſimpliciter jucunda

est; at juxta rectæ rationis dictamen variis cancellis includenda.

Primùm videndum.] Reprehendit hîc Grotium Dn. Ziegl. quòd *faciat duplicem inspectionem, cùm per unam tantùm absolvi debeat istud examen. Motus enim & impetus naturæ, quia corruptissimi sunt, nequaquam se habere posse ut normam, secundùm quam jus naturæ dijudicari queat, sed ut objectum, quod rectæ rationi tanquam norma substernitur.* Non arbitror ego Grotium voluisse belli justitiam probare ex connato illo affectu & naturali sui individui amore, sed potiùs illud dicere, bellum huic non adversari. Expressè id in sequentibus explicat, ubi asserit, *inter prima naturæ nihil esse, quod bello repugnet, imo potiùs omnia ei favere.* Quod si quis tamen urgeat, propositum Grotio fuisse justitiam belli ad jus naturæ exigere, quod in affectione naturali frustra quæritur. Respondeo, ideo etiam de hoc egisse nostrum authorem, quòd interdum abusivè jus naturæ dicatur, quicquid habet impetum aliquem & inclinationem à natura insitam. Ut igitur plenius quæstionem exhauriret, inquirere voluit, num quid sit in bello, quod juri naturæ impropriè sic dicto, sive illis naturæ primis repugnet. Non itaque timendum est, Grotium nostrum in scholam Hobbianam abiisse, cùm non obscurè rectam rationem dominam faciat & reginam, ad illos affectus rectè ordinandos. Neque, ut dixi, probat belli justitiam ex primis naturæ, sed vult eam iisdem non repugnare; id quod etiam verissimum est.

Pro materiæ diversitate.] Cui distributio-

ni

ni & Epictetus apud Gellium (*a*) adſtipulatur. Τῶν ὄντων τὰ μὲν ἐστὶν ἀγαθὰ, τὰ δὲ κακὰ, τὰ δ' ἀδιάφορα. Ἀγαθὰ μὲν ὧν αἱ ἀρεταὶ καὶ τὰ μετέχοντα αὐτῶν. Κακὰ δὲ κακίαι καὶ τὰ μετέχοντα κακίας. Ἀδιάφορα δὲ τὰ μεταξὺ τούτων, πλοῦτος, ὑγίεια, ζωὴ, θάνατος, ἡδονὴ, πόνος. i. e. *Ex iis, quæ ſunt, quædam bona ſunt, quædam mala, quædam indifferentia. Bona, virtutes, & quicquid virtutem participat. Mala, vitia, & quicquid vitioſum eſt. Indifferentia autem, quicquid inter hæc duo medium eſt. Divitiæ, ſanitas, vita, mors, voluptas, labor.*

In puncto conſiſtit.] Contingit hoc in omnibus rebus, de quibus jus naturale præcipit. Hæ enim ſuâ naturâ nullam latitudinem habent, ſed ſi vel minimùm inde diſceditur, deflectitur ad vitium.

Modò liberius habet ſpatium.] De quo intelligi debet, quod Plato in Sympoſ. de actionis rectitudine vel malitia ſcripſit. Πᾶσα γὰρ πρᾶξις, inquit, ὧδε ἔχει. αὐτὸ ἐφ' ἑαυτῷ πρακτόμενον οὔτε καλὸν οὔτε αἰσχρόν. οἷον τῶν ἡμῖν ποιεῖσθαι ἢ πίνειν ἢ ᾄδειν ἢ διαλέγεσθαι. οὐ δῆτα τούτων αὐτὸ καθ' αὐτὸ καλὸν ὄντων, ἀλλ' ἐν τῇ πράξει, ὡς ἂν πραχθῇ, τοιοῦτον ἀπέβη. καλῶς μὲν γὰρ πραττόμενον καὶ ὀρθῶς, καλὸν γίγνεται· μὴ ὀρθῶς δὲ, αἰσχρόν. οὕτω δὲ καὶ τὸ ἐρᾶν καὶ ὁ ἔρως, οὐ πᾶς ἐστὶ καλὸς, οὐδὲ ἄξιος ἐγκωμιάζεσθαι, ἀλλ' ὁ καλῶς προτρέπων ἐρᾶν. i.e. ut ipſe Gellius (*b*) reddidit: *Omne omninò factum ſic ſe habet. Neque turpe eſt, quantum in eo eſt, neque honeſtum, velut eſt, quas facimus nunc ipſa res. Bibere, cantare, diſſerere.*

I 4 *Nihil*

(*a*) Noct. Attic. l. 1. c. 2.
(*b*) Noct. Att. l. 17. c. 20.

Nihil namque horum ipsum ex sese honestum est: quale quum fieret, modò factum est, tale extitit. Si rectè honestèq; factum est, tum honestum fit. Si parum rectè, turpe fit. Sic amor non honestus omnis, neque omnis laude dignus, sed qui facit nos, ut honestum amemus.

Etiam deberi incipiat.] Et sic per legislatoris voluntatem id, quod antè indifferens erat, ut vel fieri rectè posset vel sine turpitudine omitti, ita specificatur, ut eidem indifferens & mixta indoles detrahatur, & præcipiendo aut vetando fiat morale bonum aut malum. Libera unicuique est ante legem positivam ferarum & piscium captura. Post latam autem legem prohibitivam omnes subditi arcentur.

Quæ secundo ac potiore loco.] Nam τὰ σφῶν κατὰ φύσιν non sufficiunt. Quoniam homo est animal omnium pessimum, ut ait Aristoteles, sine lege & justitia.

Non omnem vim inhibet.] Rectè: illa enim ratio socialis studet conservationi communitatis, & eandem tanquam præcipuum finem sibi proponit. Favet itaque & mediis, sine quibus ille finis obtineri non potest. Nisi resistere liceret jus alienum appetentibus, & rumpentibus, quantum in ipsis est, catenatam illam compagem, frustra appetitus socialis homini foret inditus, quem idoneis instrumentis non possemus tutari. Atque sic intelligendum est, quod dicit Grotius, *societatem eò tendere, ut suum cuique salvum sit communi ope & conspiratione.* Hinc infero. Si eò tendit societas, non poterit illa damnare legitimam vim, quæ alienis abstinens

non-

nonniſi ad jus ſuum conſervandum adhibetur. Ante omnia quidem tentandum eſt, ut amica compoſitione controverſiæ ſopiantur, quod ſi verò ferox improbitas legitimis querelis aures abſtiner, *tunc & ratio doctus, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacunq; ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent.* (a)

§. 3. *Ceſſaret actio.]* Ceſſat actio, non quòd animal ſe defendit ſecundùm juris naturæ præſcriptum, quod ignorat, ſed quoniam non datur actio de pauperie in dominum pecoris, quod ab alio concitatum eſt, ut faceret damnum, ſed potiùs contra dominum illius pecoris, quod concitavit. *Vid. omn. l. 1. §. 2. ff. ſi quadrupes paup. &c.* qui cùm hîc ipſe dominus ſit occiſi pecoris, contra ſemet actionem habere non poteſt. *In facti ſpecie,* inquit Dn. Ziegl. *quam refert Ulpianus, liberatur Dominus provocati arietis, qui ſe defenderat, non quòd injuriam ſibi illatam repulerit, ſed quia non niſi ab alio concitatus nocuerit. Nulla ergo propriè dici poteſt injuria inter bruta.*

§. 4. *Quod & gentium dici poteſt.]* Non aliter, quàm gentium vocabulo latiſſimè accepto, pro hominibus, aut quatenus eſt quaſi principium & ſcatebra juris gentium, unde hoc per illationes & diſcurſum elicitur.

Non adſiſtit quidem] Jus ſiquidem gentium pro objecto habet actus gentium, quà gens ſunt. Itaque bellum patrisf. cum populo quodam

(a) Cicer. pro Milon.

dam vel Rep.ad juris gentium regulam non pertinet, cùm illi actus extra orbem suæ jurisdictionis sint, quippe non à gente, sed patref. commissi, & ad juris naturalis præceptum examinandi. Equidem paterf. injustè Remp. invadens jus gentium lædit, at ex hoc jure judicari non potest, & incompetentiam fori rectè objicit. Sed ex delicto suo punitur non secus quàm extraneus, qui in civitate quadam contra ejus jura & instituta deliquit, ex delicto sortitur forum, & tamen vigor legum civilium ad illum, quoad obligationis efficaciam, non pertingit, sicut ad alios cives. Sic è contrario gens aliqua invadens familiam seorsim habitantem ex mera dominandi libidine, injustum quidem bellum gerit, illos verò actus non vindicat jus gentium. Nihilominus tamen paterf. rectè arcet illatam vim, idque jubente juris naturalis edicto, quod delinquentem pœna dignum judicat, quam violentia sua promeruit.

§. 5. *Non approbationem.]* Et sic scelus vindicaretur per scelus, ut aptissimè hujus sententiæ authoribus objiceretur, quod Tydareus Oresti apud Euripidem.

Ἐρήσομαί σὲ Μενέλαε τοσόνδε σε.
Εἰ τὸν δ' ἀποκτάνειεν ἀμύλικτος γυνὴ,
Κ' ὁ τῦδε παῖς αὖ μητέρ' ἀντικτείνεται,
Κἄπειτ' ὁ κείνε γενόμενος φόνον φόνῳ
Λύσει, πέρας δὲ ποῖ κακῶν προελθόντες;

I. e. *Interrogabo autem te, Menelae, istud,*
Si illum occiderit conjux mulier,
Cujus insuper filius & matrē occidet suam,
Deinde & hujus natus eadem cæde
Expiet; quo fine tandem mala stabunt?

Nam

Nam si illud de repoſcendo ſanguine magis comminationem & factum nudum, quam jus contineret, ille, qui cædem vindicat, recenti ſe etiam obſtringeret crimine, utpote legitima vindicandi facultate deſtitutus, & eædem ſubjaceret comminationi, quæ priorem ſtrinxerat, ut tandem à ſcelere fieret tranſitus ad ſcelus in infinitum usque. Quo caſu locum haberet, quod ſcribit Tyrius in diſſertatione de referenda injuria. Εἰ ὁ ἀδικηθεὶς ἀμύνεται, ἀεὶ μεταβαίνει τὸ κακὸν ἀπ' ἄλλου πρὸς ἄλλον, καὶ μεταπηδᾷ καὶ διαδέξεται ἀδικία ἀδικίαν. εἰ γὰρ τῷ αὐτῷ τούτῳ δικαίῳ τῷ παθόντι συγχωρεῖς ἐπεξιέναι εἰς τὸν ἀδικήσαντα, ἐπανεχωρεῖ αὖθις ἀπ' ἐκείνου πρὸς τὸν αὐτὸν ἡ τιμωρία. τὸ γὰρ δικαιον ἀμφοῖν ἴσον. ὦ Ζεῦ. καὶ οἷον ποιοίμεις δικαιοσύνην ἐξ ἀδικημάτων, καὶ ποῖ βαδιεῖται τὸ κακὸν, καὶ πῦ στήσεται; i. e. *Si injuriam paſſus vindicta utitur, continuò malum ab alio ad alium tranſit, & injuria injuriam excipit. Si enim eodem hoc jure concedis ei, qui injuria affectus eſt, ulciſci injurioſum, ſequitur, ut rurſus ab hoc ad illum ſe referat ultio. Jus enim utrinque eſt idem. O Jupiter! Qualem feciſti juſtitiam ex injuriis? Et quousque progredietur malum, & ubi ſtabit:* Quamobrem bene Grotius intelligit jus ſeu poteſtatem legitimam divinitus conceſſam, ad expiandam terram infando ſanguine, & metum aliis incutiendum, ut abſtinendo conſimili crimine tam ſeveram animadverſionem effugiant.

Non occides.] Prohibet hæc lex non indiſtinctè omnem cædem, ſed hominis innocentis, & deſtinatam, i. e. ex doloſo & voluntario propoſito oriundam.

Non

Non tam novit.] Hoc novi est, quòd dignationem pœnæ, quæ est ex jure naturali, certo modo determinavit, & in capitale supplicium transtulit. Ut mirer, cur Dn. Ziegl. in not. *ad h. §. 5.* asseruerit, *difficilem Grotio futuram probationem, occisionem homicida provenire ex jure merè voluntario.* Non video, cur hoc adeò difficile sit, cùm unanimi consensu à Moralistis tradatur, jus naturale per se pœnæ speciem non determinare, quid igitur obstat, quò minùs hujus specificationem soli divinæ voluntati adscribamus.

Tantundem patiatur.] Secundùm æquissimam talionis legem, ne feceris alteri, quod tibi fieri nolis. Est autem *talio* (quatenus est pœnæ species, nam & in aliis commutationibus est quædam proportionata talio: *vid. Hornej. Doctr. mor. l. 3. c. 13. n. 25*) *malum passionis, adequatum malo actionis.* Ita longè definitur accuratiùs, quam si vulgari modo dicas, talionem esse, cùm quis idem patitur, quod fecit. Dico malum passionis. Talio enim, ut nunc capimus, est pœnæ species. Pœnæ autem genus malum passionis est, quare & talio habebit idem genus. Specifica verò differentia latet in vocabulo *adequatum.* Non continuò inseparabile omnis pœnæ proprium est, adæquatio, cùm quis possit ex gratia & aliis circumstantiis minùs pati, quàm meruit, interdum & magis, ob exemplum, quia crescentibus delictis exasperandæ sunt pœnæ. Ita talio non est furti & necis: neque tamen ideo injusta pœna. Talionis autem requisitum essentiale est *adequatio*, sive, ut Græci, ob facundum

&

& uberem linguæ genium vocant, τὸ ἀντιπεπονθὸς &c. Dividitur à Scriptoribus in ſimplicem & proportionalem. *Conf. Hornej. d. l. & Dn. Hahn. ad Weſ. de J. & J.* Simplex conſiſtit in paſſione planè eadem cum actione. De qua loquitur *Gellius, l. 20. Noct. Attic. c. 1. Si membrum rupit, nicum eo pacit, talio eſto.* Et ſummus legislator *Exod. 21, 23. Redde vitam pro vita, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, uſtionem pro uſtione, vulnus pro vulnere, tumicem pro tumice.* Proportionata verò, cùm quis non idem ſpecie, idem tamen ſecundùm æſtimationem patitur, quod fecit, & hæc quidem multò frequentiorem in civili vita uſum habet præ altera, ad quam vix unquam deſcenditur, quam cùm malum actionis eſt inæſtimabile, i. e. æſtimationem comparatam non recipit. V. gr. Cædes hominis innocentis deſtinata æquivalens aliud non invenit, *quid enim non homo dabit pro vita*, quare neceſſitate morali ad ſimplicem talionem devenitur, & homicidium luitur morte. At qui alteri eruit oculum, membrum rupit, ille ſanè rariſſimè conſimilem pœnam eſt expectaturus, cùm plerunque pecunia delictum expiet. Quid quòd talio ſimplex non poſſit locum habere in omni delicto. Da mihi adulterum, qui vicini conjugialem hortum ſpurio rore irriguit, quomodo nunc talio ſimplex obſervabitur? Alio ſanè modo vix poterit, quàm ſi vir adulteratæ uxoris eodem facto contaminet thorum adulteri, quo hic ſuum. Verùm hæc pœna non ſolùm ridicula, ſed & impia eſſet & injuſta. Et ſimplex ſtuprator in ſe planè pati non poteſt,

ubi actiones civiles non tam ex principio aliquo externo, i. e. pœnarum metu, quàm intrinseco, sive ἕξει mentis procedunt. Actus enim in amore virtutis fundatus semper sui similis est, cùm is, quem direxit suppliciorum timor, quando hic cessat, tanquam rupto obice hoc licentiùs & periculosiùs exorbitet, quò rigidiori loco antea tenebatur. Sed & Princeps efficacissima virtute imperii in personam motus subditorum internos sibi obligare poterit, non quidem actu physico, ut & pœnæ subjaceant, quos animadvertere absque concomitante quodam extraneo actu impossibile est. Sed coactione morali, ut subditus suam conscientiam lædat, qui invitus ordinationi publicæ obtemperat. Obligatur itaque vi hujus imperii civis voluntas, quæ causa est actionum civilium, & regitur ad arbitrium imperantis. Faciunt ad hunc locum non parum illustrandum verba divinæ institutionis conjugalis, quibus Adamo in uxorem imperium maritale attributum est, & Evæ *voluntas* subjicitur marito, id quod cum accurata attentione intelligi debet. Non enim Deus Adamo solas actiones Evæ externas subjecit, sed & ita cogitationes etiam interiores. Atque hoc præterea omni imperio proprium, ut voluntas parentis justæ superioris ordinationi subjacet. Deinde quoniam omnis civilis societas Deum authorem habet, & ordinatio Dei dicitur, manifestum fit, Dei voluntatem esse, ut libenter, & vel propter ipsum authorem hujus institutionis pareamus, sine ullis refractariis cogitationibus. Quin & leges civiles sæpius morum integritatem ex-

preſsè requirunt. *Vid. l. 1. C. de ſecund. Nupt. l. 15. ff. de Condit. inſtit. & l. 20 C. de Furt.* Denique noſtram ſententiam validiſſimè munimus ſacræ Scripturæ teſtimonio. Præter dicta enim quædam generalia, 1. Petr. 2, 13. & Paul. ad Rom. 3, 1. 2. &c. illuſtriſſimus locus eſt & probationi aptiſſimus in cap. 3, 5. ubi Paulus, *Neceſſe*, inquit, *eſt ſubjici, non tantùm propter iram ſed & conſcientiam.* Quæſo quid hoc poſſet eſſe clarius? velut ipſe Apoſtolus hanc controverſiam in ſpecie tractaret, adeò congruis verbis utitur. Neceſſe eſt ſubjici, i. e. parere, non tantùm propter iram, i. e. metu ſuperioris & pœnæ, ſed propter conſcientiam, quoniam inobedientia & ſeditio, ut ſic dicam, interna contra innatam cujusvis conſcientiam eſt, quæ jubet ordini civili & ob ſupremum formatorem, & ob communem propriamq; utilitatem tam quoad actionum phyſicarum dexteritatem, quàm animi εὐταξίαν obedire. Rationes, quas adverſa pars pro clypeo habet, hæ ſunt præcipuæ. Quòd legislatoris nō multum interſit, modò legibus convenienter vivatur, unde illæ actiones procedant. 2. Quòd nemo pœnam cogitationis patiatur. 3 Quòd illa εὐταξία mentis ſit impoſſibilis ob corruptam hominum naturam. Ad primum jam reſpondere præcepimus, & quantum interſit demonſtravimus. 2. Nemo quidem in foro externo cogitationis pœnam patitur, ſed inde malè ad conſcientiam concluditur. Deo enim vindici & cordium exploratori committuntur illa peccata, quæ Magiſtratus propter neſcientiam punire nequit. 3. Εὐταξίαν perfectiorem non requirimus, quàm quan-

tam permittit humana natura. Pleniſſimam enim ſanctitatem in hac vita quis fruſtra ſperaverit. Sufficit itaque ea, quæ poſſibilis eſt, & quam legislatoris intentio moraliter concipere poteſt.

Non de perſonis quæritur.] Diſtinguendum eſt inter vitium hominis & ejus officium. Hoc etiam rectè expediri poteſt à corruptiſſimo ſubjecto, & ſceleratiſſimus Rex Rex eſſe non deſinit, qui divino imperio abutitur. Sed nihilominus ultrice gladio in maleferiatos homines bene utitur, licèt ipſe bis dignior ſit, ut eadem pœna periret. Ab hac enim illum majeſtas eximit, quæ à nemine judicari vult, cæteros legitimum imperium coërcet. Neque tamen Deus cujusdam culpæ argui poteſt. Concedit ille quidem Tyranno poteſtatem, ſed ut illâ ad ſalutem Reip. & juſtitiæ adminiſtrationem utatur. Abuſum verò, i. e. cædes, rapinas & adulteria homo perditus de ſuo adjungit.

Pia erant ſacrificia.] Audi, quàm præclarè Barclajus meus in Euphor. *Nam ut olim*, ait, *occidentibus lucernis non afferebant manus, ne ignis divinitatem violarent, ita in illis, qui ad religionem præluceant, humanius eſt vitia tanquam fumum lychnorum morientium pati, quàm dignitatibus vim afferre, quæ in turpiſſimis hominibus nullæ tamen ſordes maculant.*

Simul probatum arbitror.] Arbitror & ego ita contra Dn. Ziegl. Punitur enim ſubditus, quia deliquit, non quia Princeps imperium habet. Sed quòd Principi ſoli competat pœnarum irrogatio, hoc propter imperium ſit & ordinem civilem, quoniam magis idoneus in tota communi-

tate

cate non reperitur. Itaque imperium quidem Principi dat prælationem aliquam, non tamen ejus defectus tribuit impunitatem reo. Insuper ego non video, quomodo suppliciorum exercitium intra sphæram cujusque Reip. subsistere possit, sive, ut Ziegl. intelligo, non nisi in cives competere. Delinquat quidam advena in aliena Rep. & ex malitioso proposito indigenam occidat. Τὸ κύριον licèt nullum in extraneum imperium habet, sicarium comprehensum mancipat carceri, & inde extractum atque solemni condemnatum judicio capite plectit. Bellum sanè hoc in ea significatione, ut capit Dominus Ziegl. dici non potest, sicut ipse infrà *l. 1. c. 3. thes. 4.* expressè affirmat, *cum privato, sive ille fuerit extraneus, sive eidem Principi subjectus, bellum ut geratur non esse necesse.* Et tamen cùm hîc imperium deficiat, unde aliter quàm ex suo delicto judicari poterit. Concesso autem, posse Remp. extraneum capitali supplicio afficere, unà concessum est, jus facultatemque esse multitudinem delinquentem, si alia ratio deficit, armis castigare. *Vires enim*, ut rectè colligit Grotius, *& ad resistendum audaciæ nocentum, sicut in prudenti deliberatione suum habere momentum potest, ita de jure ipso nihil imminuit.*

Ne quis Episcopus.] Clericis armorum usus semper in veteri Ecclesia interdictus erat, ex quo fundamento & in feudorum jure à successione arcentur, quoniam apti non sunt, qui servitia illa personalia, quæ feudis adhærent, præstare queant. *Vid. Vult. 1. Feud. 9. n. 67. &c.* Ante seculum verò & quod excurrit, usque ad nostra tem-

pora, tantum abest ut Clerici à bello manus abstinuerint, quin potiùs illi omnium ferè, quæ inter Christianos geruntur, bellorū concitatores sint, qua in re Pontifices imprimis Romani cæteris ordinibus infami exemplo præeunt. Plerunque tamen ipse clerus non tam in persona quàm ministrâ vi jus suum persequitur, nisi quòd apud Guicciardinum (a) novum & antehac inauditum Papæ, Julii II. militis exemplum legimus. Adscribam dicti Historici verba, ita verò ille; *Ma il principio*, inquit, *del anno nuovo*, (sc. 1511.) *fece memorabile una cosa inaspettata, & inaudita per tutti i secoli. Perche parendo al Pontefice che l' oppugnatione della Mirandola procedesse lentamente, & attribuendo parte alla imperitia, parte alla perfidia de Capitani, & specialmente del Nipote, quel che procedeva maggiormente da molte difficultà, delibero d' accelerare le cose con la presentia sua, anteponendo l' impeto & l' ardore dell' animo a tutti gli altri rispetti, ne lo ritenendo il considerare, quanto fusse indegno della majestà di tanto grado, che il Pontefice Romano andasse personalmente ne gli eserciti contra le terre di Christiani, ne quanto fusse periculoso, disprezzando la fama & il judicio, che appresso a tutto il mondo si farebbe di lui, dare apparente colore & quasi justificatione a coloro, chi sotto titulo principalmente d' essere pernitioso alla chiesa il reggimento suo & scandolosi & incorrigibili i suoi diffetti procuravano di convocare il concilio, & suscitare i Principi contra lui. Risonavano queste parole per tutta*

(a) Lib. Hist. 9.

tutta la corta, ciascuna si marivigliava, ciascuno grandimente biasimavo, ne meno che gli altri, gl' imbasciadori de Venetiani. Supplicavanlo i Cardinali, con somma instantia, che non andasse: ma vani erano i prieghi di tutti, vane le persuasione. Partì il secondo di di Genuaio de Bologna, accompagnato da tre Cardinali, & giunto nel campo allogio in una casetta d' uno Villano sotto posta a colpi dell' artiglierie de nimici, perche non era piu lontana dalle mura della Mirandola che tiri in due volte una balestra commune. Quivi affaticandosi & exercitandosi non meno il corpore che la mente calcava quasi continuamente hora qua hora la per il campo, sollicitando che si desse perfettione al pientare dell' artiglierie. t. e. Principium verò anni novi res quædam insolita & inaudita per omnia secula memorabile fecit. Pontifex enim, qui Mirandulæ oppugnationem nimis tarde procedere animadvertebat, causamq; Ducum, imprimis verò Nepotis sui, tum imperitiam tum perfidiam esse credebat, non autem difficultates innumerabiles, quæ revera impedimento erant, consilium sumpsit, juvare opus præsentiâ suâ. Et impetum ardoremq; animi omni alii considerationi anteponens, nihil omnino curabat, quàm indignum tantæ majestati futurum sit, si Pontifex Romanus in persona cum exercitu contra Christianos esset, vel quantum periculi, sibi aliisq; crearet, si famam & judicium totius orbis contemnendo ansam & justificationem quasi in manus illis daret, qui sub prætextu, quasi ejus regimen Christiana Reip. pernitiosum & mores in-

corrigibiles essent, instabant convocando concilio & Principibus contra eum suscitandis. Spargebantur hi sermones per totam aulam, quilibet & admirabatur factum & reprehendebat, neque minùs Legati Venetiani, quàm alii: Cardinales cum summa instantia, ne iret, supplicabant, sed vana erant omnium preces, vana omnes persuasiones. Profiscebatur Bononiâ secundo die Januarii, cum tribus Cardinalibus, cùmq; venisset ad exercitum, domicilium sumpsit in casa quadam rustici, qua infestis inimicorum jaculationibus patebat, non enim à mœnibus Mirandula longiùs distabat, quàm communis balista duabus vicibus pertingit. Illic continuo labore & exercitio corporis & animi nunc huc nunc illuc equo vehebatur per tota castra, instantissimè sollicitans, ut tandem aliquando ad perfectionem munimenta deducerentur, super qua bellicas machinas imponendi & in civitatem speculandi facultas esset.

CAPUT III.

BELLI PARTITIO IN PUBLICUM ET PRIVATUM. SUMMI IMPERII EXPLICATIO.

§. 1.

Mixtum, quod una ex parte.] Non satis Grotium Dominus Ziegl. capere videtur, dum putat mixtum bellum hîc dici, cùm una saltem pars jus belli gerendi habet, altera verò eo destituitur. Sed hæc horum verborum indoles non est. Bellum privatum Grotius vocat, quod non ab eo geritur, qui majestate præditus est, hanc

enim

enim indigitat ille vocabulo *jurisdictionis*, quod interdum tam latè accipitur, ut complexum civilis imperii absolvat. Publicum verò, quod gerit is, qui insigni hac eminentia splendet. Attamen à defectu majestatis ad defectum juris belli gerendi malè concluditur, cùm illa persona vel possit esse paterf. domestico imperio instructus, vel omnino privatus, sub nullius tamen jurisdictione vivens. Quod si Dominus Ziegl. privatum bellum pro bello habet, cur mixtum talo non sit, rationem non invenio.

Sed à facto humano.] Videtur hoc saltem de judiciis civilibus asserendum. Nam ut homines in Civitatem coirent, & per creationem magistratuum se judiciis subjicerent, hoc ab initio facti & arbitrii liberi fuit. Eva autem obediens divinæ voluntati necessariò cogebatur agnoscere maritale imperium, & potestas patria filium obligat, non requisito ejus consensu, quemadmodum & in homines per vim captos Dominus jurisdictionem necessariam exercet. Nisi quis hîc factum humanum explicet, quod ex uno saltem relato provenit: sed hoc menti Grotii non satis videtur convenire.

§. 2. *Quæ ante judicia constituta.]* Rectè reprehenditur à Zieglero Grotius in hoc, quòd putaverit, aliquando, i. e. in mundi primordiis judicia non fuisse. Licèt enim nulla fuerint civilia judicia, domestica tamen omni tempore viguerunt, & sic nemo sub inferiori illa potestate constitutus seipsum vindicare poterat, querelis necessariò ad dominum vel patrem delatis. Verùm hoc stante nihilominus bene statuitur, dari

potest, quæ alteri fecit. Ut nunc alia delicta, præsertim Sodomitica omittam. Quare & Favorinus apud Gellium (*a*) in talione simplici hoc desiderat, *quòd præter ulciscendi acerbitatem ne procedere quoq; executio justa talionis possit. Nam cui membrum, ait, ab alio ruptum est, si ipsi itidem rumpere per talionē velit, quæro an efficere possit rumpendi pariter membri æquilibrium? In quare primùm ea difficultas est inexplicabilis. Quid si quis membrum alteri imprudens ruperit? quod enim per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet. Ictus quippe fortuitus & consultus non cadunt sub ejusdem talionis similitudinem. Quonam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in exequenda talione non licentiæ jus habet, sed imprudentiæ? sed & si prudens ruperit, nequaquam patietur aut altiùs se lædi aut latiùs, quòd cujusmodi libra aut mensura caveri possit, non reperio, quin etiam si quid plus erit aliterve commissum, res fiet ridiculæ atrocitatis, ut contraria actio mutua talionis oriatur, & adolescat infinita quædam reciprocatio talionum.* Quam ob rem reo vel pecuniaria multa, juxta facultates suas, satis gravis imponitur, vel quandoque capitali supplicio munitur conjugii aut pudoris sanctitas. Cum grano igitur salis intelligenda est Grotii sententia, non iniquum esse, ut, quantum quisque fecit mali, tantum patiatur. Nam in simplici talione non semper hoc procedere, data evincunt exempla. Sed tum demum, quando reus & idem pati potest, & ista passio propriè

(*a*) Noct. Attic. libr. 20. c. 1.

propriè pœna eſt. His deficientibus, venitur ad æquivalens, in quo nihilominus proportionata quædam talio eſt. *Sunt enim*, inquit Grotius paulò infr. *quædam, quæ vitæ æquiparantur, ut exiſtimatio, pudor virginalis, fides matrimonii, aut ſine quibus vita tuta eſſe non poteſt. Adverſum quæ qui faciunt, ii homicidis meliores non videntur.*

Ut inſons eſſet, qui homicidam occidiſſet.] Hæc eſt illa controverſia, ob quam toties cum Grotio committitur Dn. Ziegl. dum hîc nemini vindictam permittit, niſi qui publico imperii charactere ſplendet, ille verò jure naturali ante inſtituta judicia cuique. Nos controverſiam ad libri 2. c 20. remittimus, defenſuri Grotii opinionem ſolidiſſimis fundamentis, ubi ſimul & Ziegl. ſatisfiet.

§. 6. *Quatenus etiam mentis requirit puritatem.*] Oritur ex hisce celebris illa quæſtio, quæ eruditorum ingenia ſæpiùs exercuit: An leges merè civiles obligent tantùm externè ad pœnam, an verò in conſcientia? Prius membrum defendit *Grotius hic, & Weſ. ad tit. de J. & J. theſ. 4.* Nos cum Hahn. *ad d. l. Weſ. & Hornej. in Doctr. mor. l. 4. c. 3. theſ. 43.* poſterius. Dicimus, præcipuam quidem legislatoris intentionem in legibus ferendis eſſe, ut juxta externam obedientiam eis congruè vivant ſubditi, ſimul tamen etiam velle, ut voluntas civis cum actione phyſica moraliter conveniat, idque vel maximè ideo, quoniam omni legislatori propoſitum eſſe debet, ut quàm feliciſſimè in civitate vivatur. Ea autem demum civitas perfectâ felicitate fruitur, ubi

ubi actiones civiles non tam ex principio aliquo externo, i. e. pœnarum metu, quàm intrinseco, sive ἕξει mentis procedunt. Actus enim in amore virtutis fundatus semper sui similis est, cùm is, quem direxit suppliciorum timor, quando hic cessat, tanquam rupto obice hoc licentiùs & periculosiùs exorbitet, quò rigidiori loco antea tenebatur. Sed & Princeps efficacissima virtute imperii in personam motus subditorum internos sibi obligare poterit, non quidem actu physico, ut & pœnæ subjaceant, quos animadvertere absque concomitante quodam extraneo actu impossibile est. Sed coactione morali, ut subditus suam conscientiam lædat, qui invitus ordinationi publicæ obtemperat. Obligatur itaque vi hujus imperii civis voluntas, quæ causa est actionum civilium, & regitur ad arbitrium imperantis. Faciunt ad hunc locum non parum illustrandum verba divinæ institutionis conjugalis, quibus Adamo in uxorem imperium maritale attributum est, & Evæ *voluntas* subjicitur marito, id quod cum accurata attentione intelligi debet. Non enim Deus Adamo solas actiones Evæ externas subjecit, sed & ita cogitationes etiam interiores. Atque hoc præterea omni imperio proprium, ut voluntas parentis justæ superioris ordinationi subjacet. Deinde quoniam omnis civilis societas Deum authorem habet, & ordinatio Dei dicitur, manifestum fit, Dei voluntatem esse, ut libenter, & vel propter ipsum authorem hujus institutionis pareamus, sine ullis refractariis cogitationibus. Quin & leges civiles sæpius morum integritatem ex-

Digitized by Google

prestè requirunt. *Vid. l. 1. C. de secund. Nupt. l. 15. ff. de Condit. instit. & l. 20 C de Furt.* Denique nostram sententiam validissimè munimus sacræ Scripturæ testimonio. Præter dicta enim quædam generalia, 1. Petr. 2, 13. & Paul. ad Rom. 3, 1. 2. &c. illustrissimus locus est & probationi aptissimus in ead. c. 3, 5. ubi Paulus, *Necesse*, inquit, *est subjici, non tantùm propter iram sed & conscientiam.* Quæso quid hoc posset esse clarius? velut ipse Apostolus hanc controversiam in specie tractaret, adeò congruis verbis utitur. Necesse est subjici, i. e. parere, non tantùm propter iram, i. e. metu superioris & pœnæ, sed propter conscientiam, quoniam inobedientia & seditio, ut sic dicam, interna contra innatam cujusvis conscientiam est, quæ jubet ordini civili & ob supremum formatorem, & ob cõmunem propriamq; utilitatem tam quoad actionum physicarum dexteritatem, quàm animi εὐταξίαν obedire. Rationes, quas adversa pars pro clypeo habet, hæ sunt præcipuæ. Quòd legislatoris nõ multum interlit, modò legibus convenienter vivatur, unde illæ actiones procedant. 2. Quòd nemo pœnam cogitationis patiatur. 3 Quòd illa εὐταξία mentis sit impossibilis ob corruptam hominum naturam. Ad primum jam respondere præcepimus, & quantum interest demonstravimus. 2. Nemo quidem in foro externo cogitationis pœnam patitur, sed inde malè ad conscientiam concluditur. Deo enim vindici & cordium exploratori committuntur illa peccata, quæ Magistratus propter nescientiam punire nequit. 3. Εὐταξίαν perfectiorem non requirimus, quàm quan-

tam permittit humana natura. Plenissimam enim sanctitatem in hac vita quis frustra speraverit. Sufficit itaque ea, quæ possibilis est, & quam legislatoris intentio moraliter concipere potest.

Non de personis quæritur.] Distinguendum est inter vitium hominis & ejus officium. Hoc etiam rectè expediri potest à corruptissimo subjecto, & sceleratissimus Rex Rex esse non desinit, qui divino imperio abutitur. Sed nihilominus ultrice gladio in maleferiatos homines bene utitur, licèt ipse bis dignior sit, ut eadem pœna periret. Ab hac enim illum majestas eximit, quæ à nemine judicari vult, cæteros legitimum imperium coërcet. Neque tamen Deus cujusdam culpæ argui potest. Concedit ille quidem Tyranno potestatem, sed ut illâ ad salutem Reip. & justitiæ administrationem utatur. Abusum verò, i. e. cædes, rapinas & adulteria homo perditus de suo adjungit.

Piacrant sacrificia.] Audi, quàm præclarè Barclajus meus in Euphor. *Nam ut olim*, ait, *occidentibus lucernis non afferebant manus, ne ignis divinitatem violarent, ita in illis, qui ad religionem præducent, humanius est vitia tanquam fumum lychnorum morientium pati, quàm dignitatibus vim afferre, quas in turpissimis hominibus nulla tamen sordes maculant.*

Simul probatum arbitror.] Arbitror & ego ita contra Dn. Ziegl. Punitur enim subditus, quia deliquit, non quia Princeps imperium habet. Sed quòd Principi soli competat pœnarum irrogatio, hoc propter imperium sit & ordinem civilem, quoniam magis idoneus in tota communi-

tate

tate non reperitur. Itaque imperium quidem Principi dat prælationem aliquam, non tamen ejus defectus tribuit impunitatem reo. Insuper ego non video, quomodo suppliciorum exercitium intra sphæram cujusque Reip. subsistere possit, sive, ut Ziegl. intelligo, non nisi in cives competere. Delinquat quidam advena in aliena Rep. & ex malitioso proposito indigenam occidat. Τὸ κύριον licèt nullum in extraneum imperium habet, sicarium comprehensum mancipat carceri, & inde extractum atque solemni condemnatum judicio capite plectit. Bellum sanè hoc in ea significatione, ut capit Dominus Ziegl. dici non potest, sicut ipse infrà *l. 1. c. 3. thes. 4.* expressè affirmat, *cum privato, sive ille fuerit extraneus, sive eidem Principi subjectus, bellum ut geratur non esse necesse.* Et tamen cùm hîc imperium deficiat, unde aliter quàm ex suo delicto judicari poterit. Concesso autem, posse Remp. extraneum capitali supplicio afficere, unà concessum est, jus facultatemque esse multitudinem delinquentem, si alia ratio deficit, armis castigare. *Vires enim*, ut rectè colligit Grotius, *& ad resistendum audacia nocentum, sicut in prudenti deliberatione suum habere momentum potest, ita de jure ipso nihil imminuit.*

Ne quis Episcopus.] Clericis armorum usus semper in veteri Ecclesia interdictus erat, ex quo fundamento & in feudorum jure à successione arcentur, quoniam apti non sunt, qui servitia illa personalia, quæ feudis adhærent, præstare queant. *Vid. Vult. 1. Feud. 9. n. 67. &c.* Ante seculum verò & quod excurrit, usque ad nostra tem-

pora, tantum abest ut Clerici à bello manus abstinuerint, quin potiùs illi omnium ferè, quæ inter Christianos geruntur, bellorũ concitatores sint, qua in re Pontifices imprimis Romani cæteris ordinibus infami exemplo præeunt. Plerunque tamen ipse clerus non tam in persona quàm ministrâ vi jus suum persequitur, nisi quòd apud Guicciardinum (a) novum & antehac inauditum Papæ, Julii II. militis exemplum legimus. Adscribam dicti Historici verba, ita verò ille; *Ma il principio*, inquit, *del anno nuovo*, (sc. 1511.) *fece memorabile una cosa inaspettata, & inaudita per tutti i secoli. Perche parendo al Pontefice che l' oppugnatione della Mirandola procedesse lentamente, & attribuendo parte alla imperitia, parte alla perfidia de Capitani, & specialmente del Nipote, quel che procedeva maggiormente da molte difficultà, delibero d' accelerare le cose con la presentia sua, anteponendo l' impeto & l' ardore dell' animo a tutti gli altri rispetti, ne lo ritenendo il considerare, quanto fusse indegno della majestà di tanto grado, che il Pontefice Romano andasse personalmente ne gli eserciti contra le terre di Christiani, ne quanto fusse pericoloso, disprezzando la fama & il judicio, che appresso a tutto il mondo si farebbe di lui, dare apparente colore & quasi justificatione a coloro, chi sotto titulo principalmente d' essere pernitioso alla chiesa il reggimento suo & scandolosi & incorrigibili i suoi diffetti procuravano di convocare il concilio, & suscitare i Principi contra lui. Risonavano queste parole per tutta*

(a) Lib. Hist. 3.

tutta la corta, ciascuna si marivigliava, ciascuno grandimente biasimavo, ne meno che gli altri, gl' imbasciadori de Venetiani. Supplicavanlo i Cardinali, con somma instantia, che non andasse: ma vani erano i prieghi di tutti, vane le persuasione. Parti il secondo di di Genuaio de Bologna, accompagnato da tre Cardinali, & giunto nel campo allogio in una casetta d' uno Villano sotto posta a colpi dell' artiglierie de nimici, perche non era piu lontana dalle mura della Mirandola che tiri in due volte una balestra commune. Quivi affaticandosi & exercitandosi non meno il corpore che la mente calcava quasi continuamente hora qua hora la per il campo, sollicitando che si desse perfettione al pientare dell' artiglierie. i. e Principium verò anni novi res quadam insolita & inaudita per omnia secula memorabile fecit. Pontifex enim, qui Mirandulæ oppugnationem nimis tarde procedere animadvertebat, causamq; Ducum, imprimis verò Nepotis sui, tum imperitiam tum perfidiam esse credebat, non autem difficultates innumerabiles, quæ revera impedimento erant, consilium sumpsit, juvare opus præsentiâ suâ. Et impetum ardentemq; animi omni alii consideratione anteponens, nihil omnino curabat, quàm indignum tantæ majestati futurum sit, si Pontifex Romanus in persona cum exercitu contra Christianos esset, vel quantum periculi, sibi altisq; crearet, si famam & judicium totius orbis contemnendo ansam & justificationem quasi in manus illis daret, qui sub prætextu, quasi ejus regimen Christiana Resp. pernitiosum & mores in-

corrigibiles essent, instabant convocando concilio & Principibus contra eum suscitandis. Spargebantur hi sermones per totam aulam, quilibet & admirabatur factum & reprehendebat, neque minùs Legati Venetiani, quàm alii: Cardinales cum summa instantia, ne iret, supplicabant, sed vana erant omnium preces, vana omnes persuasiones. Profiscebatur Bononiâ secundo die Januarii, cum tribus Cardinalibus, cùmq; veniisset ad exercitum, domicilium sumpsit in casa quadam rustici, quæ infestis inimicorum jaculationibus patebat, non enim à mœnibus Mirandula longiùs distabat, quàm communis balista duabus vicibus pertingit. Illic continuo labore & exercitio corporis & animi nunc huc nunc illuc equo vehebatur per tota castra, instantissimè sollicitans, ut tandem aliquando ad perfectionem munimenta deducerentur, superque bellicas machinas imponendi & in civitatem speculandi facultas esset.

CAPUT III.

BELLI PARTITIO IN PUBLICUM ET PRIVATUM. SUMMI IMPERII EXPLICATIO.

§. 1.

Mixtum, quod una ex parte.] Non satis Grotium Dominus Ziegl. capere videtur, dum putat mixtum bellum hîc dici, cùm una saltem pars jus belli gerendi habet, altera verò eo destituitur. Sed hæc horum verborum indoles non est. Bellum privatum Grotius vocat, quod non ab eo geritur, qui majestate præditus est, hanc enim

enim indigitat ille vocabulo *jurisdictionis*, quod interdum tam latè accipitur, ut complexum civilis imperii absolvat. Publicum verò, quod gerit is, qui insigni hac eminentia splendet. Attamen à defectu majestatis ad defectum juris belli gerendi malè concluditur, cùm illa persona vel possit esse paterf. domestico imperio instructus, vel omnino privatus, sub nullius tamen jurisdictione vivens. Quod si Dominus Ziegl. privatum bellum pro bello habet, cur mixtum tale non sit, rationem non invenio.

Sed à facto humano.] Videtur hoc saltem de judiciis civilibus asserendum. Nam ut homines in Civitatem coirent, & per creationem magistratuum se judiciis subjicerent, hoc ab initio facti & arbitrii liberi fuit. Eva autem obediens divinæ voluntati necessariò cogebatur agnoscere maritale imperium, & potestas patria filium obligat, non requisito ejus consensu, quemadmodum & in homines per vim captos Dominus jurisdictionem necessariam exercet. Nisi quis hîc factum humanum explicet, quod ex uno saltem relato provenit: sed hoc menti Grotii non satis videtur convenire.

§. 2. *Quæ ante judicia constituta.]* Rectè reprehenditur à Zieglero Grotius in hoc, quòd putaverit, aliquando, i. e. in mundi primordiis judicia non fuisse. Licèt enim nulla fuerint civilia judicia, domestica tamen omni tempore viguerunt, & sic nemo sub inferiori illa potestate constitutus seipsum vindicare poterat, querelis necessariò ad dominum vel patrem delatis. Verùm hoc stante nihilominus bene statuitur, dari

quando casus, ubi illa cessant ordinaria judicia, & quibus quilibet sibi ipsi jus dicere potest. Hos vocat Grotius ad summa capita duo. Ubi judicia cessant vel momentaneè, vel continuè: & continuè, vel jure vel facto.

Ubi expectari judex non potest.] Pertinet ad hunc locum inculpata sui defensio. Cujus in eo quidem præcipuum fundamentum est, quòd unicuique vitam suam ab improborum hominum crudelitate tueri liceat, videtur tamen & aliquod privatum importare bellum, vel saltem ab illa ad hoc dari conclusiones. Sicuti enim etiam inter summas potestates non priùs ad manus venire convenit, quàm omnis juris & æqui via frustra tentata est; ita ubi Magistratus copia fuerit, privatus malè seipsum vindicat. At verò ubi periculum in mora est, spernit invasor legitima juris remedia, & hac ratione jus est innocenti contra hunc licito duello sibi consulere. Pertinet igitur hæc inculpata defensio ad bellum privatum defensivum.

Si subditi judicem non audiant.] Non tamen puto hîc privatum bellum geri; Illos enim immorigeros subditos legitima potestas viribus sanioris partis civitatis armata justo & solenni bello cogit in ordinem. Neque continuò unicuique civium licebit ob contumaciam sui adversarii, qui judici parere non vult, se ipsum vindicare, sed legitima remedia Reip. implorare debet. Neque etiam si judex detrectat cognitionem, statim bellum gerendum est, sed res ex capite denegatæ justitiæ ad alium superiorem deferenda. Quod si supremus ex manifesta injuria

ria juris administrationem deneget, ferendum id subdito erit potiùs, quàm subitario motu, qui semper mali exempli esse solet, vicula ordinatæ Civitatis laxare.

Si in effossione.] Spectat hic locus ad casum, ubi momentaneè judicia cessant. Mihi tamen Dn. Ziegleri ratio non probatur, quasi ideo licitum fuerit occidere furem nocturnum, quia incertum erat, num cædis an furti faciendi causâ potissimùm venerit, in diurno autem præsumptio sit pro furto. Primò ego inverterem potiùs argumentum, magisque dicerem, nocturnum furem præsumi furti faciendi causâ ædes ingressum. Ipsum mihi hîc opitulatur furis nomen, quod à furvo latini deducunt quidam, quasi furtum plerunque in furvo i. e nocte fiat. Sed & in diurno animus perspici nequit, an occidendi vel furandi causâ venerit. Deinde existimo, idcirco legem distinxisse, quòd diurnus fur facilè possit cognosci, & res eidèm vel in continenti implorato, si opus, vicinorum auxilio eripi, vel tamen jure & competentibus recuperari actionibus. Nocturnus verò, qui ob spissam tenebrarum solitudinem facilè notari nequit, ad res recipiendas sæpiùs occidi debeat, ne elapsus frueretur suo maleficio, Dominus verò nullâ suâ culpâ detrimentum sentiret.

Jus etiam naturale.] Putarem juri naturali planè non repugnare defensionem vitæ bonorumque; Illam enim cum justitia expletrice bene convenire, infrà lib. 2. non uno loco statuit Grotius. At illa justitia expletrix fundamentum suum in jure naturæ omnino habet.

Vid.inf.Grot. l.2.c 1.th.9. de charitate Christia
res esset altioris indaginis, *quâ de in l.2.ad cap*

§. 3. *Nisi fortè sit miles.]* Non placet mi
hæc Augustini limitatio. Nam si defensio omn
cum homicidio alterius conjuncta est prohibi
neque miles se vindicare potest; quia quamv
videatur legitimam potestatem ad vindicta
habere, illa tamen ultra hostes, quibus cum be
lum est, extendi non debet. Evenire aut posse
ut miles non ab hoste, sed à cive vel commilito
suo impeteretur, in quem sanè extra defensi
nis æquitatem potestate nulla armatus est.

§. 4. *Si citra leges civiles.]* Exercitium j
ris belli gerendi non tam ex jure civili, quàm
gentium esse, contendit Zigl. contra Grotium
Quod eatenus tantùm verum est, quatenus pu
blicæ gentium tranquillitatis multum interes
ne Principes suis Magistratibus armorum usur
facilè & se inconsultis concedant. Ab ipsis enim
Principibus ratio turbatæ pacis petitur. Cæte
tùm falsum est, jus gentium esse causam effic
entem & originem juris belli gerendi. Hoc enim
est particula quædam seu jus majestatis, quæ a
ipso Deo Regibus immediatè infunditur, & incu
nabula æquè vetusta habet, quàm ipsæ gentes
Cùm gens sit populus in Remp. concitiatus; Resp
præsupponat illam imperii & obedientiæ ordi
nem relativum. Non itaque consensu gentium
potest esse introductum, quod simul cum earun
dem origine esse cepit.

Nam primum quin ei] Concedamus Dn
Ziegl. bellum propriè non dici executionem à
Magistratu per apparitores in paucos quosdam

refra

refractarios sine violentiore strepitu factam. At quando integra provincia vel ad justum bellum sufficiens multitudo obedientiæ jugum quatit, cui coërcendæ ordinaria remedia longè inferiora sunt, tunc sanè bellum in istos geri ab omnibus latinæ linguæ authoribus scribitur. Qua ratione bellum distinguitur in externum & civile. Nec satis capio Dn. Ziegleri rationem, quòd in rebelles Princeps non *utatur ea majestate, quam erga parem ostentare debet, sed potius majestaticum exerceat imperium.* Quod si enim majestatem politicè accipit pro summa in Remp. potestate, illa planè erga parem sive extraneum ostentari aut exerceri nequit, quoniam suæ civitatis terminis ejus efficacia circumscribitur, & hucusq; apud Politicos paradoxum est, *majestatem ostentari erga parem.* Quomodo autem majestas & imperium majestaticum differant, hactenus ignoro. Si verò pro amplitudine & excellentia quadam capit, tunc illa insigniter belli essentiam ut nec ipsa politica majestas ingreditur, nec video, cur non Princeps eandem amplitudinem erga subditos ostentare valeat, quàm in parem. Verum quidem est, Regem vindicare suas injurias contra parem jure gentium, in subditos autem imperio. Hoc tamen non minùs bellum est, quàm illud; Licèt & dici posset, sicut is, qui possessionem corpore amisit, ita ut facili negotio eam recuperatum iri spes non sit, animo quoque jure civili non possidet; ita & Principem tantisper de possessione imperii dejectum censeri, quamdiu in ordinem deficientium subditorum contumaciam non redegit.

Neces-

Necessitas exceptionem porriget.] Idque ex præsumpta Principis voluntate, qui de casu extremæ necessitatis consultus sine dubio concessisset hanc potestatem. Cæterùm intelligendus hîc est Grotius, vel quando magistratus inferior propter urgens periculum inconsulto Principe arcet vim illatam, vel quando certissimum est illicò inferendam, nec tam citò superiorem consuli posse, magnumque Reip. præjudicium ex mora fore, cùm prævenire tutius fuerit, quàm præveniri. His casibus præsumitur tacita quædam Principis concessio, quæ non ulteriùs extendenda. *Conf. Ziegl. h*

Lucius Pinarius.] Dubitat de justitia hujus actus Livius, inquiens. *Ita Æuna aut malo aut necessario facinore retenta.* Sanè si aliâ salutis viâ Romanus præfectus evitare insidias nequiverit, malum facinus dici non potest, quia Ennenses certissimi hostes ex sociis facti occulta fraude præsidiarios milites circumvenire, Urbemque Carthaginensibus tradere volebant. In hostes autem omni gentium jure hoc licuisse extra dubium est.

§. 5. *Quod sit jure Magistratus.]* Verùm bella hæc non tam jure Magistratus, quàm ex præsumpta Imperantis voluntate geruntur, ut hîc Grotius quærere debebat non de jure Magistratus, sed an tacita voluntas sufficiat, ut bellum aliquod solenne dici possit, id quod mihi perverisimile sit. Nam si in imperio latè patente semel belli gerendi facultate Præsidi concessa non necessarium est, quolibet obveniente casu iteratum impetrare consensum, & nihilominus tale

bellum

bellum ſolenne eſt, quidni etiam tacitus conſenſus ad publicum bellum ſuffecerit?

Tum judicium ſummæ poteſtatis.] Adeſt hoc caſu ſummæ poteſtatis judicium, ſed præſumptum, ut jam diximus.

Tum alia.] Id eſt, ritus quidam, de quibus agitur in l. 3. quos tamen & inferior Magiſtratus bene obſervare poterit.

Mihi id admittendum non videtur.] Rectè: extra tales ſcilicet caſus, quibus neceſſitas contrarium ſuadet.

Ego non privato publicóve conſilio.] Saltem ob hoc Romanus Senatus quærendum putavit, privato publicóve conſilio Saguntum oppugnatum ſit, ut conſtaret poſt diſceptationem juris, (in qua ſibi victoriam ſine cunctatione promittebat,) in quem tanquam motus auctorem de injuriis & damno dato agendum eſſet. Nam ſi publico omnium Carthaginenſium conſilio id geſtum, idque injuriâ, hos manebat præſentiſſimum bellum, niſi ab illis Romano populo ſatisfieret. Sin verò Carthaginenſes culpam in privatam Hannibalis perſonam rejicerent, illum aut dedi oportebat Romanis, aut à ſua Civitate condignè puniri.

§. 6. *Quatenus earum cura ad Civitatem pertinet.]* Quantum ſummis poteſtatibus circa ſacra liceat, non adeò eſt expeditum. Nos totius negotii examen ad *Aquilam noſtram Germanicam*, (quem librum propediem expediturî erimus, quando hæ animadverſiones tanquam illius multis in locis præparatoriæ, finem conſequentur) differimus; Nunc verò tribus ſaltem verbis

verbis dicimus. Religionis curam Reip. feliciter administrandæ multum conferre. Illam verò Principi, aut eis, qui summum imperium habent, competere, ne detur aliqua in rebus ἀναλογεστία, vel duo summa in civitate. Extendere verò se in sacra, ut verus Dei cultus introducatur, conservetur, & schismata extirpentur. Circa cultum autem extremum, ut & ea, quæ circa sacra sunt, liberiorem concedi dispositionem. Quatenus verò subditi ad religionem cogendi sunt, ut & alia argumento nostro affinia hæc omnia, ut dixi, ad locum propiorem, ubi *de pace publica* agendum est, reservanda duximus.

Quæ per alterum expediuntur.] Communicat enim se majestas familiari consortio subditis, & eosdem ad splendorem potestatis & dignitatis evehit; Dignitatem confert imperii expertem per creationem Nobilitatis, quæ est politica quædam & civilis eminentia personæ à majestate tributa ob singulare aliquod in Remp. meritum. Ita enim antiquitus observatum fuit, ut unicum Nobilitatis fundamentum virtus esset, & ita illi, qui ingenii corporisque dotibus alios longè præstarent, etiam in Civitate assumpto quodam dignitatis præmio reliquis exemplo præirent ad virtutem. Hæc vera & genuina nobilitas neque auro emitur, neque precibus emercatur, imò si verum loqui volumus, est personalissima, & in genus non transfunditur, quia personale eius fundamentum virtus est; Filii enim sæpiùs à parentum bonitate degenerant. Cæterùm quoniam omnis hæc dignitas à majestate politica, tanquam principio suo, (nam ab initio

initio cives omnes pares erant) descendit, non possum non fateri, quando minùs digno nobilitas confertur, illum nihilominus pro nobili habendum, quia negotium hoc solâ Principis voluntate absolvitur. Verùm nullius magis, quàm ipsius interest, ne indifferenter concedendo hoc dignitatis axioma contemptui exponat, quod primò omnibus stupori erat & venerationi. Ex eadem ratione & hoc colligitur, eum, qui noviter nobilitati adscriptus est, tam verè nobilem esse, quàm qui à multis retro seculis suos majores numerat, quia non generatio, sed creatio nobilitatem confert. Præter dignitatem interdum & potestatem aliquam à Principe impetrant, quos prudentia & civilis rerum peritia levandis majestatis laboribus Reip. administrationi substituit. Verissimè enim apud Tacitum dicitur, *Principem suâ scientiâ non posse cuncta complecti, nec unius mentem tantæ molis esse capacem.* Ne igitur Reip. munera & commoda jaceant intercepta, in laborum societatem subditos vocat Princeps, illisque tradit quandam publicæ potestatis facultatem, vigore cujus vicaria ope Remp. administrent, & locum suum, qui ubique esse non potest, competentibus mediis impleant. Et hoc quidem variè fit. Primò, quoniam certum est, quòd ὀλίγα ὑπ' ὀφθαλμοῖς ἰδοῦσι, καὶ ὑπ' ἀκοῦσαι. Esse autem debeant πολλοὶ βασιλέως ὀφθαλμοὶ καὶ πολλὰ ὦτα? Consiliariorum munus in Civitate invectum est, qui salutiferis suasionibus emolumenta promovendo incommoda præcaveant. Solus Princeps huic negotio neque sufficiens, neque semper aptus. *Nam sæpè audivi, eum primum esse virum,*

virum, qui ipse consulat, quod in rem sit, secundum eum, qui bene monenti obediat, qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi esse ingenii. At verò Principes, qui interdum per ambitionem capiuntur, aut jure successivo in solio sunt, primum illum locum non semper occupant, quoniam hæc sapientia rarissima est. Rectè igitur facient, si secundo contenti prudentes & bonos viros in consortium consiliorum assumant, quibus rectè monentibus ipsi rectè obediant, nec propterea quicquam putent de dignitate eorum decedere. Omnia enim suasu quidem aliorum, at verò authoritate & auspicio proprio faciunt, quin & hoc ipsum Consiliarii, quòd sint Consiliarii, à Principibus habent. Ingens in hac re situm momentum est, & à Regibus omni tempore strictè observatum. Cyrus sanè apud Xenophontem ingenuè fatetur, quòd * Οὐκ ἔστι τὸ χρυσοῦν σκῆπτρον τὸ τῶν βασιλείων διασῴζον ἔθνη, ἀλλ' οἱ πολλοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον καὶ ἀσφαλέστατον, i. e. *non hoc aureum sceptrum regnum conservet, sed multi amici sint Regibus sceptrum verissimum & tutissimum.* Breviter, *ego ita comperi, omnia regna, civitates, nationes, usque eò prosperum imperium habuisse, dum apud ea vera consilia valuerunt, ubicunq; gratia, timor, voluptas ea corrupere, paulò post imminuta opes, deinde ademptum imperium, postremò servitus imposita est.* (a) Deinde participant subditi aliquam potestatem per concessionem jurisdictionis, dum judices ad civiles & criminales causas constituuntur, reservato superiori

(a) Sallust. ad Cæs.

riori appellationis beneficio, vel prout res fert, institutis etiam interdum appellationum collegiis. Item Jurisdictio Ecclesiastica Consistoriis quandoque conceditur, & populo jus patronatus, seu potestas eligendi pastores verbique divini ministros. Ita per Duces & officiales bella geruntur, ne Principis persona omnibus sit exposita periculis, datur eisdem facultas pangendi vel inducias, vel fœdera vel pacem. Sic ferè omnis regalis Majestas in personam legati confluit, qui eminenti dignitate circumfusus ubique principalis sui locum sustinet, & ex eo fortitur privilegium. Sed & legum ferendarum jus in magnis regnis solet quandoque Præsidi concedi cum pleniori omnis imperii exercitio: Eximium verò & superioribus seculis incognitum majestaticæ communicationis exemplum videre licet in Statibus Imperii Rom. Germanici, qui amplissima potestate instructi omnia penè majestatis jura exercent; quam potestatem vocant *superioritatem territorialem*, quæ majestati æmula, & futura majestas, nisi superiorem recognosceret, sanè Magistratus vocabulo venire nequit, quia certissimum est, augustius illos imperium exercere, quam qui verè Magistratus sunt. Et tamen quoniam per appellationem & alios quosdam actus Imperatori se subjicit, majestas non est, quòd una saltem in una Civitate reperiatur. Igitur hoc potestatis genus majestati analogum, ab ipsa quidem dependens, non tamen pro arbitrio ejus extinguendum, quòd Imperator vi pacti sui teneatur Statuum Imperii dignitatem, potestatem & eminentiam conservare. Verùm hæc ad jus

publicum pertinent. Quæ hactenus de communicatione majestatis differuimus, videri possent absurditatis arguere illam quæstionem, an jura majestatis communicari queant? Sed hæc quæstio ambigua est, & duplici modo intelligitur. Vel enim quæritur, an jura majestatis in actu primo possint communicari? id quod negamus, ad evitandam mixtâ Remp. An verò quoad actum secundum, sive exercitium? quod affirmamus, ad quem etiam sensum referenda sunt superiùs disputata.

Alterius voluntatis humanæ arbitrio.] Appositè, *Voluntatis humanæ arbitrio.* Nam actus illi à divina voluntate dependent unà cum ipso summo imperio, quod immediatè Princeps cœlitus accepit. Ita enim omninò statuendum est, Deum esse causam immediatam majestatis, eandemque Principi conferre per voluntatem populi tanquam instrumentum, concurrens ad electionem, non ut causam efficientem, i. e. populus est causa modi acquirendi imperium non ipsius imperii. Propugnant hanc sententiam, quibuscunque sanior Philosophia præcordia insedit, *Joh. Frid. Horn. de Civit. l. 2. c. 1. Strauch. Inst. jur. publ. ab init. Dn. Ziegl. h. & in MSS. animadverss. ad Becceri Instit. jur. publ. ab init.* Dici enim non potest, quàm feliciter doctrina hæc Monarchomachis capistrum imponat, qui aliàs rupto civilis obsequii repagulo Regum capita coronasque impetunt hoc potissimùm telo, quòd illorum potestas summa radicaliter in populo nata tribuatur ab eodem Regibus ob salutem & tranquillitatem communem. Quoties igitur

igitur Rex moleſtè imperat, continuò inferunt, poſſe populum id, quod ſub tacita conditione dederat, repetere tanquam ab indigno, & eundem vel dejicere ſolio, vel inſuper pœnâ ordinariâ afficere. Deſtructo igitur eorum fundamento, cui præcipuo fulcro innituntur, ſimul dogma tam pernitioſum ſufflaminabitur. Et quæſo unde populus hanc poteſtatem accepit? Homo ſibi ipſi imperare non poteſt; Multitudo naturale imperium non habet, quod enim ſinguli non habent, id malè dicitur de multitudine, quæ plus non facit quàm poteſt, deſignando ſcilicet perſonam à Deo ſummo imperio exornandam. Præterea ſat manifeſtis ſacræ Scripturæ teſtimoniis evincitur, poteſtatem ſummam immediatè à Deo Regibus conferri. Ait ſupremum Numen *Proverb. 8, 15. Per me Reges regnant, & legum conditores decernunt juſta. Per me Principes imperant, & potentes judicant terram.* Ita *Daniel. 2, 37.* de Nabuchdonoſore dicitur, *quòd ei Deus cœlitus regna, potentiam, opes atque honores dederit. Conf. c. 5, 18. & Sapient. 6, 4.* Gentium Doctor expreſsè teſtatur *c. 13. non eſſe poteſtatem niſi à Deo.* Nec obſtat, quòd Petrus eandem poteſtatem dicat *ἀνθρωπίνην κτίσιν.* Hoc enim verum eſt vel ratione objecti, quod circa humana verſetur, vel ratione modi acquirendi, quatenus homines eligunt Regem, cui à Deo poteſtas tribuenda ſit. Quod etiam vidit *a Sperone Spero in tract. della precedenza de Principi p. 64.* quando ita ſcribit: *Et in ſomma, ſi come è vero, che la potenza, la quale è forma del Principato ſpecialmente, è adoprata ſopra i ſoggetti, che*

sono al Principe inferiori, così è falso, che da soggetti discende in esso l' autorità dello esercitarla. Ma viene al Principe tal potenza da maggior cosa, che essi non sono, forte ancor da maggior cosa, che non è il Principe. i. e. Breviter, sicut verum est, potentiam, quæ specialis est forma Principatus, esse supra subjectos, qui sunt Principe inferiores, ita falsum est, à subjectis in ipsum descendere autoritatem illam exercendi. Sed competit Principi talis potentia à majori re, quàm sunt subditi, imò fortè à majore, quàm est ipse Princeps. Qui penitiorem cognitionem hujus argumenti desiderat, adeat jam laudatum Hornium, ubi per integrum sat prolixum capitulum fortissimis hanc causam rationibus tuetur, & respondet ad contraria.

Subjectum commune.] Parùm abest, quin hîc Grotius monstrum illud in sequiori politica natum, majestatem realem foveat. Non magis majestas de Civitate tanquam subjecto dici potest, quàm eruditio de Musæo, in quo vir doctus versatur, & exemplo se ipsum Grotius offendit. Si enim majestas est in civitate tanquam in subjecto, ut visus in corpore, sequitur, quòd extincto subjecto proprio ad commune non redeat, veluti extinctâ videndi naturali potentiâ in oculo visus ad corpus non redit, sed planè interit. Elegantiùs id exponit *Dn. Hornius de Civit. l. 2. c. 11. thes. 1. Argumenta*, inquit, *quibus doceretur hoc subjectum esse commune, erant adjicienda. Non supplet defectum illum simile à naturali quadam potentia petitum. Exempla in politicis politica & relationes civiles non naturales*

aut

aut alia diversa similitudines sunt conquirenda. Illud quoq; visus subjectum non satis accurata subtilitate fuit conceptum. Corpus non est subjectum alicujus facultatis animalis nisi mediante anima, quæ habet potentias naturales, & cum his materiam inhabitat. Corpus destituitur qualitatibus, quæ à sola forma proveniunt, & ideo nisi vulgari nimis loquendi formula subjectum non appellabitur. Sicuti forsan eruditionis subjectum aliquis nominaret Musæum, in quo vir eruditus commoratur. Sit interim corpus subjectum visus, non competet ipsi corpori nisi intercedente anima, cui principaliter & reliquæ potentiæ adhærent. Recedente anima extinguitur visus, & neq; oculus, neq; corpus subjectum amplius sunt. Jam si majestatis subjectum simili modo se habet, concludendum est, mortuo Rege, qui erat propriū subjectum majestatis, interire eandem & populum privari summo imperio, sicut cadaver omni qualitate animali destituitur. Cæterùm quod majestatem realem attinet, illam adhuc multis defendere est ausus *Limn. in Capit. Rudolph. II. ad art. 32. verb.* von Käiſerlicher Majeſtät. *num. 48. & multis seq.* Sed quàm infelicem damnatæ pridem opinionis patronum agat, quàmque dilutè & contra principia de majestatis natura disputet, cuique, qui vel mediocriter in civili doctrina versatus est, planum est. Agedum, examinemus ipsum, ne tanto Viro injuriam feciſſe videamur, antea brevibus de majestatis vocabulo dicturi. Majestas in Latio vetere vix illud quod jam nostris Politicis significavit. Apud illos enim authoritate, amplitu-

plitudine, excellentia, dignitate, decore &c. absolvebatur, interdum etiam potestate, licèt ea summa & independens non esset. Hinc est apud Livium *majestas matrimonialis*, & majestas tribunitia apud Asconium, & Lipsius majestatem Principis cum authoritate privata in hoc conceptu comparat. Imprimis verò Ciceronis in hanc rem eximia loca sunt, quæ majestatem per dignitatem & amplitudinem populi R. describunt. *Vid. in part. Orat. c. 30. & de Invent. 17. item q. 2. de Orat. 39. & 1. de Fin. 7.* Quem in sensum etiam bene disputat Limneus, de majestate Consulis, Prætoris, Senatus, &c. In civili prudentia, ubi de ordine Imperantium parentiumque agitur, Politicis nostris majestas semper est, summa ubique in civitatem potestas, quæ Principis personam inhabitat, & subditos obligat ad obsequium. Hæc una est anima illa & spiritus Civitatis, quem tot millia trahunt, ut ait Seneca, nihil ipsa per se futura, quam indigesta omnium rerum moles, nisi hoc igne animaretur. Utra nunc significatio magis propria sit, non multum contra Limneum dixerim, nec contumaciter repugnabo, si quis illam quoad usum & proprietatem prætulerit. Interim tamen illud observandum est, cùm de majestate reali & personali disseratio instituitur, majestatem sumi debere non vulgariter pro authoritate quâdam & amplitudine, sed politicè pro summa in civitatem potestate, idemque significare, quod Aristoteli πολίτευμα, καὶ τὸ κύριον πόλεως. Quod si itaque Limneus, quæ à numero 48. usque ad finem pro majestate reali defendenda disseruit, intel-

Digitized by Google

intelligi de majestate vult, quatenus Ciceroni & aliis Scriptoribus latinis usurpatur, nihil contra hodiernos politicos dixit, & inanis est disceptatio, quam adversa pars salvâ suâ sententiâ concedere potest. Sicut eodem vocis significatu rectè quis affirmat, majestatem habere tam Imperatorem, quàm Regem R. imò omnes Electores, Principes, Statusque Imperii: eamque majestatem non numero unam atque eandem cum personali, sed duas diversas majestates esse. Hæc omnia illo, ut dixi, modo se rectè habent, nihil tamen contra alios faciunt, qui per majestatem summam potestatem intelligunt, non amplitudinem quandam & dignitatem externam. Quin quòd nec Limnei omnia, quæ de majestate reali hîc prædicat, ad illum, quem putat, vocabuli conceptum apprimè quadrant, ut omnino, quicquid etiam dicat, de majestate politicè sumpta locutus videatur. Primò enim majestatem facit speciem contradistinctam personali. Deinde realem personali majorem dicit, quod sanè de excellentia & amplitudine quacunque intelligi nequit, quia ita personalis, ut summa potestas, sine dubio major esset. Tertiò reali majestati attribuit quosdam effectus proprios & internos, nimirum limitare eam & restringere majestatem personalem, ab ea procedere universale regimen, & ex concessione majestatis realis Imperantem agere, quæcunque agit: quæ itidem & similia de majestate, ut notat amplitudinem & authoritatem quandam sive dignitatem, nemo potest accipere, quia hujus proprii effectus non sunt, sed dependent ab aliis. Sicut enim, quod

plitudine, excellentia, dignitate, decore &c. absolvebatur, interdum etiam potestate, licèt ea summa & independens non esset. Hinc est apud Livium *majestas matrimonialis*, & majestas tribunitia apud Asconium, & Lipsius majestatem Principis cum authoritate privata in hoc conceptu comparat. Imprimis verò Ciceronis in hanc rem eximia loca sunt, quæ majestatem per dignitatem & amplitudinem populi R. describunt. *Vid. in part. Orat. c. 30. & de Invent. 17. item, 2. de Orat. 39. & 1. de Fin. 7.* Quem in sensum etiam bene disputat Limneus, de majestate Consulis, Prætoris, Senatus, &c. In civili prudentia, ubi de ordine Imperantium parentiumque agitur, Politicis nostris majestas semper est, summa ubique in civitatem potestas, quæ Principis personam inhabitat, & subditos obligat ad obsequium. Hæc una est anima illa & spiritus Civitatis, quem tot millia trahunt, ut ait Seneca, nihil ipsa per se futura, quam indigesta omnium rerum moles, nisi hoc igne animaretur. Utra nunc significatio magis propria sit, non multum contra Limneum dixerim, nec contumaciter repugnabo, si quis illam quoad usum & proprietatem prætulerit. Interim tamen illud observandum est, cùm de majestate reali & personali differatio instituitur, majestatem sumi debere non vulgariter pro authoritate quâdam & amplitudine, sed politicè pro summa in civitatem potestate, idemque significare, quod Aristoteli πολίτευμα, καὶ τὸ κύριον πόλεως. Quod si itaque Limneus, quæ à numero 48. usque ad finem pro majestate reali defendenda differuit, intel-

intelligi de majeſtate vult, quatenus Ciceroni & aliis Scriptoribus latinis uſurpatur, nihil contra hodiernos politicos dixit, & inanis eſt diſceptatio, quam adverſa pars ſalvâ ſuâ ſententiâ concedere poteſt. Sicut eodem vocis ſignificatu rectè quis affirmat, majeſtatem habere tam Imperatorem, quàm Regem R. imò omnes Electores, Principes, Statusque Imperii: eamque majeſtatem non numero unam atque eandem cum perſonali, ſed duas diverſas majeſtates eſſe. Hæc omnia illo, ut dixi, modo ſe rectè habent, nihil tamen contra alios faciunt, qui per majeſtatem ſummam poteſtatem intelligunt, non amplitudinem quandam & dignitatem externam. Quin quòd nec Limnei omnia, quæ de majeſtate reali hîc prædicat, ad illum, quem putat, vocabuli conceptum apprimè quadrant, ut omnino, quicquid etiam dicat, de majeſtate politicè ſumpta locutus videatur. Primò enim majeſtatem facit ſpeciem contradiſtinctam perſonali. Deinde realem perſonali majorem dicit, quod ſanè de excellentia & amplitudine quacunque intelligi nequit, quia ita perſonalis, ut ſumma poteſtas, ſine dubio major eſſet. Tertiò reali majeſtati attribuit quosdam effectus proprios & internos, nimirum limitare eam & reſtringere majeſtatem perſonalem, ab ea procedere univerſale regimen, & ex conceſſione majeſtatis realis Imperantem agere, quæcunque agit: quæ itidem & ſimilia de majeſtate, ut notat amplitudinem & authoritatem quandam ſive dignitatem, nemo poteſt accipere, quia hujus proprii effectus non ſunt, ſed dependent ab aliis. Sicut enim, quod

Aristoteles dicere solitus est, honor non honorati est, sed honorantis; ita hæc amplitudo, hæc dignitas, consistit non tam in ipsa Rep. cui exhibetur cultus ille, quàm in iis, qui eum exhibent, & majestatem Reip. ex opinione potentiæ, splendoris aut antiquitatis ortam comiter colunt: Quare profectò non potest non Limneus de majestate reali, ut potestatem superiorem infert, concipi, quam in una Rep. cum personali bene consistere posse asseruit. Qua ratione informato quæstionis statu à nobis eundum contra est, & Limnei argumenta, quàm brevissimè, diluenda, postquam à priori paucis lineolis demonstraverimus, ob moralem impossibilitatem realem majestatem ab omni Rep. proscribendam esse. Si majestas realis in civitate verè est, erit illa personali majestate vel major, vel minor, vel par. Neque quartum in rerum natura datur. Quodcunque horum trium sumpseris: in absurdissimas te involves difficultates, & civili sapientiæ temeritatis condignas pœnas dabis. Quod si enim realis majestas personali major est, personalis non erit majestas, quia majestas est summa in civitatem potestas; summa autem potestas ea esse non potest, quâ adhuc datur major & superior. Si realem majestatem personali minorem asseris, ob eandem rationem majestas non erit, quia personali subordinatur, vera autem majestas est summa & super omnia. Si utramque parem majestatem putas, nihilomagis proficis, & jam non obscurè ordinem civilem præcipuâ suâ parte, sc. imperii facultate privas, & simul infinita in Remp. incommoda invehis, quorum vel unum

ad

ad totius pernitiem sufficit. Ecce tibi has pugnantissimas conclusiones, quæ ex illa sententia oriuntur, & nullo leniri malagmate possunt. Majestas est summa in civitatem potestas; Realis atque personalis utraque separata est in una civitate majestas; E. utraque erit in Civitate potestas summa. Enunciatum prius omnium Politicorum unamini, nec dubio etiam Aristotelis (a) consensu constat: κύριον μὲν γὰρ, inquit, πανταχοῦ τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως. Et (b) πολίτευμά ἐστι τὸ κύριον τῶν πόλεων. Quamvis Limneus dubitet, an rectè apud Aristotelem τὸ πολίτευμα per majestatem explicetur, quoniam πολίτευμα & πολιτεία idem significant, πολιτεία verò non sit majestas, sed quæ latinis dicitur Resp. Respondeo, Respublica est ordo Civitatis, regimine civili instructus, & propterea subjectum majestatis, adeoque apud Aristotelem continens pro contento positum fuit. Interpretantur illa Aristotelis verba ad nostrum sensum à Græcæ linguæ peritissimis viris, nec multum Limneum juvat vulgaris interpres, qui pro majestate administrationem publicam substituit. Nam illa publica administratio sumi etiam bene potest non tantùm actualiter, sed & in potentia pro facultate regendi civitatem, quæ facultas etiam Grotio majestas audit. Est itaque πολίτευμα facultas regendi civitatem, facultas autem illa eadem cum majestate est, & summa potestas vocatur, aut, ut Aristoteles, τὸ πανταχοῦ κύριον. Sive enim hæc verba vertes per ubique summum, sive per sum-

(a) 3. Pol. 4.
(b) 3. Polit. 5.

mam potestatem, nihil quoad sensum & rem ipsam refert, & nescio quam inanem subtilitatem in his Limneus quærat, propterea quæ Cellario licentiosam extensionem nulla ejus culpa affingat, qui potiùs laudandus esset, quòd, cùm summum in Civitate & summa potestas idem sit, hoc potiùs elegerit, quod elegantiori sono effertur, & jucunda perspicuitate se magis commendat. Illud verò planè tolerari non potest, quod existimat Limneus, verborum Aristotelis, κύριον μὲν γὰρ πανταχοῦ τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως, hunc sensum esse, *etenim præcipuum ubique est πολίτευμα civitatis:* vocabulum enim, *præcipuum*, huic materiæ nimis indifferens est, ideoque magis illam significationem sequimur, quæ substratæ convenit materiæ, & hoc in græca lingua quotidianum, ut vocabuli polysemi sensus ex objecto sit eruendus. Nunc ad rem. Propositionem minorem, quæ ita habet, *realis atq; personalis utraq; separata est in una civitate majestas*, confessione propria eorum probo, qui patroni sunt realis majestatis, & hactenus καὶ ἀνθρωπος disputo. Sequitur ergo ex præmissis his rectè collocatus. *E. utraq; erit in Civitate potestas summa.* Dii boni, quàm inauditum in vera politica effatum, duo summa in Civitate dari, & quot inde contradictoriæ sequelæ gravissimæque confusiones oriundæ sunt! Summum est, quod est supra omnia, & cui nihil par est, atque æquale. Constitue duo summa in Civitate, neutrum summum erit, quia neutrum est super omnia, cùm sint inter sese paria; Quemadmodum duarum arborum, (ut rudi tantùm exemplo utar,

utar, & quod, ubi in genere de ſummo quæritur, procedere poteſt) æquali inter ſe proceritate, reliquas verò omnes longitudine vincentium neutra in totâ ſilva ſumma eſt, eſt enim aliqua, quæ huic par eſt. Vidit hoc telum Limneus, & cauſæ deploratæ diſtinctione ſubvenit, quæ tamen ad rem præſentem, ut vinum ad ardentem febrim. *Duo ſumma*, inquit, *ſimul & ſemel eodem reſpectu in una Rep. dari non poſſe, ſed diverſo reſpectu poſſe: quod exemplo Conſilii Aulici & Judicii Cameralis probatur, quorum utrumq; ſummum in Imperio tribunal dicitur. Quando in Rep majeſtas dicitur ſumma, & majeſtas perſonalis etiam ſumma, diverſo id fit reſpectu. Nam ſi majeſtates illæ inter ſe una ad aliam examinantur, realis ſola ſumma eſt, & perſonalis ab illa dependet. Eſt nonnemo, qui diverſitatem inter utramq; ita explicat, ut majeſtas realis ſumma dicatur in ordine fundandi Remp. perſonalis autem ſumma in ordine regendi. Mihi videtur realem ſummam eſſe reſpectu poteſtatis & dignitatis, quâ ante Imperatorem eſt, utpote cujus beneficio Imperator eſt, & cujus ex collatione poteſtatem habet, quam exercet, cùm illa proprio jure & vi libertatis ſuæ majeſtatem habeat, atq; exerceat. Perſonalem autem ſummam eſſe arbitror, ſi cum ſingulis Reip. membris, ordinibus & Magiſtratibus conferatur. Ut enim univerſitas in Imperatorem poteſtatem ſuam exercere poteſt, ita Imperator ſuam in ſingulos de univerſitate.* Hæc omnia & ſi quæ ſimilia in genuinâ civili prudentia monſtroſiſſimi abortus ſunt, qui informem in hoc habitu ſcientiam ſatis pro-

produnt. Si quis negat duo vel plura in una Civitate summa dari, affirmanti assertio probanda est, & demonstrandum ad oculum, qui nam sint illi diversi respectus, sub quib⁹ summitatum pluralitas admittitur. Nos impossibilitatem paulò antè explicavimus. Non conficiet tantam rem exemplum Consilii Aulici & Judicii Cameralis, quorum utrumq; in Imperio summum tribunal dicitur. Neminem Limneus tam infantem credere debebat, qui adeò jejuno exemplo commoveretur, nisi fortiores rationes firmandæ opinioni attulerit. Dicitur Judicium Aulicum & Camera summum in Imperio tribunal, sed non eo conceptu, quo nos summum in civitate vocamus, & intelligimus summam ubique potestatem, quæ omnibus imperat, ipsa verò neutri subest, adeò ut nec parem habeat. Hoc tale summum, quo diverso respectu in Civitate possit multiplicari, docendum erat, non verò ad alia descendendum, quæ ne quidem in quæstione sunt, adeoque nihil adversariis obstant. Est Camera Imperialis & Consilium Aulicum summum tribunal, sed saltem justitiæ, neque utriusque operationes ulteriùs extenduntur. Non potest leges universales ferre, non de bello consultare, non comitia habere, &c. suis juris finibus circumscriptum in potestatis concessione limitata quiescit; Summa verò potestas in civitate omnia facere potest, quia super omnes est, quibus imperat. Quanquam si quis rem velit rectè considerare, non absurdè diceret, hæc duo tribunalia non tam duo summa quàm unum esse, quia utrumque Imperium, quod unum est, repræsentat: id verò, quod

quod repræsentat, ejusdem qualitatis & naturæ est, cum eo, quod repræsentatur. At hoc est unum, ergo & repræsentans. Concesso tamen, esse duo summa, nihil id contra nos, quia non sunt ita summa, sicut in quæstione est, sed alia diversa. Sunt enim summa dependentia ab Imperio; Nostrum autem summum independens esse debet, atque hujus non illius pluralitatem in una Civitate negamus. Aliàs non solùm plura summa tribunalia, sed & summi Magistratus in Rep. rectè possunt constitui. Sicut Consules & Præsides & Prætores in Romano orbe, ille in urbe erat summus Magistratus, hi autem in provinciis: neque propterea duo statim summa politica in civitate sunt. Sed accedamus propiùs, & videamus, quo respectu majestas realis summa sit, & quo personalis. *Est nonnemo*, inquit, *qui diversitatem inter utramq; ita explicat, ut majestas realis summa dicatur in ordine fundandi Remp. personalis autem summa in ordine regendi.* Quia nec ipse Limneus huic accedit opinioni, prolixa refutatione opus non est, id saltem verbo monendum, non intelligi posse, quid sit majestas in ordine fundandi Remp. & quomodo à majestate in ordine regendi distinguatur. Quamdiu agitur de Rep. fundenda sive constituenda, tanquam nondum constituta, nulla adest majestas, cùm nullus sit ordo inter imperantes & parentes, sed omnes adhuc pari libertate de futuro regimine deliberent. Quamprimum autem majestas accedit, Resp. est fundata, & Principi competit facultas regendi Civitatem. Profectò ipsi scriptores se tam obscuris distinctioni-

ctionibus non intelligunt, & indistincta verborum confusione argumento fucum facere volunt, quod ingenuè tractatum domestica absurditate satis se commendaret. Sed hæc contra alios. Nunc eccum ipsum. *Mihi*, inquit, *videtur realem summam esse respectu potestatis & dignitatis, quâ ante Imperatorem est, utpote cujus beneficio Imperator est, & cujus ex collatione potestatem habet, quam exercet, cùm illa proprio jure & vi libertatis sua majestatem habeat, atque exerceat. Personalem autem summam esse arbitror, si cum singulis Reip. membris ordinibusq; & Magistratibus conferatur.* Principio illud desidero, quod cùm Limneus de majestate reali in genere agat, in probatione descendat ad hypothesin Reip. Germanicæ, in qua restrictius paulò est summæ potestatis exercitium, & propterea lectori credulo faciliùs imponitur. Deinde verum non est, sed simpliciter tantùm asseritur, majestatem realem supra Imperatorem esse, ejusq; beneficio esse Imperatorem & ex collatione majestatis realis habere potestatem. Prodigiosa hæc in civili sapientia axiomata satis ostendunt, Limneo sufficienter cognitâ non fuisse majestatis neque naturam neq; causam efficientem. Majestas est summa in Civitatem potestas. Omnis verò potestas est à Deo, teste infallibi Paulo Rom. 13. quomodo itaque potestas Imperatoris, quæ immediatè à Deo est, à majestate reali fictitio & inani nomine esse potest? aut quâ ratione, quod sicut Rex omnis, ita Imperator noster collationi solius Dei acceptum fert, id à majestate reali collatum erit? quæ qualis omnino sit, adhuc

ipsi

ipſi neſciunt patroni ejus. Illud verò multò inſolentius, quando ait, *illam* (i.e. majeſtatem realem) *proprio jure & vi libertatis ſuæ majeſtatem habere atq; exercere.* Diſcite novum hoc vos omnes Politici dogma, *majeſtatem habere majeſtatem, & majeſtatem exercere majeſtatem*, & ſic majeſtas majeſtati inerit, & accidens adhærebit accidenti. Hactenus creditum omnibus eſt, majeſtatem requirere certum ſubjectum, à quo exerceri velit. Nunc Limneo auctore ipſa majeſtas exercetur à majeſtate, & in ejus gratiam tota ſe transformat natura, cui hucusque inauditum erat, eſſe accidens in accidenti. Redolet hæc Limnei opinio haud obſcurè illud Politicorum, omni cœtui naturaliter ineſſe potestatem ſe regendi, neque enim aliter interpretari verba licet, proprio jure & vi libertatis ſuæ majeſtatem habere. Cui tamen ſententiæ quoniam maſculè contradictum à Dn. Hornio eſt, *de Civit. l. 2. c. 1.* eò lectorem remittendum cenſeo. Nec magis conſideratè illud dictum eſt, *perſonalem ſummam eſſe, ſi cum ſingulis Reip. membris, ordinibus & Magiſtratibus conferatur.* Nam qui ſingulis in Civitate major eſt & ſuperior, ille eſt etiam ſuperior univerſis, quoniam ex ſingulis conficitur univerſitas; quicquid itaque de ſingulis dicitur æqualiter, id de univerſitate omnino dici debet. Sic Dux exercitus, qui ſingulis imperat militibus, omni imperat exercitui, & Imperatori ſinguli ſubſunt: E. & tota univerſitas. Singuli enim Imperatori obligantur ad obſequium & ſubjectionem, qua ratione igitur omnes eidem majores erunt vel imperabunt, cùm ab omnibus

confe-

conferatur obsequium, ex quo diversissima res imperium non producitur, imò ne quidem cum obsequio idem subjectum per rerum naturam inhabitare potest. Sint tibi multa millies millena hominum, quorum nullus ne obolum quidem possidet, nunquam ex his divitem multitudinem composueris, quemadmodum ex servis infinitis ne unum mihi dominum feceris. Itaque qui singulis imperat, imperat universitati, & propterea falsissimum enunciatum est, universitatem in Imperatorem potestatem suam exercere, quod Deo volente alibi pluribus contra Limn. defendam. Ex quibus simul illud liquet, nihil minùs verum esse, quàm quod dicitur, *si majestates illæ inter se una ad aliam examinentur, realem solam summam esse, & personalem ab illa dependere.* Nam si personalis summa est, realis non erit summa, quia summum super omnia est. Sed personalis est summa respectu singulorum, ipso concedente Limneo, & per consequens etiam respectu universitatis; E. realis summa non est: imò verò planè nulla, ut ab initio statim ad oculum deduximus. Sed videamus etiam, quibus rationibus Limneus existentiam majestati reali vindicet. Ubi statim illud monendum, tam ipsum, quàm omnes alios hujus sententiæ propugnatores totam quæstionẽ præposterè tractare, & omissa definitione pomposos verborum sonus venditare pro rebus, contra Philosophiæ monita, quæ tamdiu illud ipsum, de quo quæritur, ignorari necesse esse tradit, quamdiu de accuratissima, quoad fieri potest, definitione non constiterit. Est enim definitio, quæ nobis

bis totius rei naturam & affectiones velut in compendio exhibet. Verùm facilè defectus hujus causam subolere possumus; Scilicet tam absurdæ sententiæ vindices rem, quam ignoraverunt, definire non potuisse, quia adhuc illis nondum convenit, quæ & qualis, ubi sit, & cui inhæreat subjecto, quæ sit ejus natura, operationes, affectiones & qualitates. Hæc omnia magna ex parte omissa videmus, paucula verò quædam ita explicata, ut sua absurditate magis implicent, quàm certi aliquid definiant. Condonetur interim illis hæc ignobilis socordia, & examinemus in præsens, quantæ sint & quales rationes, quæ majestati reali favent. Ubi iterum Limneum loco omnium substituemus, & judicet deinde cordatus lector, quid causæ fuerit, cur tantæ fabulæ adeò contumaciter nonnulli adhæserint. *Realis altera*, inquit, *illa dicitur, quæ Reip. adhæret, hoc est, universitati.* Sed unde scis, mi Limnei, realem quandam majestatem dici, quæ universitati adhæret? à quo est illa majestas realis, quæ Reip. competit? *Hanc realem majestatem quælibet Resp. libera vel populus liber obtinet.* Est petitio principii: nam id adhuc in quæstione est, & exigitur asserti probatio, quod à nobis negatur. Si affirmasse sufficit, quid tandem veri, quid falsi esse poterit? Libet populus præter facultatem se regendi, quæ ex pacto oritur & eligendi, quando placuerit, super se caput, nihil amplius habet, quod an majestas realis sit, viderint alii, illud haud intrepidè assero, nugas esse, & anilia figmenta, *posse populum salva sua reali majestate vi ejusdem alteri majestatem personalem concedere, eo*

cum gradu potentiæ, quem vult. Nam priùs firmissimis argumentis demonstrandum fuisset, habere populum realem majestatem, antequam de concessione, quæ vi ejusdem fit, sermo fieret, deinde quodcunque ab aliqua re vi ejus conceditur, ejusdem speciei cum illa esse oportet; jam verò majestas personalis à reali tota differt specie: E. vi ejusdem non conceditur. Quin si concederetur personalis majestas, salva realis manere non posset, quia personalis est summa in civitate potestas, quæ omnes sibi cives & totam universitatem subjicit; extingueretur itaque realis illa ab obsequio & parendi conditione, quæ cum imperio idem subjectum nequit inhabitare. Sed & habent hîc non solùm Politici, verùm etiam Theologi novi quid, quod discant. Hactenus ab omnibus Apostolo Paulo, per cujus os Spiritus S. infallibilem veritatem locutus est, creditum fuit; Omnem esse potestatem à Deo. Nunc quibusdam omnis potestas Principum atque Regum à majestate reali derivatur, & ita leviſſimi populi judicio sanctissimi Dei in hoc orbe vicarii subjiciuntur. Quæ porrò Limneus de formatione, informatione & reformatione majestatis personalis dicit, hosque actus reali adscribit, vanus est, sicut ipsa realis majestas. Non entis nullæ affectiones aut operationes sunt, & quicquid in imperiis quibusdam occurrit limitati, id omne ad modum habendi majestatem pertinet, ex quo capite intelligi debet. Porrò, si Limneus liberum populum subjectum majestatis realis esse vult, jam subjectum suum cum omni majestate reali prodidit. Nam quamprimùm vera personalis

majo-

majestas Principi à Deo per modum electionis aut successionis collata est, populus ampliùs liber non est, sed sub imperio & potestate Regis, cujus ad nutus parere, solum suspicere, soli obedire adstringitur. Quando autem Regem nondum habet, in libertate quidem vivit, sed tunc quæstio de personali vel reali majestate otiosa est, quia non adsunt diversa subjecta, quibus utraque possit inesse: *Quacunque*, inquit ulteriùs Limneus, *majestate personali condecoratus agit, non suo pro arbitrio, nec suo jure proprio agit, sed tanquam minister administratorio nomine & jure.* Seditiosæ locutionis audaciam, quibus potissimùm verbis exprimam, non invenio. Quæ, sodes, invidia est, Ordines Imperii ad summæ potestatis participationem vocare, & ita illis ipsis quicquam quasi de alieno largiri? Imperatorem verò, qui totius Imperii sacrum caput, imò unicus summus Princeps est, nudi administratoris dehonestare nomine, quasi non suo jure, i. e. concessa sibi potestate, sed alieno arbitrio, & ita ea, quæ ad alios pertinent, administraret? Est sanè administrator Imperii, sed non ut officialis, ut minister, qui alienis rebus operam suam pretio addixit; Verùm ut Rex, ut paterf. ut dominus. Est caput Imperii. E reliquis membris dominatur non secundùm absolutam, sed limitatam, summam tamen potestatem. Respondet Limneus. *licèt Imperator in eo caput sit, animam tamen, quæ majestas realis, excellentiorem capite esse, tanquam totum, adeoq; ipsum caput movens, regens, informans.* Quis non hîc manifestam in vocabulo, *caput*, deprehendit λογομα-

χίαν, ipsi Limneo *n.73.* improbatam? Dicitur Imperator caput Imperii, ut caput corporis humani. Hoc verò non de nudis tantùm ossibus, carne, cute & capillis intelligendum, sed imprimis de ratione, quæ caput tanquam suum organon animat & regit. Sit nunc Imperator caput, erit simul anima Imperii, & habebit, ita colligente Limneo, realem majestatem; quid relinquitur Ordinibus? *Caput externè corporis reliqua membra regere videri*, falsum est, nisi caput intelligas, qua anima & ratione informatur. Sine ea non magis corpus regit, quàm vel manus vel pes, vel nescio quid. Sola itaque rationalis anima est, quæ hominem, præcipuè verò caput ejus, tanquam maximè idoneum subjectum ad exercendas operationes suas inhabitat: & cùm caput hominis dico, rationem imprimis subintelligo, quemadmodum hic vel ille bonum caput habere laudatur. Der hat einen guten Kopff / nam si de capite materiali caperetur locutio, caput firmissimi rustici prævaleret capiti doctissimi hominis. Et si ipse Limneus Politicorum caput est, materialiter sanè non est. *In imperio nostro*, pergit, *constat, Imperatori aliam potestatem vel majestatem non competere, quàm qualem, ubi electus, nomine majestatis realis accepit.* Unde autem hoc constat? Constat mihi potiùs, Imperatorem accipere talem potestatem, qualem ei Deus immediatè cœlitus dat; Electores verò concurrere tanquam instrumentum, eligendo subjectum, cui à Deo imperium concedendum est. Accipit enim Imperator majorem potestatem, quàm ipsi habuerunt Electores; E. illam ab Electoribus

habere

habere non poteſt. Electoribus in cæteros Principes nihil imperii, nihil juris eſt; Imperatori autem noſtro in omnes Reip. Ordines poteſtas. Capitulatio illi præſcribitur tanquam norma actionum ſuarum. Illa verò non eſt majeſtas realis, ſed quidam modus, per quem ſe Imperator Statibus obligat, velle ſecundùm ea, quæ ex utraque parte placuerunt, poteſtate uti. *Certè rationi non convenit*, objicit, *eum, qui adminiſtrationis ſibi commiſſæ rationes reddere debet, ſuperiorem dicere eo, cui eam reddere debet.* Reſpondeo, non adeò certum eſt, teneatur Imperator coactivè rationes geſti Imperii reddere, neque hîc ea diſcutiendi locus. Tutor tamen non eſt inferior pupillis ſuis, quibus adminiſtratæ tutelæ rationes reddit. Verum eſt, *habere Imperatorem* effectivè à ſolo Deo *facultatem adminiſtrandi*, non liberam, ſed ab Ordinibus in actu ſecundo circumſcriptam per Capitulationem in vim pacti validam, *quos intra limites ſi ſe continet, adminiſtrat virtute ſacri Imperii.* Habeo, inquit Limneus, quod volo; *E. non ſua.* Nego conſequentiam. Imperium enim Imperatoris eſt, & qui virtute imperii à Deo ſibi conceſſi imperat, is ſua virtute Imperat, non aliena. Profluunt hæ informes ſequelæ omnes à falsò præcepta opinione, Principem eſſe alieni imperii adminiſtratorem ſeu miniſtrum, à quo monſtroſiſſimo principio non poſſunt non abortivæ concluſiones ſequi. Nudi adminiſtratoris nomen Regibus tributum nunquam ſine commotione animi lego, dum audaciam ſcripturientium homuncionum ſatis mirari nequeo, qui tam profano ore

Optimi Dei majeſtatem Regibus communicatam ad tam humile ſervitium condemnant. Quæſo enim, cur Rex magis eſt adminiſtrator populi, quàm populus Regis ſubditus? Ille ſummam in omnes cives eorumque bona poteſtatem habet, proptereaque Remp. ſuo, non alieno jure regit; populum verò manet obſequii conditio. Quàm abſurdum itaque eſt dicere, Dominum in Rep. agere res familiæ ſuæ poteſtate à muliere & filiis & ſervis ſibi conceſſa; tam impium profectò cives ſupra Principes, ſub quo ſunt, parricidali evehere audacia. At *Rector Univerſitatis membrum eſt præcipuum reſpectu ſingulorum, ſed reſpectu totius corporis eſt membrum, quod regit motu non proprio, ſed alieno, itaque inferius movente.* Reſpondemus, ſimile ideo non procedere, quia eſt circa diverſa. Rectoris Univerſitatis poteſtas eſt dependens à ſumma civitatis poteſtate, quæ Rectorem conſtituit. Nobis verò de poteſtate ſermo eſt, quæ à nullo niſi Deo dependet. Audiamus jam Limnei probationes, pro majeſtate reali comparatas. *Sed ne*, inquit, *in vanum laboremus, firmanda erit noſtra diſtinctio, & ſatisfaciendum illis, qui realem majeſtatem non admittunt, quanquam videntur media in luce cæcutire, & ne quidem ab effectu cauſam velle agnoſcere, obcæcati potiſſimum ea doctrina, quamlibet majeſtatem eſſe ſummam.* Non noſtra ea culpa eſt, quòd nos videamur cæcutire Limneo, agit ille nobiscum, ſicut naturâ cœcus, qui ſolem in cœlo eſſe negat, quem nunquam vidit. Agnoſcimus libenter cauſam ab effectu, ſed effectum rei, tanquam cauſæ,

quæ

quæ ejus causa non est, adscribere nondum didicimus. Omnis limitata Imperatorum potestas procedit non ex majestate reali, sed pacto quodam inter Imperantem & Ordines inito, quod pactum vera & sola restrictæ administrationis causa est, & explicatur eadem ratione, sicut modus, qui servitutibus adjectus rem ipsam non immutat, sed conditionẽ habendi. Omnem majestatem politicè sumptam esse summam, certissimum est principium, & qui secus sentiunt, vulgari vocabuli conceptu occœcati ridiculas Politicis pœnas dant. Imò si Limneus majestatem capit per totum hunc discursum pro amplitudine & authoritate quacunque, non solùm irritum acumen contra alios exercet, sed & tam prolixo discursu omnino opus non fuisset; Cedo tamen, Limnei, rationes, quæ tantæ assertioni sufficiunt. *Majestatem realem*, inquit, *populi R. quam habuit, etiam tunc, quando Imperatorum potestas erat permagna, probat l. non dubito. 7. §. 1. ff. de Capt. & post l. reverſ. & §. 3. I. de publ. jud.* Cùm primùm hæc legi, avidam continuò ad corpus juris porrexi manum, ut tam incredibilem mihi semper probationem discerem. Evolvi itaque *l. 7. §. 1.* ubi hæc inveni verba. *Liber autem populus est is, qui nullius alterius populi potestate est subjectus, sive is fœderatus est, item sive æquo fœdere in amicitiam venit, sive fœdere comprehensum est, ut is populus alterius populi majestatem comiter conservaret, hoc enim adjicitur, ut intelligatur, alterum populum superiorem esse, non ut intelligatur, alterum non esse liberum.* His perlectis initio incusavi typographum, qui fortè adulterinum

num subſtituit textum. Nullum enim hic verbulum de majestate reali. Deinde verò considerata paulò attentiùs lege, itemque tum, quæ statim Limneus subjicit, loqui hos textus de eo tempore, quod Imperii translationem secutum est, tum quæ in toto hoc discursu non una vice repetit, posse populum liberum salva majestate reali alteri concedere personalem, redii cum typographo in gratiam, & visus tandem mihi sum vim argumenti ad mentem Limnei hanc inveniſſe. Si populus liber est, qui sub nullius potestate est, sequitur, quòd populus R. liber fuerit etiam tunc, cùm sub Imperatoribus vixit, & propter hanc libertatem naturaliter habuerit majestatem realem. *Vid. Limn. n. 50. & 51.* Sed talem conclusionem Juriconsulto Proculo ne quidem in mentem venisse, sanctissimè juraverim. Definit ille populum liberum, qui nullius alterius populi potestati est subjectus, & ita de populo in universum sentit, sive Regem habeat, sive non. Et subjectionem non in ordine Civitatis ad se invicem, sed ad extraneos intellexit: putavitque eo respectu esse quoque populum non minùs liberum, qui Principem habet, quàm qui regimine populari utitur, modò aliis extraneis non sit subjectus; quando enim Proculus ait, *populus liber est*, populum à Principe, sub quo est, non abstrahit, sed utrumque complectitur. De majestate verò reali, & adeò detorta explicatione ne cogitare quidem potuit, quia antiquis Politicis & Jureconsultis majestas realis ne nomine quidem, multò minùs re ipsa cognita fuit, qui unicam semper politicam agnovere, τὸ παντὸς κράτος. ad. §. 3. I. de publ. jud. possum reponere.

ibi

ibi vel Imperatorem & Remp. pro eodem debere intelligi, non diversis, quia Imperator est Reip. Princeps, & quod in Remp. fit, id in suam injuriam non potest non fieri. Vel si quis mavelit pro diversis accipere, hic sensus erit. Crimen læsæ majestatis committitur vel in Imperatorem, quando scilicet Imperatorem civitas habet, vel Remp. si libera est. Ut hac ratione verba generalia sint, nec soli Reip. R. adaptentur, sed in universum definiant, quomodo quis læsæ majestatis reus fiat. Atque hæc quidem de vetere Romanorum Rep. *Imperii nostri majestatem realem*, inquit, *hoc est, potestatem & dignitatem Statuum universorum satis innuunt phrases, locutiones illæ, quibus Recessus Imperii abundant. Ubi Imperatoris & Imperii dignitas vel authoritas atq; potestas conjunguntur.* Quam in rem multa adducit exempla, *Vel ubi omisso Imperatoris nomine Imperio potestas & dignitas attribuitur.* Respondemus primò, Status & Ordines Imperii habere auctoritatem quandam & potestatem, non negamus, sed illa non est summa & independens, adeoque nec majestas realis. Deinde conjungi Imperatorem & Imperium, quia Imperator est Imperii caput, non quòd Ordines sint Imperatore superiores. Quomodo enim reliqua membra majora capite esse possunt? Formula igitur, unter und deß Reichs / & similes, complexum totius Reip. absolvunt, & quod à Cæsare in utilitatem Ordinum Imperii constitutum est, id rectissimè Imperatoris atque Imperii dicitur. In Gallia sine dubio summa potestas apud Regem est, cujus decreta & constitutiones tamen non minùs appositè

Regis & Regni Galliæ dici possunt. Si cui hæc explicatio minùs arridet, ei nobis authoribus dicere licet, Imperatorem & Imperium ideo conjungi, quia ob limitatam potestatem & vi Capitulationis obligatus est Cæsar Ordines vocare in consilium, si de Rebusp. quæ paulò majoris momenti sunt, deliberatio instituitur. Quare quicquid iis consulentibus & votantibus decretum est, id certo respectu etiam Ordinum dicitur, ipsa tamen summa potestas Imperatori manet integra. Ubi autem Imperatoris nomine omisso sola Imperii mentio fit, ibi Imperium Imperatorem denotat, quemadmodum qui antiquis temporibus Romanum Imperium dixit, Principem ejus nominavit. Ratio est certissima. Nam Imperium tota sua latitudine Imperantes atque parentes denotat; Ab Imperantibus actiones summæ potestatis dependent, ad quas parentes se formant atque dirigunt. Hinc si Imperium aliquid fecisse dicitur, intelligi nemo alius potest, quàm ille, qui agendi potestatem habet; i. e. Princeps seu Imperator: non subditi, ad hos enim spectat obsequium & executio voluntatis regiæ. Quæ constitutiones publicæ Imperatorem administratorem faciunt, illæ loquuntur non de administratore rei alienæ seu mandatario, sed καθ' ἐξοχὴν, & rei suæ. Negari enim nequit, administrare Remp. Imperatorem, & hoc modo rectè vocari administratorem. Verùm hoc non tantùm de nostro Imperatore, sed omnibus aliis Regibus summisque potestatibus prædicare valemus, etiamsi absolutissimè regnarent. Sic etiam dominus familiæ suæ est administrator, neque tamen servorum res, sed

ſuas proprias agit. Maximilianus I. Imperii majeſtatem in ipſis Ordinibus ineſſe cùm dixit, majeſtatem accepit vulgariter pro auctoritate, amplitudine & excellentia, quod de Ordinibus optimo jure enunciatur, nam quò quis dignioribus & ſplendidioribus præeſt, hoc magis ejus imperium cæteris eminet. Imperatore vivo Ordines alii etiam majeſtatem conferre poſſe, ſi de ſumma poteſtate intelligit, falſiſſimum eſt, quoniam una ſaltem majeſtas Reip. præſidet. Nec quicquam ad rem facit exemplum Regis Rom. Non enim ei confertur ipſo actu Imperium, quod vivus Imperator retinet, ſed ſaltem eligitur perſona, cui poſt mortem Imperatoris poteſtas à Deo tribuenda eſt, quæque vivo Cæſare certis ſaltem caſibus ejus nomine & auſpicio res publicas agit. Si Rex Rom. majeſtatem actu haberet, quorſum pertinuiſſet omnibus ferè Capitulationibus inſerere illam clauſulam, ne ſibi facultatem arroget tractandi res Imperii, quamdiu Imperator vixerit: majeſtas nunquam otioſa eſt, & toto genere ſuo inhiberi nequit. Quatenus tamen majeſtas ſplendorem quendam externum notat, lubenter concedimus, hanc Regi Rom. conferri, ſed per illam nihil ſummæ poteſtatis, nil imperii acquirit. In quantum etiam Ordines majeſtatem Cæſaris revocare queant, nunc non diſcutimus, quia materia hæc unâ paginâ non abſolvitur. Verbo ſaltem dicimus, multa de facto fieri, quæ intrinſecè examinata nullum jus habent, inter quæ, ſi quoque depoſitionem Cæſaris retulerim, haud multum profectò erraverim. Nulla publica lege de depoſitione iſta quicquam cavetur,

nec

nec exemplis semper tutò confidere licet. Quæ de appellatione ab Imperatore ad imperium sequuntur, nihil ad rem præsentem, adeoque sine ullo discrimine omitti possunt. Atque ita examinavimus totum de reali majestate Limnei discursum, in quo nihil omnino prætermisimus, quod vel mediocriter alicujus momenti esse nobis visum est. Quæ omnia si quis rectè consideraverit, facilè animadvertet, immeritò Limneum de quibusdam dicere Politicis, *quod abstractivè tantùm & secundùm theoriam hactenus explicaverint negotium, quodq; inde evenerit, ut ipsorum traditiones, quæ in scholis pro veris habentur, usui & praxi communi minùs conveniant.* Non multum jam urgebo, errare omnes eos, qui habitus practicos theoreticè tractari posse putant, neque scire, quid sit praxis, quid theoria. Illud pro comperto teneo, esse omnino impossibile, ut ullum in publicis rebus feliciter expediatur judicium, nisi priùs principia politica quàm exploratissima habeamus. Quicunque enim his velut fundamento, super quod tota civilis machina exædificatur, destituitur, is neque de actionum rectitudine, neque de causis veris effectuum productricibus solidè judicat. Sæpissimè accidit, ut ex intimo sapientiæ scrinio cujusquam actus tam causa quàm effectus petenda sint, in quibus quomodo ille judex legitimus erit, qui in tam nobili prudentia hospes fucum sibi facere externa specie patitur, & comperta interim pro veris acceptat. Nam solent interdum similes quædam actiones à diversis oriri principiis, quæ quidem primo intuitu facilitate sua satis se commenda-

Digitized by Google

mendare videntur, in progressu autem, ubi effectuum cum causis instituenda comparatio, ut primis posteriora cohæreant, si à genuino aberraveris fonte, in difficillimas te absurditates præcipitas, nunquam inde expediendus, nisi relicto planè errore prudentiâ duce ad illos te contuleris origines, unde de avito negotii genere certissimè constare possit. Non audeo mihi de Limneo tanto viro sumere judicium, quod si tamen Dn. Bœclerum audimus, ipsi Limneus in Philosophia, quando disputatio subtilior occurrit, non adeò accuratus est, sicut ex repudiata ab ipso distinctione inter formam & administrationem Reip. externam clarissimè elucet, quam omni Politicorum calculo approbatam inani acumine evertere nisus est.

Non per se Civitas sunt.] Amittebant enim τὸ κύριον, quicunque in provincias à Romanis redigebantur, fiebantque subditi populo Romano. Quare per se civitas non sunt, i. e. ordinata multitudo ἀνυπεύθυνος καὶ αὐτόνομος. Sed quotannis accipiebant Roma Magistratus, qui vectigalia & alia onera colligebant, jusque reddebant litigantibus in recognitionem superioritatis.

Imperium ad quemq; populum.] Imò potiùs ad populum aliud nihil redit quàm jus & potestas eligendi alium Regem: Imperium verò ad authorem suum Deum, qui illud electæ personæ applicaverat, revertitur communicandum, quem postea populus futuris suffragiis designaturus est. Quare quod nunquam apud communitatem fuit, id ad eandem redire non potest.

8. *Quoties imperio suo male utuntur.]* Ita

Ita docuisse Rebellem illam sceleſtiſſimorum hominum cloacam in Anglia refert *Salmaſius in defenſ. Reg. c. 1.* ut ad quod multorum annorum molitionibus, meditationibusque ſe comparaverant, i. e. optimi patris & Regis parricidium, id hoc veluti inſtrumento poſſint perficere. *Ab hac doctrina inducti*, pergit ulteriùs Salmaſius, *ſi mille rebus Regem meliorem habuiſſent; quam habuerunt, non ei vitam conſervaſſent.* Quam conſequentiam fruſtra argutia Sophiſtica eludere conatur impius *Miltonius in defenſ. pro popul. Anglic. ad h. l.* Non enim Salmaſius hoc intendebat, quaſi Rege Angliæ Carolo I. mille rebus melior moleſtè & odioſè regnaret, ut ille cavillatur, ſed quòd conſideratis parricidorum conſiliis molitionibusque, quibus jam dudum imperium regium ſordeſcebat, facilè potuiſſent querelas & offendicula vel de plano arripere, ob quæ etiam Carolo I. mille rebus meliorem Regem, i. e. optimum, innocentiſſimum, piiſſimum, Reip. amantiſſimum, atque adeò verum patriæ Patrem malè atque odioſè regnare dicerent. Frequentes autem ſunt Miltonio ejusmodi inſidiæ, quibus ſimplicem lectoris animum ex detorto verborum ſenſu vel alicujus vocabuli ambiguitate decipere conatur, cauſæ ſuæ diffiſus, & à conſcientia impiæ defenſionis reus factus. Legendus igitur erit, cuicunque in manus venerit, cum judicio, &, ut ajunt, grano ſalis. Eruditus cæterùm vir, & variis ingenii dotibus ornatus, niſi illas pretio fortè vel ambitione corruptus, malitiæ mancipaviſſet. Ut verò conſtet, quàm lubricus ſit & omnino vulpes, adhuc locum adducam, plenum ambi-

ambiguitatis, ex qua ipse quæsierat effugium. Asserit Salmasius in d. c. non potuisse concilium illud anglicanum & nefariam exercitus conspirationem *gravius Remp. ladere, quam legitimum ejus dominum tollendo.* Id quod sanè verissimum est. Cùm omnis mutatio in Rep. sit periculosa, quando periculosior & Reip. pernitiosior illa erit, quæ contra jus fasque mutat & transformat ejus statum absque illorum, quorum interest, unanimi consensu? Neq; enim universum regnum, neque quod potissimùm requirebatur, ipsa Regis persona & tota Heroum illustris propago, quæ jus in sceptro quæsitum habebat, consenserat, sed agebatur id pauciſſimis, iisdemque corruptissimis ex concilio magno assentientibus, procurante infame scelus potissimùm insano exercitus furore. Hoc igitur, quod dixit Salmasius, de læsione Reip. videamus quomodo effugere velit Miltonius. Infelix sanè & infans admodùm argutia, nec anglica gravitate digna. *Disce*, inquit, *Verna, disce Mastigia, nisi dominum tollis, tollis Remp. privata res est, non publica, quæ dominum habet.* Quasi verò cui modico saltem lacte Musæ cerebrum irriguere, manibus manifestam æquivocationem non deprehendat. Et miram Miltonius Politicam confecerit, quæ Monarchiam speciem Reip. & quidem primam sustinere negaverit. Lædendo itaque Monarchiam læsere Remp. quòd illa plenissimè hanc tanquam genus participet. Novum etiam auditu est, in Principatu nihil publicæ rei esse. Frequens est tam apud Historicos quàm JCtos, imprimis Feudistas distinctio inter res, quæ sunt Imperatoris

toris vel Regis, & quæ sunt Imperii. Non quòd hæc etiam non Regis sint, sed quoniam magis ad publicum civitatis usum adserventur, illa verò magis ad palatium & Principis magnificentiam pertineant. Et quid refert, ab uno possideantur vel pluribus? cùm utrinque non in privatum, sed communem usum impendi debeant sive ab uno sive pluribus.

Regendi sui jus.] Videntur hæc verba iterum velle; quasi in populo radicaliter jus sui regendi sedeat, idque ab eodem Principi committatur. Quam sententiam paulò antè rejecimus.

Qualemcunq; formam gubernationis.] Ecce Rhodus: Ecce saltus: Non magis de Troja certatum puto, quàm optimâ Reip. forma, aliis aliam præferentibus, ut quemque vel rationes, vel studia, vel ambitio trahebant. Illud verò principio statim monendum est, præstantiam solo usu non absolvi. Ideoque subtilissimus Lipsius hôc etiam Monarchiæ laudem conciliat, quòd sit omnium formarum antiquissima, à qua deinde cæteræ imitamentum & exemplum cepere, ob eamque rem dicitur Resp. libera Joh. Frid. Hornio imitamentum Monarchiæ. Procedit ex hoc antiquitatis splendore maxima Regum veneratio & majestas. Imploremus omnem historiarum fidem, inveniemus sanè ubique majori honore & eminentia Reges præviisse Resp. si modò unam Romam excipimus, quæ incredibili fortunæ benevolétia in tantam amplitudinem evecta est, ut jam orbi leges ponere auderet. Quę tamen ob corruptam formam tandem, ut salva esse posset, ad regimen unius confugit. Hæc amplitudo

plitudo & Regum majestas Isocratem impulit, ut scribere non dubitaret, quòd πάντες ἂν ὁμολογήσειαν, τυραννίδα καὶ τῶν θείων ἀγαθῶν καὶ τῶν ἀνθρωπίνων μίγιστον καὶ συνεκτικώτατον, καὶ πλειμελητότατον εἶναι. *Regnum inter divinas humanasq; res maximum, & sanctissimum & maximè expetendum esse, omnes uno ore fateri.* Sic ille etiam apud Livium (a) ait, *Regnum rem inter Deos homines q; pulcherrimam esse.* Neque verò etiam usus deficit. Quippe verissimum est, quod quidam apud Guicciardinum Carolo V. inculcavit. *Havere sempre dimonstrato l'esperienza, & lo dimonstrare la ragione, che mai succedono bene le cose, che dependono da molti.* *Et experientiam & rationem semper docuisse, non succedere facilè res, quæ à multis dependent.* Rationem verò Tacitus reddere potest, *quod unum imperii corpus unius animo regendum videatur.* Quemadmodum enim homini una ratio & voluntas tanquam regina & gubernatrix omnium humanarum actionum adest, quæ corpus nostrum regit ad recti & honesti normam. Confusissimè verò cum homine ageretur, si duobus volendi aut intelligendi potentiis præditus, quæ interdum diversa vellent, uno eodemque momento in hanc & illam partem inclinaret. Ita in Rep. vix tam concors multorum conspiratio invenitur, quin interdum aliorum ab aliis alia sententia rei bene gerendæ occasionem perdat. Quare etiam Politici ubiq; observant, si exercitus feliciter regi velit, eidem non plures pari potestate, sed unum summum Imperatorem præficiendum. Ex quo natum Græcum adagium: Πολλοὶ στρατηγοὶ

(a) L. 1. hostis

Καείαν ἀπώλεσαν. Sic etiam unus Princeps, ad quem summa rerum pertinet, prudentibus viris instructus, faciliùs & consultandi & exequendi facultatem habet, quæ semel placuere, quàm plures, quorum alter sine altero nihil statuere nihil exequi potest. Nam *εἰ θέλουσι δύο ἥλιοι γενέσθαι, κίνδυνος πάντα συμφλεχθῆναι. Si velint duo soles in cœlo esse, periculum fore, ne omnia flammis absumpta interirent.* Itaque apud Tacitum (*a*) legimus. *Vera aut in deterius credita judice ab uno faciliùs discerni. Odium & invidiam apud multos valere.* Sed & consulamus ipsam omnium rerum optimam interpretem, experientiam, inveniemus ferè omnia regna præ Rebusp. floruisse. Jam verò ex actionum civilium bonitate etiam de bonitate ipsius Reip. & civium judicari potest. Impossibile enim est alicujus actus rectitudinem à corrupta & informi regula procedere, aut bonam arborem ferre malos fructus. Clarissimæ antiquis temporibus fuere Athenæ & Sparta. Neutra tamen, quamdiu stetere, imperium suum latiùs paulò extra limites cum constantiori fortuna extendere potuit. Sed quæ facilè recuperaverant, facilè perdidere, ipsæ non rarò in periculum servitutis & desolationis inductæ. Ac repente, postquam Philippus Macedonum Rex Græciam invasit, earum imbecillitas in lucem prodiit. Nostra ætate maximè illustres si consideramus Resp. suis finibus contentæ externa modicè appetunt, perpetuisque curis torquentur, quas vicini Principes injiciunt foventque. Obser-

(*a*) 3. Annal. 19.

Obſervat Machiavellus *in Hiſtor. Florent. l. 1.* regiæ poteſtatis abrogationem Longobardorum exitium fuiſſe. *Queſto Clefi*, inquit, *fu in modo crudele, non ſolo contro à gli eſterni, ma ancora contro alli ſuoi Longobardi, che quelli ſbigottiti della poteſta regia non volon rifare piu Re, ma feciono intra loro XXX. Duchi, che gubernaſſino li altri; il quale conſiglio fu cagione, che Longobardi non occupaſſero mai tutta Italia*, I. e. *Hic Clefi*, (ſc. Rex Longobardorum) *adeò crudelis non ſolùm in extraneos, ſed & ſuos fuit, ut Longobardi horrentes poteſtatem regiam noluerint ulteriùs creare Regem, ſed conſtituerint XXX. Duces, qui alios regerent. Quod conſilium in cauſa fuit, quò minùs Longobardi totam occuparent Italiam.* Quantum verò Rebusp. Monarchia præſtet, Iſocrates (*a*) omnium optimè ex utriusque effectu rebusque geſtis declaravit. Non pigebit ſapientis viri verba apponere, utut nimis diffuſa videantur, quoniam præcisè noſtræ materiæ illuminandæ ſerviunt. Ita verò ille: Περὶ τῶν λοιπῶν, ὅσαι αἱ μοναρχίαι καὶ ὡρὸς τὸ βυλεύσασθαι καὶ ὡρὸς τὸ πράξαι τι τῶν δεόντων διαφέρουσιν, οὕτως ἂν κάλλιστα θεωρήσαιμεν, εἰ τὰς μεγίστας τῶν ὡράξεων παρ' ἑλλήνας τιθέντες ἐξετάζοιμεν ὅπως ἐχειρίσαν αὐτάς. οἱ μὲν τοί νυν καλῶς ἐνιαυτὸν εἰς τὰς ἀρχὰς εἰσιόντες ὡρότερον ἰδιῶται γίγνονται, ὡρὶν αἴσθεσθαί τι τῶν τῆς πόλεως, καὶ λαβεῖν ἐμπειρίαν αὐτῶν. οἱ δὲ ἀεὶ τοῖς αὐτοῖς ἐπιτάττοντες, ἵν' καὶ τῶν φύσιν πεπαιδευμένοι ἀρετὴν ἔχωσιν, ἀλλ' ὧν γε ταῖς ἐμπειρίαις πολὺ τῶν ἄλλων ὡροέχουσιν. Ἔπειτα οἱ μὲν πολλῶν καταμελοῦσιν, εἰς ἀλλήλους ἀποβλέποντες· οἱ δὲ ὀλίγοις ἐλιγωρήσουσιν, εἰδότες ὅτι

(*a*) Nicocles.

ὅτι δεῖ πάντα δι' αὐτῶν γίγνεσθαι. πρὸς δὲ τούτοις, οἱ μὲν ἐν ταῖς ὀλιγαρχίαις καὶ ταῖς δημοκρατίαις δι' ἃς τὰς ὁρμὰς σφᾶς αὐτοὺς φιλοτιμίας λυμαίνονται τοῖς κοινοῖς, οἱ δὲ ἐν ταῖς μοναρχίαις ὄντες, ὃν ἔχοντες ὕπω φθονήσουσι, περὶ ἁπάντων ὡς εἰσὶν ἱ ὅτι τὰ βιλίστα πράξουσιν. ἔπειτα οἱ μὲν ὑστερῶσιν τῶν πραγμάτων, τὸν μὲν γὰρ πλεῖστον χρόνον περὶ τοῖς ἰδίοις διατρίβουσιν, ἐπεισὰν δὲ εἰς τὰ συνέδρια συνιλθῶσι, πλειονάκις ἀν τὶς αὐτοὺς εὕροι διαφερομένους, ἢ κοινῇ βυλευομένους. οἱ δ' ἐτοίμως ἔχοντες ὑπὲρ τῶν αὐτοῖς δεδογμένων, ἀλλὰ καὶ τὰς ἡμέρας καὶ τὰς νύκτας ὅλι ταῖς πράξεσιν ὄντες ὡς ὑπολείπονται τῶν καιρῶν, ἀλλ' ἕκαστον ὧν τῳ δέοντι πράξουσιν. ἔτι δὲ οἱ μὲν πρὸς ἀλλήλους δυσμενῶς ἔχουσι, καὶ βυλοιντ' ἀν καὶ τὰς πρὸ αὐτῶν ἀρχοῦσας καὶ τὰς ἐφ' ἑαυτοῖς ὡς κάκιστα διοικῆσαι τὴν πόλιν, ἵν' ὡς μεγίστην δόξαν αὐτοὶ λαμβάνωσιν: οἱ δὲ δι' ὅλου τοῦ βίου σύνοιοι τῶν πραγμάτων ὄντες εἰς πάντα τὸν χρόνον καὶ τὰς ἐννοίας ὁμοίως ἔχουσι. τὸ δὲ μέγιστον πάντων: τοῖς μὲν κοινοῖς οἱ μὲν ὡς ἰδίοις, οἱ δὲ ὡς ἀλλοτρίοις προσέχουσιν τὸν νοῦν. καὶ συμβούλοις χρῶνται περὶ αὐτῶν, οἱ μὲν τῶν ἀστῶν τοῖς ταλμηροτάτοις, οἱ δ' ἐξ ἁπάντων ἀκριβέστατοις τοὺς φρονιμωτάτους. καὶ τιμῶσιν οἱ μὲν τοὺς ἐν τοῖς ὄχλοις εἰπεῖν δυναμένους, οἱ δὲ τοὺς χρῆσθαι τοῖς πράγμασιν ὀφείλοντας. ἃ μόνον δ' ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις καὶ τοῖς καθ' ἡμέραν γιγνομένοις οἱ μοναρχίαι διαφέρουσιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ πολέμῳ πλεονεξίας ἁπάσας πεπεκλήκασι. καὶ γὰρ ἀφορμὰς δυνάμεις, καὶ χρῆσθαι τούτοις, ὥστε καὶ λαθεῖν καὶ ἐξαίφνης καὶ ἐκ πείσας, ἐκ δὲ βιάσασθαι, καὶ δι' ἀνάγκης ἐκπεῖσαι, ἐκ δὲ τοῖς ἄλλοις θεραπείαις προσάγεσθαι μᾶλλον αἱ τυραννίδες τῶν ἄλλων πολιτειῶν οἷαί τ' εἰσὶ. καὶ ταῦτα ἐκ τῶν ἔργων ἀν τὶς μᾶλλον ἢ τῶν λόγων πιστώσειεν. τὰς μὲν γὰρ τῶν περσῶν δύναμιν ἅπαντες ἴσμεν τελικαύτην τὸ μέγεθος γιγνομένην, ἃ δι' αὐτὴν τῶν

ἐνδεῶν

ανδρῶν φρόνησιν, ἀλλ' ὅτι μᾶλλον τῶν ἄλλων τὴν βασιλείαν τιμῶσι. τοῦτο δὲ Διόνυσον τὸν τύραννον, ὃς ἐξελαθεὶς τὴν μὲν ἄλλην Σικελίαν ἀνάστατον γεγενημένην, τὴν δ' αὐτὴ πατρίδα πολιορκημένην, ἡ μόνον αὐτὴν τῶν παρόντων κινδύνων ἀπήλλαξεν, ἀλλὰ καὶ μιγίστην τῶν ἑλληνίδων πόλεων ἐποίησεν. ἔτι δὲ Καρχηδονίους καὶ Λακεδαιμονίους τὰς ἄρειστα τῶν ἑλλήνων πολιτευομένας, οἵκοι μὲν ὀλιγαρχουμένους, ἐκτὸς δὲ τὸν πόλεμον βασιλευομένους ἔχει δ' ἂν τις ὑποδείξαι καὶ τὴν πάλιν τῶν Ἀθηναίων τὴν μάλιστα τὰς τυραννίδας μισοῦσαν, ὅταν μὲν πολλὰς ἐπιμέλῃ στρατηγὰς ἀτυχοῦσαν, ὅταν δὲ δι' ἑνὸς ποιῶνται τοὺς κινδύνους καλῶς. Καὶ τοί πῶς ἂν τὶς παρίστοιτο ὑποδείξειν ἢ ἐξ τούτων τῶν παραδειγμάτων, πλείστα τὰς μοναρχίας ἀξίας ὔσας; Φαίνονται γὰρ οὔτε ἐξ τέλους τυραννούμενοι μιγίστας δυνάμεις ἔχοντες, οὔτε καλῶς ὀλιγαρχούμενοι, ἐκεῖ ἀ μάλιστα σπουδάζουσιν, οἱ μὲν ἵνα μένωσι στρατηγοί, οἱ δὲ βασιλέα τῶν στρατοπέδων κύριον καθιστάντες, οὔτε μισοῦντες τὰς τυραννίδας, ὁπόταν πολλὰς ἀρχοῖς ἐπιμέλωσιν, ἡδὺ τῶν ἐόντων ἀπολλύντες. οἱ δὲ δεῖ τι καὶ τῶν ἀρχαίων εἰπεῖν, λέγεται καὶ τὸς θεοὺς ὑπὸ τοῦ Διὸς βασιλεύεσθαι, ἐκεῖ ἂν οὐ μὲν ὁ λόγος ἀληθὴς ἔστι, δῆλον, ὅτι κἀκεῖνοι ταύτῃ τὴν κατάστασιν προκρίνουσιν. i. e. *Cæterùm quantum Monarchiæ & ad consulendum & ad faciendum ea, quæ fieri oportet, præstent, ita optimè intelligemus, si maxima quæq; negotia inter se conferentes diligenter illa perpendere conabimur. Atque illi quidem, qui in annum Magistratus sunt, priùs finiunt officium, & privati fiunt, quàm quicquam publicæ rei rectè cognoverint. Hi verò, qui semper in publicis muneribus versantur, etiamsi minùs ingenio valeant, experientiâ sanè multum alii præstant. Deinde illi quidem*

malta negligunt, dum unus se ad alterum confert, hi verò nihil omnino prætermittunt, quod opus est, scientes, oportere omnia per ipsos fieri; Ad hæc, illi quidem in Oligarchia & Democratiis propter mutuam ambitionem publicum bonum damno afficiunt; Hi verò, cùm neminem habeant, cui invideant, ubique, ut decet, optimè agunt. Deinde; Illi sæpiùs rerum gerendarum occasiones amittunt, dum plurimum temporis privatis impendunt utilitatibus; ubi verò in Senatu convenerint, sæpiùs quis eos deprehendet inter se altercantes, quàm in commune consulentes. Hi autem, cùm nec curia nec certa tempora ipsis assignata sint, sed die ac nocte in rerum actibus versentur, tempori nunquam desunt. Præterea illi male ad invicem affecti sunt, optantes, ut & qui ante ipsos fuerunt, & qui pòst futuri sunt, quàm pessimè Reip. præsint, quo ipsi soli majorem gloriam habeant. Hi verò per totam vitam omnium rerum domini omni etiam tempore idem retinent studium. Quod verò est maximum; Publicis rebus illi quidem ut propriis, hi verò ut alienis mentem adhibent; & Consiliariis utuntur, illi quidem, qui è civibus sunt audacissimi, hi verò, qui omnium prudentissimi. Honore autem afficiunt illi quidem eos, qui in populo linguâ valent, hi verò eos, qui ipsis rebus præesse possunt. Non verò solùm in quotidianis Monarchia præstant, verùm etiam in bello primas partes tenent. Etenim & comparare vires & illis uti, ita ut lateant aut conspiciantur, ubi opus, & hos quidem persuadere, illos verò cogere, rursus ab istis emere, alios verò alii deli-

delinire officiis regna sanè magis quàm aliæ Resp. possint. Atque hæc crediderit quis non magis ex verbis quàm rebus ipsis. Omnes enim probè novimus, Persarum potentiam in tantam evasisse magnitudinem, non propter virorum sapientiam, sed quoniam regnum magis quàm alii ament. Pariter Dionysius Tyrannus, cùm reliquam Siciliam planè devastatam suscepisset, patriam verò suam insuper obsessam, non solùm ipsam præsentè periculo liberavit, sed & maximam fecit Græcarum civitatum. Amplius notū est, Carthaginenses & Lacedæmonios, qui existimantur optimæ inter Græcos Resp. habere, domi quidem uti Oligarchia, in bello verò regio imperio. Exemplo etiam esse possent Athenarum Resp. quæ omnium maximè Tyrannos odit. Quandocunq; enim multos Duces bello gerendo præfecit, succubuit. Ubi verò unicum cum summo imperio, res cessit feliciter. Et quo quis fortiori argumento regnorum præstantiam evicerit. Videmus enim eos, qui sub regio imperio sunt, omnium potentissimos. Qui autem Oligarchia gaudent, si cubi res paulò majoris momenti rectè & ex ordine fecisse velint, aut unum Imperatorem aut Regem exercitus constituisse. Qui creando plures secus fecerint, feliciter egisse nihil. Si quæ autem & antiquis fides est, dicuntur Dii sub Jove etiam imperio esse. Quæ si vera sunt, apparet, & illos quoq; hanc formam prætuliſſe. Hactenus Isocrates. Quod verò de Persarum imperii magnitudine dicit, ejusque causam amorem & affectum benevolum subditorum in Reges regnumque nominat, id nos in manus dat aliud argumen-

mentum, quo præstantia hujus Principis Reip. declaratur. Scilicet quòd omnes quidem populi possint sub regno vivere, non verò omnes sub Rep. libera. Ita Cappadoces, offerentibus ipsis libertatem Romanis, respondebant *se sine Rege vivere non posse*. Et apud Sallustium legimus, *paucos libertatem, partem magnam justos dominos velle*. Neque quisquam mihi objecerit Romanum populum, osorem omnis regiæ potestatis. Primò enim illos in Reip. primordiis sub Regibus vixisse quis ignorat? Immò ipsum regnum velut fœcundissimum uterum maturandæ libertatis fuisse, Livius (*a*) tradit. *Quid enim*, inquiens, *futurum fuit, si illa pastorũ convenarumq; plebs trãsfuga ex suis populis sub tutela inviolati aut libertatẽ templi aut certè impunitatem adepta soluta regio metu agitari cepta esset tribunitiis procellis?* Deinde cùm ex corrupta Reip. forma morum etiam integritas corrumpi cepisset, & loco sanctitatis innocentiæque ambitio, luxus & alia delitiarum genera in civitatem invecta, unicum sanè remedium fuit sanandæ Reip. ut ab uno regeretur. Est enim Monarchia velut præsentissimum alexipharmacum civilis discordiæ. Sicut etiam Machiavellus de corruptione gentium sermocinans, (*b*) cùm de ratione sollicitus esset, quare Franciæ Hispanniæque populi minùs malitiam illam civilem participent, eam quærit, *non tanto nella bonta de popoli, (la quale in buona parte è mancata) quanto nello havere uno Re, che gli mantieni uniti non sola mente per la virtu sua, ma per l'ordine di quelli regni, che*

(*a*) L. 2. Histor.

(*b*) Discurs. supr. Liv. l. 1. c. 55.

che ancora non sono quasti. i. e. Non tam in bonitate populorum, (quæ magna ex parte defecit) quam quòd hi populi Regem habeant, qui concordes tenet non solùm virtute sua, sed & ordine regnorum illorum publico, qua nondum planè corrupta sunt. Conjungenda his omnino sunt, quæ pro asserenda regii imperii eminentia apud *Barclaj. in Argen. l. 1.* differit Nicopompus contra Anaximandrum, ubi alia insuper plura reperiuntur argumenta, quæ ex utilitate & commodo utriusque formæ præstantiam colligunt. Tandem uno velut ictu totam litem decideret, quicunque sententiam Joh. Frider. Hornii amplecti vellet, in sola Monarchia esse majestatem, à Deo immediatè Regi tributam, cæteras verò Resp. administrari vi pacti sui, omnis veri imperii expertes, cujus natura divisioni in plures repugnat. *Vid. eund. latiss. per tot. l. 3. de Civit.* Nos quoque infrà quædam de his. Nam si sola majestas in regno esset, quis ampliùs dubitaret, illud tam divino & imperioso munere instructum aliis Rerump. formis, ubi pactum viam administrationis præscribit, præferre? Et sanè videtur aliquid in Regibus augustum esse, quod in Rep. invenire non licet. Faciunt huc verba *Balsaci in Oper. Epist. l. 7. Epist. 50.* quibus ipse fusè majestatem regiam in cœlum usque extollit. *Il ne doit pas estre permis*, inquit, *de parler passement de ce, qu'il y a de plus haut au dessous du ciel. Et la Royauté, qui a este adorée toute seule, merite sans doubt une double veneration, quand elle a par Compagne la vertu. On ne sçauroit escrire du Roy en termes trop relevez ny trop magnifiques,*

& nous luy pouvons bien rendre pour une infinité de justes raisons ce, qu'on a rendu autrefois aux mechants Princes, pour le simple respecte de leur caracteur. Je ne vous representeray point avec quel honneur & quelle humilité, ou plutost avec quel culte & quelle religion les Princes Romains ont este traité par leurs sujets. Je ne m'amuseray point a vous faire considerer, qu'on leur donnoit de l'eternité & de la divinité, comme on donne a nos souverains de la majesté & de l'alteſſe Et ce, qui s'appelle aujourd'huy le crime de Feloni s'appelloit en ce temps la le crime d'impieté, & que nos rebelles estoient leurs impies. Je ne vous allegueray point, che dans le Code de Theodose les responses des Empereurs sont dites Oracles, leurs regards splendeur celeste, leurs Edits lettres divines, leur Palais, la divine maison, & leur cabinet le sanctuaire. Je vous supplieray seleument de vous vouloir ressouvenir, que ce stile est le style de l'empire Romains, qui avoit deja receu le Christianisme, & que non seulement les Courtisans & les Orateurs ont parlé de cette sorte, mais aussi les S.S. Pere, & les Conciles. S. Gregoire de Nazianze, en sa premire invective contre Julian appelle Constance Prince tres divin, bien que ce tres divin Prince eut persecuté les Fideles, eust chasse les Papes hors de leur siege, & fut mort en l'heresie d'Arrius. Anastase estoit aussi Empereur heretique, & fut tué d'un coup de Foudre par une juste punition du ciel. Et neantmoins Sabas, le bon serviteur de Dieu parlant de ce mauvais Prince, dit, qu'il est venu pour adorer les pas de sa pieté imperiale. Et un

Hiſto-

Historien de son temps le nomme S. Anastase. Les peres du sixieme Concile de Constantinople nomment encor Justinian S. Justinian, & sa femme, S. Theodore, quoy que la vie de l'un & de l'autre ait esté plus remplie de monstres que de miracles, & que Theodore particulierement ne se soit servie de la puissance de l'empire, que pour faire du mal a l'eglise. Dela mesme sorte Theodoric Arrien est appellé S. Theodoric, par le Concil du Rome, & au rapport d'Eusebe, Denis d'Alexandrie Martir de nostre Seigneur bailla le tiltre du tres-saint a Valerian, Empereur payen, quoy que nous ne le baillion maintenent qu'au Chef de la religion Christienne. Hoc est. *Nemini sanè liceat dijudicè loqui de eo, quod est supremum sub cœlo. Et majestas regia, quæ sola adorabatur, duplici sine dubio digna est veneratione, si sociam virtutem habet. Nescimus profectò nimis magnificè de Rege scribere, & possumus ex infinitis rationibus ipsi optimè illud attribuere, quod dicebatur alio tempore de malis Principibus solius illorum characteris causa. Non tibi jam multis narrabo, quanto honore & humilitate, vel magis cultu & religione Principes Romanos subditi sui prosequebantur, neque longa serie te edocere cupio, quòd de ipsis prædicabatur æternitas & divinitas, sicut nunc de nostris majestas & superioritas, quodq; illud nominabatur crimen impietatis, quod hodiè læsæ majestatis nomine venit, & quòd nostri rebelles erant illorum impii. Neque tibi allegabo, in Codice Theodosiano responsa Imperatorum dici miracula, faciem eorum, cœlestem splendorem, edicta divinas lite-*

ras,

ras, palatia divinas ades, & Cameram sanctuarium. Peto solùm tibi in memoriam revocare velis, hunc stylum esse stylum Imperii Rom. jam Christiana religione imbuti, & non solùm palatinos homines & Oratores, sed & sanctos Patres & Concilia ita locuta esse. S. Gregorius Nazianzenus in prima sua invectiva contra Julianum appellat Constantem Principem diviniſſimum, utut hic diviniſſimus Princeps perſecutus eſſet fideles, ejeciſſet Papam ſede ſua, mortuusq; fuiſſet in hæreſi Arrianâ. Nec minùs Anaſtaſius hæreticus Imperator erat, fulmineq; percuſſus juſtæ cœli indignatione periit, & tamen Sabas, Dei ſervus, de malo hoc Principe ſermonem faciens inquit, veniſſe ſe ad adorandum pedes ſuæ ſanctitatis. Et Hiſtoricus ſui temporis ipſum nominat S. Anaſtaſium. Patres ſexti Concilii Conſtantinopolitani vocant Juſtinianum S. Juſtinianum, & uxorem ejus S. Theodoram, quamvis utrorumq; vita plus monſtri habuerit, quàm miraculi: & imprimis Theodora Imperii potentia non niſi contra Eccleſiam uſa ſit. Eodem modo Theodoricus Arrianus appellatur S. Theodoricus in Concilio Romano, & teſte Euſebio Denis Alexandrinus dabat titulum ſanctiſſimi Valeriano, pagano Imperatori, qui nunc hodierno tempore nemini attribuitur, niſi ſoli Chriſtianæ religionis capiti. Et paulò pòſt idem Author ſcribit. *Quiconque trouve de l'excezen mes paroles, ne ſçait, quel eſt le devoir d'un ſubjet, & n'a pas l'opinion, qu'il doit avoir de ſon Prince. Il porte ſa veue trop hardiment ſur une grandeur ſi elevée, & ne meſure par la diſtance, qu'il*

ya

ya entre son jugement & le merite du Roy. Pourveu que l'honneur, que l'on rende à ceux personnes sacrées, ne soient point injurieux a Dieu, il ne peut y avoir de l'excez a les honorer; Pourveu que les louange, qu'on leur donne, n'offensent point une plus grande majeste, que la leur, elles ne peuvent estre immoderées. Nous devons mesme reverer leur ombre, flechir le genouil devant leur figure; Tout ce, qui les approche, nous doit paroistre plus pur & plus luminex par la communication, qu'il reçoit de leurs rayons. Le respect, qu'on leur porte, doit aller jusque à leurs livrees, & a leurs valet, & s'estendre a plus forte raison sur leurs affaire, & sur leurs ministres. Pour les quelles vous vous remettrez, si vous plaist, en memoire, que les anciens Christiens avoient coûtume de prier publiquement, & qu'ils en demandoient a Dieu la conservation, bien que par là ils luy demandassent la conservation de leurs persecuteurs, & de ceux, qui les exposoient tous les jours aux lions dans la place de l'amphitheatre. Hoc est. Qui verba mea modum excedere putat, is sane nescit officium subditi, neque eam de Principe suo opinionem habet, quam debet. Nimis ille temerariè tantam majestatem intuetur, neque distantiam metitur, quæ est inter judicium suum & Regis meritum. Modò honor, quo ipsos mactamus, in Deum non sit injuriosus, modum excedere nequit; Quod si laudes, quibus ipsos afficimus, non peccent in eminentiorem majestatem, immoderatæ esse non possunt. Convenit profectò honorare & umbras illorum, & ad imaginum aspectum in genua pro-

tumbere

cumbere; Quò propius quid eis est, hoc purius nobis & splendidius videri debet, ob radiorum, quos recipit, communicationem. Veneratio & respectus, qui à nobis debetur, usque ad colores eorundem & servos se extendit, quin optima ratione ad omnia negotia ministrosq. Quapropter, si placet, in memoriam revocabis, antiquos Christianos publicè pro salute & conservatione eorum preces & vota concepisse, licet à Deo conservationem illorum peterent, qui ipsos crudelissimè persequendo omnibus fere diebus Leonibus in amphitheatro objicerent.

Aut hæc cum illis sunt habenda.] Longo tamen intervallo commoda & emolumenta ex qualicunque forma resultantia vincunt superantque incommoda aut pericula. Principio illud repetendum, hominem naturâ esse animal politicum, id est, naturâ duce ad mutuam societatem ferri. Hominem item in se consideratum esse animal ferox admodùm & confidens, quare medium aliquod intercedens, quod ferocitatem societati conciliat, utilissimum efficacissimumque esse oportet: hoc verò aliud nullum est, quàm ordo ille Reip. & imperium civile. *Illud est vinculum*, inquit Seneca, (a) *per quod Resp. cohæret, ille spiritus vitalis, quem tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa imperii subtrahatur.* Id quod Isocrates in Areopagitico ita explicuit: Ἐγὼ γὰρ ψυχὴν πόλεως οὐδὲν ἄλλο, ἢ πολιτείαν, τοσαύτην ἔχουσαν δύναμιν, ὅσπερ ἐν σώματι φρόνησις. αὕτη γάρ ἐστιν ἡ βουλευομένη περὶ ἁπάντων, καὶ τὰ μὲν ἀγαθὰ διαφυλάττουσα,

τὰ

(a) de Clement.

τὰς δὲ συμφορὰς διαφεύγουσα. Ταύτῃ καὶ τοὺς νόμους, καὶ τοὺς ῥήτορας καὶ τοὺς ἰδιώτας ἀναγκαῖόν ἐστιν εὐσχημονεῖν, καὶ σωφρονεῖν ὅτως ἐκάστοις, οἷσπερ αὐτοῦ ἔχουσιν. i. e. *Est verò anima Civitatis nihil aliud, quàm Resp. tantam habens virtutem, quantam prudentia in corpore. Hæc enim est, quæ de omnibus rebus salutifera capit consilia, quæ, quicquid bonum est, custodit, mala verò & calamitates declinat. Ad quam & leges, & Rhetores & privati se aptare debent, & ita omnes agere, sicut ab illa jubentur.* Ubi verò hoc coagulum solutum, Dii boni, quàm omnium rerum confusa moles & præcipitium!

Ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστι κακὸν
Αὕτη πόλεις ὄλλυσιν, αὕτη δόμους
Οἴκους τίθησιν, αὕτη συν μάχῃ δορὸς
Τροπὰς καταῤῥήγνυσι, τῶν δ' ἐρημίαν
Σώζει τὰ πολλὰ σώματ' ἡ πειθαρχία. (a)

I. e. *Confusione pejus nullum est malum,*
Hæc civitates perdit, & desolatas
Facit domos, Martis in certamine
Hæc terga vertit. Sedritè parentium
Vitam & res servat obedientia.

Naturâ servos.] Neque tamen hoc in sensu Aristotelico verum esse existimaverim. Dantur equidem homines, quorum naturæ & genio conditio quædam servilis seu obsequii gloria magis quàm imperium & omnimoda libertas convenit, verùm illa naturalis aptitudo nemini jus dat illos ad subjectionem cogendi, id quod voluit Aristoteles, naturale bellum in hos esse asserens: i. e. cuilibet moratiori atque civiliori populo

(a) Sophocles.

lo licere naturaliter stupidos vel bello & armis, si spontaneam summissionem recusent, cogere ad obsequium, & hoc modo eorum emolumenta invitis etiam ipsis procurare, ut qui libertatem ferre nequeunt, saltem imperio serventur. Sed Aristoteles suæ patriæ studio hîc nimius est. Præterquam enim quòd extra Græciam ubique fere barbariem quærat, cùm tamen & aliis locis cultissimæ gentes fuerint, verum non est, aptitudinem ad aliquid tertio jus conferre. Ita homo sui juris aptus inveniri potest, qui literis humanioribus incumbat, at nemini extraneo inde datur aliqua facultas tradendi eum in Scholas. & stante hâc sententiâ quid firmi tandem certique inveniemus. Sic quilibet Tyrannus & violentus invasor injustas actiones facillimè hoc velo tegeret, quòd aptissimus sit regendi civitatem vel possidendi provincias. Et Julii Cæsaris sanctissimum esset propositum, eripiendi Civibus libertatem, qua ampliùs uti nesciverant. Rectè quidem faciunt, ut alienæ se tutelæ committant, quos indigena prudentia deficit, at verò ex inde nemini jus quæsitum est, antevertens liberam consultandi de suis commodis voluntatem. Adde, quòd non rarò Competitorum immoderatæ cupiditates magis promoverent, quàm impedirent subjiciendorum miserias. *Ingenioso homini*, inquit Clarissimus Hornius *de Civit. l. 1. c. 3. thes. 1. imperium naturale assignare & robustum ac minùs callidum in servitutem naturalem detrudere, id verò politi. am doctrinam omnem & diserimen dominorum ac servorum eximiè turbat. Da mihi hominem tam stupidum ac fatuum,*

um, ut Seneca joco regnare etiam possit; Hunc stolidum regem summa potestate fruentem in ergastula servorum compinges, cui associandi omnes proceres robusto corpore, exili ingenio decorati. Contra omnes servi callidi, qui dominio alterius subditi revera sunt, si sagacitate polleant, in classem dominorum evehes. Ita contraria tandem idem subjectum inhabitabunt, & dominus erit servus, servus in dominum evadet. Nemo tam vacuus est ingenio, quin sibi regendo sufficiens videatur. Accedente hac doctrina illicitis etiam modis injustum scilicet alterius dominatum excutiet. Aptitudo imperandi ut imperium nullum producit, sic in servitutem neminem detrudit rudior illa & stupidior simplicitas ingenii. Etiam definitio servi naturalis apud Aristotelem obscurior est, quàm ut intelligi possit. Nullo enim modo sequitur, qui alterius esse potest, is continuò alterius est. Quilibet hominum aptus est, ut sit alterius, si ob illam aptitudinem actu alterius esset, omnes omnino mortales eodem tempore & servi essent & domini. Nam ideo servus sum, cùm possim esse alterius: rursus cùm alii ob potentiam illam naturalem mei servi sint, ero ego dominus. Quæ non confusa tantùm, sed & ridicula satis est reciproca sequela. Illud etiam non capio, quid in argumento præsenti differant, rationem sentire & eandem non habere. Quilibet homo etiam stupidissimus rationem habet, eo ipso enim ab aliis animalibus distinguitur, licèt non æqualiter prudentiam & animi sagacitatem participemus. Rejicit itaque nimis hoc subtile discrimen virile politicæ sapien-

tiæ robur, & quicquid magis sophisticas nugas quàm civilem efficaciam sapit, augustæ doctrinæ indignum est.

Ratio est Procerum.] Nam juxta communem Politicorum opinionem, eandem majestatem, quæ uni assidebat, plures participant, cujus effectus iidem à pluribus procedunt, qui antea ab uno. At si ex rationibus Dn. Hornii majestatis subjectum negamus esse personarum pluralitatem, videtur sequi, quòd major potestas populo sit in proceres malè administrantes Remp. quàm Regem. Cùm enim huic immediatè à solo Deo detur imperium, quod ipsum non tantùm supra singulos, sed & universos collectim sumptos evehit, & per quod Rex omnes judicare potest, & judicari à nemine; concluditur, si malè officio fungitur, si contra leges & conventiones agit, peccare quidem, iramque divinam in se concitare; puniri verò non nisi à solo Deo posse: quoniam ordine morali inferiori jus puniendi superiorem non competit, ideoque vindictam à Deo esse expectandam, & subditorum animos patientiâ firmandos. Aliter se res haberet ex data suppositione in libera Rep. Hîc enim pactum gubernationis formam dat, & Proceres hujus vigore cæteris præsunt. Quod quoniam ex liberrima omnium voluntate oritur, & sub conditione tam tacita quàm expressa fieri potest, videretur statuendum, quotiescunque Optimates potentia Reip. vel ad manifestam civium pernitiem abutuntur, vel expressis administrationis conventionibus contraveniunt, cessare simul illius pactivim & obligationem, aliosque ab obse-

quio

quio debito liberari. Cùm longè secus sit in Principatu, ubi imperium non à populo, sed summo Numine demandatum Regi est, & à solo eodem repeti debet, nullis quoad actum primum conventionibus expositum, sed omne humanum commercium effugiens. Idcoque licèt Princeps jurasset in quasdam leges, ut vocant, fundamentales, & juramento clausula commissoria adjecta fuisset, ut regnum ipso jure committeretur, si jurans stare pactis nollet, illa sanè clausula nullius momenti erit, utpote quæ eripere imperanti non potest, quod soli Deo acceptum fert: quod infrà plenius probabimus. Et hîc est unus ille scopulus, qui me offendit, quamobrem de Dn. Hornii sententia dubitatè admodùm cogar pronunciare. Quod si enim mihi aliquis directo sacræ Scripturæ testimonio probare posset, tam strictum, &, ut ita dicam, silvestre obsequium Magistratui in libera Rep. non deberi, quantum Principi in Monarchia, huic non solùm ingentes haberem gratias, sed & nullus ampliùs dubitarem in partes Hornianas discedere, cujus viri opinio extra hoc offendiculum & probabilis est & jucunda admodùm, multis difficultatibus medelam adhibens, quas de divisione majestatis alii Politici durè & frigidè interdum sanant. Itaque, ut dixi, in hunc usque diem liquidum satis & indubitatum argumentum in sacris Bibliis non reperi, quo diversæ obedientiæ obligationem defenderem: potiùs me generalia Petri & Pauli asserta de præstando Magistratibus obsequio remorantur. Si tamen conjecturis locus esset, tentari aliquid ex loco Samuelis (*a*) posset, in quo

(*a*) 1. Samuel 8.

tiæ robur, & quicquid magis sophisticas nugas quàm civilem efficaciam sapit, augustæ doctrinæ indignum est.

Ratio est Procerum.] Nam juxta communem Politicorum opinionem, eandem majestatem, quæ uni assidebat, plures participant, cujus effectus iidem à pluribus procedunt, qui antea ab uno. At si ex rationibus Dn. Hornii majestatis subjectum negamus esse personarum pluralitatem, videtur sequi, quòd major potestas populo sit in proceres malè administrantes Remp. quàm Regem. Cùm enim huic immediatè à solo Deo detur imperium, quod ipsum non tantùm supra singulos, sed & universos collectim sumptos evehit, & per quod Rex omnes judicare potest, & judicari à nemine; concluditur, si malè officio fungitur, si contra leges & conventiones agit, peccare quidem, iramque divinam in se concitare; puniri verò non nisi à solo Deo posse: quoniam ordine morali inferiori jus puniendi superiorem non competit, ideoque vindictam à Deo esse expectandam, & subditorum animos patientiâ firmandos. Aliter se res haberet ex data suppositione in libera Rep. Hîc enim pactum gubernationis formam dat, & Proceres hujus vigore cæteris præsunt. Quod quoniam ex liberrima omnium voluntate oritur, & sub conditione tam tacita quàm expressa fieri potest, videretur statuendum, quotiescunque Optimates potentia Reip. vel ad manifestam civium pernitiem abutuntur, vel expressis administrationis conventionibus contraveniunt, cessare simul illius pactivim & obligationem, aliosque ab obse-

quio

quio debito liberari. Cùm longè secus sit in Principatu, ubi imperium non à populo, sed summo Numine demandatum Regi est, & à solo eodem repeti debet, nullis quoad actum primum conventionibus expositum, sed omne humanum commercium effugiens. Ideoque licèt Princeps juraſſet in quasdam leges, ut vocant, fundamentales, & juramento clausula commissoria adjecta fuisset, ut regnum ipso jure committeretur, si jurans stare pactis nollet, illa sanè clausula nullius momenti erit, utpote quæ eripere imperanti non potest, quod soli Deo acceptum fert: quod infrà plenius probabimus. Et hìc est unus ille scopulus, qui me offendit, quamobrem de Dn. Hornii sententia dubitatè admodùm cogar pronunciare. Quod si enim mihi aliquis directo sacræ Scripturæ testimonio probare posset, tam strictùm, &, ut ita dicam, silvestre obsequium Magistratui in libera Rep. non deberi, quantum Principi in Monarchia, huic non solùm ingentes haberem gratias, sed & nullus ampliùs dubitarem in partes Hornianas discedere, cujus viri opinio extra hoc offendiculum & probabilis est & jucunda admodùm, multis difficultatibus medelam adhibens, quas de divisione majestatis alii Politici durè & frigidè interdum sanant. Itaque, ut dixi, in hunc usque diem liquidum satis & indubitatum argumentum in sacris Bibliis non reperi, quo diversæ obedientiæ obligationem defenderem: potiùs me generalia Petri & Pauli asserta de præstando Magistratibus obsequio remorantur. Si tamen conjecturis locus esset, tentari aliquid ex loco Samuelis (*a*) posset, in quo

(*a*) 1. Samuel 8.

de jure regio sermo instituitur. Notum ex verbi divini attentiore lectione est, populum Judaicum, ex quo tempore servitutis Ægyptiacæ intolerabile jugum præsentissimo divini numinis auxilio dejecit, & post multiplices itinerum errores terram sanctam occupavit, diu sub Judicum & aliorum Magistratuum jurisdictione vixisse ad formam liberæ Reip. licèt haud ignorem, divinam directionem longè propiorem, quàm aliàs circa humana occurrit, singulare quiddam hîc constituisse. Quare à multis satis augusto nomine Resp. Israelitica Theocratia dicitur. Quatenus tamen speciem regiminis, ut homines concernit, contemplamur, fatendum erit, Aristocraticam fuisse. Ubi verò populus, præsentis regiminis pertæsus, Regem more aliarum gentium petebat, præcepit Deus per Samuelem ipsis jus Regium amplissimum intimare, ut secum adhuc re integra expendere possint, conducat ne ipsis tam periculosæ potestati, quæ facillimè in omnium pernitiem migrare apta est, se committere. *Recita*, inquit Deus ad Samuelem, *eis jus Regis, qui regnaturus est super eos.* Quasi diceret. Potestas Judicum, qui hactenus populo meo præfuere, adeò moderata & lenis fuit, ut in libertate viventes meritò Reip. mutationem desiderare non debuissent. Nunc verò quoniam ob ingenitam levitatem regium imperium cupiunt, ne quemquam postea præter se ipsos accusare possint, indica eis priùs, quanto amplior, liberior absolutiorque sit Regnum, quàm Judicum jurisdictio. Et in fine adjungit. Quòd servi Regum futuri sint, neque Deus sit exauditurus

quæ-

querentes de eorum injuriis, ipsis verò interdictam fore omnem Reges coërcendi facultatem. Hinc infero ex contrario sensu: Sub Judicibus non modò adhuc populum in libertate vixisse, sed & Judicum manifestas injurias collectim potuisse arcere. At jus regium longè subjectius obsequium postulare, adeò ut subditis nihil præter implorationem auxilii divini reliquum sit, nec possint propria authoritate se vindicare, cùm, ut diximus, universi inferiores sint Rege. Et hæc est conjectura, in qua tamen tam firmum non pono præsidium, ut meliora docentibus lubentissimè nollem concedere.

Tres gubernandi formas.] Quidam adjungunt quartam mixtam sc. Remp. ubi jura majestatis divisim habentur. Sed hoc monstrum tanquam spurium politicæ fœtum ausus est proscribere illustris Bodinus, in quem à vulgo politicorum, tanquam orbis vincula solvisset, conspiratum est. Sed quicquid impotentia vulgi fremat, Bodino hîc cum paucis aliis accedere malumus, quàm servili animo sine ulterioti rerum cognitione plures sequi, *pecorum ritu, antecedentium gregem.* Verissima est Bodini ratio, *majestatem esse per se quiddam individuum*, quia omnia jura ejusdem ex una simpliciq́ue fluunt scaturigine, *imperio scilicet in personam.* Quicunque igitur hoc habet, ille simul ejusdem consequentia essentialia non potest non habere, sc. legum ferendarum, pacis belliq́ue potestatem &c. it. dominium in territorium, & inde exoriens universi regimen. Contra qui destitutus est illo in personam regimine, ultra demandatum imperii

exercitium proprii nihil habet; Cohærent enim jura majestatis tam indissolubili invicem nexu, ut sine omnium certissima sufflaminatione nullum possit ab altero reali divisione separari. Potissima sunt, potestas legum ferendarum, exercitium jurisdictionis, arbitrium belli pacisque, & universalis consiliorum directio. Sume de his, quod lubet, & pluribus communica separatim, poterit alter alterius actiones facere irritas. Ille, qui potestatem habet belli gerendi, si id indicendum duxerit, continuò legislator legem feret de bello non gerendo. Et videtur illa legum latio adeò se universaliter extendere, ut in quævis valeat: Neque mirum unum alterius actus impedire posse, cùm hac ratione plura summa in civitatem introducantur. Quælibet enim vel minutissima in majestate particula summa est, quoniam tota majestatis essentia in summitate consistit. Tribue, quamcunque velis, alicui majestatis partem essentialem, summus erit, neminique subjectus, & propterea alterius dispositioni licitè poterit non parere. Neque hanc tollit difficultatem responsio, quoad illam quidem particulam, quam habet, summum esse, in cæteris verò subjectum. Nam summitas & subjectio adeò se invicem absolutissimè contrariantur, ut impossibile sit, eundem uno eodemque momento subditum esse & imperantem, ne diverso quidem respectu. Ratio est, quia jura majestatis se invicem necessario nexu consequuntur, ut qui unum possidet, non possit non omnia habere, quoniam semper unum se ita ad alterum refert, donec demum ad principium primum, i. e. imperium

in

in perſonam perveniatur. Quin quòd illæ ipſæ particulæ majeſtatis nihil aliud quàm tota majeſtas ſunt, quæ pro diverſitate objecti aliud nomen accipit, ut infrà patebit. Summitas itaque, quocunque modo ſive totalem ſive partialem intelligas, ſemper excludit ſubjectionem, & quousque ſubjectio adeſt, omne imperium exulat. *Qui unius dominatum*, inquit Bodinus, *(a) cum paucis ſimul & univerſis conſtituere velit, non poſſit, ac ne mentis quidem cogitatione, id conſequi. Nam ſi majeſtas per ſe ipſa quiddam eſt individuum, qua ratione uni & omnibus eodem momento congruere poſſit? Majeſtatis primum caput eſt, univerſis ac ſingulis civibus leges dare, iisq; imperare. Sed qui Cives imperio ſe adſtringi pattentur inviti? qui rurſus imperantem coercere poterunt. Nam ſi ſponte parebunt, majeſtas ipſorum labefactata concidet, ſin imperium recuſabunt utriq;, neq; ſit, qui pareat aut imperet, anarchia non Resp. fuerit, Tyrannide crudeliſſima deterior. Quod ſi populo jubendæ legis & Magiſtratuum creandorum fiat poteſtas, cætera Senatui ac Magiſtratibus permittantur, popularem ſtatum eſſe, confitendum erit, cum Senatui ac Magiſtratibus credita ac precariò data poteſtas jubente populo eripi poſſit.* Illud etiam naturalis ſcientiæ inſcitiam prodit, quod quidam Authores affirmant, illam mixtionem fieri vel ex tribus Ariſtocratiis vel Democratiis. Omnis mixtura neceſſe eſt abſolvatur per diverſa, nam ſi idem cum eodem, v. gr. aqua cum aqua miſceatur, nulla propriè mixtu-

(a) 2. de Rep. 1.

ra est, cùm plures res ejusdem speciei confundantur. Potiùs igitur debuissent propugnare majestatis communicationem; Sed nec hanc in actu primo fieri posse, infrà explicabitur. Quod si per mixtam Remp. intelligerent limitatum habendi modum, adversarium me non haberent, sed tam crassè illa mixtura non fuisset concipienda, quasi quivis separatim jure proprio haberet quasdam majestatis particulas, imò potiùs quòd Rex vi pacti & juramenti sui teneatur proceres vocare in administrationis consortium tanquam participes exercitii jurium majestatis in actu secundo, non primo. Tandem etiam in aliis rebus incorporalibus id observare est, pro parte divisa illa communiter possideri non posse. Ita dominium in fundo sociis pro indiviso est, quamprimum pro diviso incipient possidere, fundus ipse dividitur, & dissoluta societate quivis sociorum certæ partis fundi solus est dominus. Idem judicium sit de reliquis. Jam verò majestas, ut res incorporalis omnibus conjunctim sumptis communis esse debet, quare non poterit pro parte divisa possideri. Et hæc potissimùm sunt, quæ mixtam Remp. ex civilitate ejiciunt, desumpta ab indivisibilitate majestatis. Sed ausus est omnium quod ego sciam, primus Clariss. Joh. Frider. Hornius (*a*) ulteriùs procedere, & consideratâ attentiùs majestatis naturâ in eam delabi opinionem, quasi majestas adeò sit indivisa, ut nec conjunctim pluribus competere possit, & ideo vera sola sit in Monarchia, cæteras autem Resp. formet pactum inter omnes initum, præscribens speciem

(*a*) de Civit. l. 3. thes. 2.

ſpeciem adminiſtrationis Reip. Ego quid in re tam ancipiti pronunciem, non invenio; Suprà monui, ſi certiſſimis argumentis mihi conſtaret, tam adſtrictum obſequium non deberi imperantibus in Rep. libera, quale in Monarchia, lubentiſſimè vellem concedere ejus ſententiæ, quæ planè & perſpicua eſt: Nunc cùm hucusque id non repererim, aquam mihi hærere fateor. Et tamen non pauca ſanè ſunt, quæ majeſtatem à libera Rep. præcipuè verò Democratia abeſſe arguunt. De quibus, cui volupe eſt, conſulat dict. loc. nunquam ſatis laudatum Hornium. Nos breviter potiſſima inde colligamus. Dicit vir ille eruditus: majeſtatem ſuâ naturâ adeò eſſe indiviſibilem, ut nec pluribus conjunctim eam participantibus competere poſſit, quia neque hoc modo pluralitas ſummitatum in una Rep. evitaretur. Nam quod commune cum aliis habeo, de eo certè me participare aliquam particulam quamvis pro indiviſo convenit. Sed illa particula ſumma eſt, quia quælibet particulæ majeſtatis ejus naturæ ſunt, quæ ſummitatem inferant. Quare quicquid participo, ſummum participo, ſicut & ſocii mei, quo ipſo ſumma plura in Civitate dabuntur. Neque medetur huic dubio diſtinctio ſummitatis & plenitudinis majeſtatis, ita ut ſummitatem habeam, ſed non plenitudinem, quia, primò, diſtinctio hæc nihil ad plura ſumma cavenda facit. Summitas enim, non plenitudo, plura in civitate ſumma conſtituit. Deinde jura majeſtatis tam cognato ſe tangunt vinculo, ut unum ex altero procedere neceſſum ſit, & ſemper debeam participare de toto,

de quocunque tandem jure participem. De excellentioribus minùs dubium est. Videamus minora, ut vocantur. Tributorum exactio sine dominio in Territorium esse nequit, nec hoc sine in personam imperio. Consimile judicium sit de vectigalibus aliisque, quæ omnia etiam non magni momenti resolvuntur tandem in illud imperium, quod plenitudinem majestatis comprehendit. Præterea Democratiæ majestas repugnat ob has rationes. Primò, quòd hæc ut aliquod incorporale & relativum certum subjectum requirat, cui inhæreat, & ad quod uniformiter fiat relatio. Sicut servitutes vel prædium vel personam subjectum habent. Et subjectum relationis v. gr. pater est. In Democratia stabile & certum non datur, quare nec ipsa majestas. Secundi enunciati probationem qui desiderat, eum remitto ad definitionem Democratiæ, ut à Politicis traditur, quòd scilicet Democratia sit, ubi omnes conjunctim sumpti imperant & singuli parent. Ubi jam est subjectum majestatis? Si omnes imperant, nulli parebunt, cùm singuli sine omnibus percipi nequeant, & quicquid de multitudine dicitur, id debeat & de singulis prædicari vel secundùm totum vel aliquam partem. Quando autem nemo paret, neque omnes imperabunt, quia quibus imperarent, non habent. Si singuli parent, omnes non imperabunt, quòd singuli præter obsequium multitudini nihil conferant, imperium verò obsequiumque eandem personam nequeant inhabitare, quo simul destruitur relativa illa qualitas, quæ inter imperantes & parentes est. Nam quod dicunt omnes

con-

conjunctim imperare, ſingulos ſeparatim parere, id verò palàm eſt abſurdum. Et eodem modo dicerem omnes clamare & ſingulos tacere, omnes urbem oppugnare, ſingulos verò eam defendere, omnes videre, & ſingulos eſſe cœcos. Hujus ſubjecti incertitudo ampliùs exinde cognoſcitur, quod Politici tradunt, ſententias partis civitatis majoris in comitiis aliisque actibus publicis prævalere: Nunc ita procedo. Pars minor votis ſuperata majeſtatem non habet, ratio eſt, quia reliqui ſoli decernere poſſunt. Illud enim contra majeſtatis naturam eſt, ut ejus poſſeſſori nihil liceat ſancire, quod civitatem teneat. Quod ſi autem vota majora majeſtatem habent, cur eam omnibus attribuunt? Accedant deinde & in aliis conſultationibus parti victæ aliorum concluſa, & hæc habebit majeſtatem. Ita majeſtas ſingulis comitiis de perſonis migrabit in perſonas. Pone etiam, populum æqualiter in duas partes ſecedentem diſſentire, nullum decretum, quod teneat, fieri poteſt. Ergo neutra pars habebit majeſtatem? Si neutra, ergo nec utraque conjunctim. Deinde majeſtatis eſt omnes cives obligare; Hic verò ipſa multitudo non obligatur vi imperii, ergo ne ſinguli, quoniam multitudo ex ſingulis conſtat. Tandem dubium eſt, num adeò laxa & lata ſuique multiplicativa ſint jura majeſtatis, ut numeroſiſſimæ multitudini in infinitum poſſint aſſignari. Ariſtocratiam hæc premunt abſurda. 1. In genere majeſtatis indiviſibilitas. 2. Quòd majeſtas debeat imperare omnibus, hic verò egregia Procerum pars excludatur. 3. Plura ſumma in Civitate. *Si indiviſim*, inquit

inquit Hornius, *penes plures residet majestas, per aliquam veram communicationem residebit, & necessario singuli aliquid poterunt. Debet singulis tribui aliqua particula cujuslibet juris majestatici, quemadmodum in dominio communi certam partem singulis dominis adscribunt. Sed illa particula summa est, unde plura summa in una Rep.* 4. Quòd quilibet Procerum puniri & judicari possit, imò omnes hostilia molientes à populo. Singulis verò remotis & punitis, ubi universi cum suo imperio maneant, doceri vult Hornius. Illud insuper rectè observavit, deceptores fuisse, quicunque arbitrati sunt, pleniorem in optimatum Statu populo libertatem fore, quàm in Monarchia, si utrobique majestas esset. Quoniam multiplex dominorum numerus in unius locum surrogatus augeret servientium vilitatem. At quando populi obsequium non nisi pactum definit, rectè liberum dici, qui se certis conditionibus obsequio addixit, quibus deficientibus & pactum cessare, & omnem parendi necessitatem. Imò hoc casu populum à Magistratibus suis Reip. gestæ rationes poscere, & perfidos judicare posse.

Propriam speciem.] Nam in iis vel motus habendi limitatus est, vel libera Resp. mortuum Regis nomen retinet.

Temporarii regni.] Tempus naturæ majestatis nihil confert. Et non minùs Rex, qui diem, quàm qui annos plures regnavit.

Respici per se utilitatem eorum.] Nescio an hoc adeò verum sit, cùm potiùs dicendum videatur, pleraq; regna mutuam utilitatem intendere tam Principis quàm populi. §. 9.

Digitized by Google

§. 9. *Sibi fingunt.]* Rectè *fingunt.* Mera enim est fictio reciprocum illud imperium. Quod si populus Regi subditus est, nullo bono exemplo superior evadet, & improbo prætextu utitur imperantis malitia. Bonitas moralis sicut per se sola sufficiens non est quemquam collocare in solium regale, aliàs omnes boni viri Reges essent, ita è contrario malitia neminem dejicit: sed ubique judicium divinum expectandum erit, donec mores Regis aut corrigat aut extinguat. Nullibi enim verius dici potest, soli Deo competere vindictam, quia populus omni legitima judicandi vel condemnandi Regem potestate est destitutus.

Partiri cum Rege imperium.] Qua partitione mutatur status Monarchicus in Remp. liberam, vel Aristocratiam vel Democratiam.

Summam confusionem.] *Conf. ad h. l. Dn. Ziegl.* ubi Vasquii opinionem refutat.

§. 10. *Leges præscribendi.]* Intelligit, ut opinor, leges, quas vulgus vocat, *fundamentales.* Conditiones tam potiùs sunt, imperanti præscribentes modum regiminis, quàm leges, vocabulo propriè accepto pro jussu majestatis obligatorio, in ordine ad subditum. Atque hæc indifferens acceptio multos in civili doctrina peperit scopulos, in quos non bene distinguens facilè offendit. Hoc igitur, ut dixi, significatu leges non sunt, quoniam inferiorem non obligant ex superioris præscripto, vocari tamen leges possunt eo modo, quo pacta & conventiones contractibus legem dare dicimus. Quæ sicut contractuum essentialia non immutant, sed naturalia

lia saltem & accidentalia informant, ita leges fundamentales de imperio nihil detrahunt, sed ejus exercitium limitant & restringunt per modum pacti. Non enim populus tanquam superior, eligendo, ceu inferiori vi summæ potestatis leges dat, sed hactenus inter se pares mutuis invicem se conditionibus devinciunt. *Dissentit Limn. ad Capitul. Proleg. sect. 3. n. 19. usq; ad 24.* Qui cùm variorum Regum, præcipuè Gallorum exempla retulisset, qui in principio regni sui, & coronationis actu, subditis in quædam capitula jurant, concludit. *Aut hoc est leges admittere; aut ego à ratione alienus sum.* Ratio ejus præcipua est: *Quia juramenta hæc non ex meræ voluntate, sed necessitate præscripta præstantur.* Sed nunc bonâ tuâ veniâ, mi Limnei, liceat mihi hæc juramenta pro legibus propriè sic dictis, ut jam explicavimus, non habere, neque tamen propterea te à ratione alienum æstimare, quam tot egregiis voluminibus erudito orbi sufficienter probasti, imprimis cùm ratio tua à necessitate præstationis juramenti petita fumus sit. Nemo, qui in regem electus est, præcisè cogitur ad jurandum in pacta, sed saltem, si Rex esse vult, jurare debet. Si noluerit jurare, at regno abstineat, & renunciet electioni Jurat itaque ex libera voluntate, & nō video ullam externam necessitatem, quæ nolentem jurare cogat. Ambitio quidem & regni majestas sæpiùs id suadent, sed hæc necessitatis nomine venire non possunt, cùm sint proprii cuiusque hominis affectus; nemo autem se ipsum cogere dicitur, quoniam id, quod cogit, & quod cogitur, diversa subjecta

jecta esse debent, sibi ipsis repugnantia. In nostro autem negotio hoc etiam imprimis accedit, quòd plerunque, antequam juramentum præstetur, inter Regem electum & populum de articulis, in quos jurandum est, mutuo tractatu & deliberatione agatur, donec tandem in unum placitum utraque pars convenerit, quomodo igitur coactivè quid ille facit, qui ad id faciendum se ex libera voluntate obligavit? Sed demus Limneo, quod dari non potest, intercedere aliquam in hoc negotio necessitatem; E. populus Regi præscribit leges. Sed unde hæc quæso tam peregrina consequentia? Neque enim continuò qui aliquem ad faciendum aliquid cogit, eidem etiam leges præscribit, quatenus accipiuntur pro jussu superioris erga inferiorem. Ita si prædo viatorem injusto metu adigit ad promittendum quiddam, illi leges dat? Non existimo. Quia facultatem ferendi leges nemo facilè latroni vindicaverit. Potuisset Limneus deprehendere errorem, modò ad naturam & indolem legum paulò attentiùs advertisset. Feruntur leges ab Imperante, qui majestatem habet, & quidem nemini nisi subditis civili potestati, quos etiã invitos obligant ad obsequium. In nostro casu neq; imperans est, neque parens, sed ante perfectum negotium pares utrobiq; tam eligendus, quàm qui eligunt, in certas conditiones conveniunt, in quas jurare debeat is, qui velit in Principem adsumi. Quod si igitur verum est, quod est verissimum, & unanimi Politicorum consensu receptum, nulli omnino in parem imperium vel potestatem competere, sequitur necessaria illatione, ergo

go nec legis ferendæ facultatem. Quî enim quis ab eo, cui non est subjectus, se legibus adstringi patietur invitus? Si mutuo consensu in placita quædam iverunt, res expedita est, sed hæc placita leges non sunt, quæ à superiore feruntur. Ex quibus simul detegitur eorum error, qui Capitulatione, in quam novus Imperator jurat, radicalem majestatis participationem cæteris Statibus tribuere asserunt. De qua tamen re alibi agendum ex professo erit. Sed & nunc facilè quoque responderi poterit ad ea, quæ habet *Tabor* de lege fundamentali *in Tractat. de obligat. succeff. in off. c. 5. thef. 12.* ubi asserit, *leges fundamentales Principē quemq; absolutè & per se tanquam inferiorem & suppositum tam directivè quàm coërcitivè obstringere.* Nam non satis est, hoc tam crudè & arroganter dicere, sed firmissimis rationibus fundamentū proximum aperiendum erat, quod Principes legibus fundamentalibus subjiceret. Non satis est unum aut alterum JCtum citare, qui vel se ad alium refert, vel expridem damnata de reali majestate doctrina nubem pro Junone amplexus est. Quin etiam Tabor non mediocriter offendit, qui non erubuit legem publicam anno 1555. de pace religiosa latam inter æternas & immortales referre, proptereáque eos reprehendere, qui temporariam & revocabilem dixere. Cùm inter omnes jurisp. scriptores ne dubium quidem sit, consensu omnium Statuū illam abrogari posse. Et quid si, (quod Deus tandem aliquando dederit) Germania nostra iterum in unam religionem coëat: annon hæc lex, sublato objecto, per se concidit? qua ratione igitur immortalis erit?

Per

Per electionem aut ſucceſſionem.] Uter modus præſtet, inter Politicos non convenit. *Lipſ. Polit. lib. 2.* præfert ſucceſſionem. *Dn Ziegl. ad h. l.* idem ſentire videtur, ex duabus rationibus. *Tum quòd faceret ad ſecuritatem & tranquillitatem Reip. tum quod major apud Principes videretur eſſe cura Reip. ubi perſuaſi fuiſſent, non ſe tantùm, ſed & haredes regium titulum continuaturos.* Contra pro electione ſtat cum aliis multis *Limn. Tom. 4. Addit. Jur. publ. l. 2. c. 1. n. 43. p. 202. & ad A. B. c. 1. §. 1. obſ. 4. n. 2. p. 59.* Cenſeo ego pro natura & qualitate regnorum populorumque nunc hunc nunc alterum modum aptiorem eſſe, in univerſum autem certi quid definiri nihil poſſe. Ita Germani, qui generoſioris ſpiritus ſunt, & ad libertatem ferè nati, electionem laudant. Serviles Galli ſucceſſionem. Sanè illa ratio, quæ maximè electionem fovere videtur, quòd optimus ſc. eligi poſſit, cùm naſci in Regem fortunæ & cæco naturæ ordini debeatur, illâ facillimè declinatur replicatione, quòd ſæpiùs ſtudiis & ambitione corrumpatur eligentium religio. *Conf. Barcl. Argen. l. 1. ubi quæſtionem hanc pro & contra agitatam inveniet.*

Contra Romanum Imperium.] Imò potiùs fuiſſe ſucceſſivum usque ad Gregorium VII. Pontif. Max. qui Proceres Imperii in Comitiis Forcheimenſibus decretum facere coëgit de electione, aſſerit *Dn. Strauch. Exoter. 2. n. 1.*

§. 11. *Aliud de modo habendi.]* Uterque, tam qui abſolutè regnat, quàm qui ſub certa formula, rem ipſam, i. e. ſummum imperium habet,

bet, sed non uno eodemque modo. Opponuntur sibi non summum imperium & limitatum, sed absolutum & limitatum. Utrumque quidem summum est, sed alterum altero habetur liberius aut restrictius: Gravissimum errorem ii errant, quicunque existimant, certis cancellis inclusum imperium summum non esse. Illa enim determinatio actum secundum sive exercitium respicit, de summitate nihil detrahit, quæ etiam cum limitata potestate bene consistere potest. *Id perpetuò*, inquit Hornius, (a) *inculcandum est imperitis, summitatem imperii non perire, nec superiorem Principe dari, licèt conditiones fundamentales aliquos ponant terminos operationi civili & actui secundo. Non jurat imperaturus imperio superioris adactus, sed sua sponte approbans consignatas conditiones. Consentiunt eligentium & eligendi voluntates, non imperant invicem & parent. Integra majestas manet in limitato regno, & Rex verè imperans ac summus est. Non sibi opponuntur imperium summum & limitatum, nam circumscripta operatio procedit interim à summa potestate, & quamdiu majestatem habemus in Principe, summus est, nemini subjectus, utut conventis suis mensuram imperandi fecerit. Sed absolutum hactenus limitato opponitur regno, ubi Princeps non tantùm summus est, sed liberam directionem universæ civitatis pro lubitu solus habet.* Sed quoniam modus habendi majestatem illustre satis argumentum est, operam non perdimus, si breviter illud explicaverimus. Habetur verò

(a) de Civit. l. 2. c. 10. n. 7.

verò majestas duplici modo. Absolutè & limitatè, & utrobique gradus intercedunt. Absolutissimum imperium est, quod illimitatam potestatem concedit imperanti, liberrimumque jurium majestaticorum exercitium, tam quoad imperium in personam, quàm dominium eminens, & arbitrariam de successore dispositionem. Dominatum vulgò vocant, cujus princeps nota est, frequens Dominii eminentis exercitium. Sequitur hoc regnum, in quo regimen indefinitum & alienandi potestas concessa est: Dominia tamen privatis mansura relinquuntur. Tertium est regnum illimitatum electitium. Dispositio enim futuri successoris apud imperantem non est, exercitium interim jurium majestaticorum, quoad regnat, liberrimum, & nullis vinculis constrictum: ad quam classem pertinet etiam Dictatoris Romani imperium, de quo paulò pòst. Limitatè habetur majestas rursus dupliciter. Nam vel imperaturo certæ conditiones formam regiminis præscribunt, in quas jurat, & juxta illas Remp. regit, absque speciali subditorum juvamine. Vel subditi insuper se exercitii in actu secundo participes faciunt, cupiuntque se immiscri administrationi: qualia multa hodiè in orbe Christiano regna habemus: qua participatione jus imperandi Principi non aufertur, sed Proceres saltem trahuntur in consortium administrationis, & adsistunt Principi in publicis negotiis, cujus auspicio omnia fiunt, jure & potestate apud ipsum solum originariè manente. Frustrà igitur sunt, qui putant, nullo modo majestatem sine ejus interitu participari posse. Nam quod

quotidie fieri videmus, id fieri posse cur dubium erit. Equidem certum satis est, quoad actum primum majestatem diminutioni omninò nulli esse subjectam, sicut nec conventionibus humanis, sed summæ potestatis operationes externas suspendi & inhiberi quandoque solere, tam certum est, quàm exempla ubique obvia. Habet se hæc restrictio non aliter, quàm si homo promisisset alteri, se non iturum absque eo Romam. Potestas eundi ipsi nihilominus manet, quamvis ob promissionem solus licitè proficiscei nequeat. Norma limitationis sunt illæ ipsæ conventiones, quibus determinatur regimen, pro varietate & natura Rerump. variæ. Communiter vocantur leges fundamentales: id quo sensu intelligendum sit, suprà diximus. Vinculum plerunque est juramentum, quo fides jurantis adstringitur, ad servandam regiminis formam, quam si simplici promissione semel approbavit, nihilominus ejusdem perpetuitati obligabitur. Effectus verò omnis religione absolvitur; quam si Princeps susque deque habet, subditis vix ultra patientiam quicquam concesserim. Divina expectanda vindicta est, quæ perjurum debitâ pœnâ afficiet, subditus propterea irrogando supplicio inidoneus est, quòd universis superior Rex sit. Arcendi itaque procul ii sunt, qui juramento peregrinam efficaciam tribuunt, quasi perjurio ipso jure regnum committat, & civibus facultas detur cogendi Regem. Quæ quidem sententia aliquid veri haberet, si pactum & conditiones fundamentales imperanti darent summam potestatem: tunc enim illis deficientibus deficeret simul

simul legitimum imperium. Nunc verò cùm illud soli Deo acceptum ferat, arbitrio parentium eripi non potest. Obsequium debet inferior, non quia superior juravit, sed quia imperium habet. At verò si non jurasset, non imperaret? Rectè, sed quando imperat, obsequium procedit ex imperio, non juramento. Quoniam itaque juravit, electus est, sed per electionem à solo Deo majestatem consequitur, quæ immediatam determinat subjectionem. *Conf. Joh. Frid. Horn. de Civit. l. 2. c. 10.*

Jure usufructuario.] Periculosa hæc partitio est, latamque seditionibus viam sternit, si ad sensum juris civilis explicetur. Primò enim illud minùs accuratè dicitur, Majestatem esse in proprietate. Nam quod est in proprietate, id etiam in commercio hominum est. At verò majestas extra omne commercium humanum posita à solo Deo conceditur immediatè, ergo in proprietate non est. Deinde ususfructus vocabulum multò minùs quadrat. Quicunque usumfructum alicujus rei habet, ille ejus non habet proprietatem. Tribue nunc Principi imperii usumfructum, proprietas populi erit, qui deinde sub juris & æqui specie facillimè illud superiori eripiet, quasi illegitimo modo eo abutatur, & sic ususfructus cesserit in commissum.

Rerum moralium natura ex operationibus.] Sed & à priori ex natura rei Dictatori asseri majestas potest. Operationes externæ consimiles quandoque à diversis principiis procedunt, v. gr. actio civis legibus congrua vel ab amore virtutis, vel metu pœnæ producitur; At

demonstratio ab antecedenti infallibilis est, quia plenariam cognitionem per causas exhibet. Formalis majestatis essentia est summitas, quam cùm in Dictatore inveniam, ipsam majestatem palàm agnosco. In hoc latet summæ potestatis indoles, ut actiones ejus & gesta à nullo cognosci aut judicari queant; Conjungamus nunc Historiarum fidem, & amplissimum Dictatoris imperium nolentes etiam deprehendemus. Illustre momentum à Livio (*a*) petimus; Ubi, cùm Fabius contra Dictatoris imperium utut feliciter pugnasset, damnatus ab eodem ad mortem est. Obstabat huic immiti sententiæ & frementis exercitus clamor, & venerandi senis patris humillimæ preces, & efficax Senatus auctoritas. Nihil impetratum est. Provocavit igitur miser parens infelicis filii ad populum. Dictator etsi provocationi deferre moribus patriis non fuisset adstrictus, tamen ut omnibus de plenitudine suæ potestatis magis constaret, concessit in concionem, & seditiosis tribunis de jure suo tam magnificè respondit, *ut stupentibus, & suam jam vicem magis anxiis, quàm ejus, cui auxilium à se petebatur*, silentium indixerit. Successit universus Romanus populus, non ex imperio agens, sed *ad preces & obtestationes versus. Tribuni quoque INCLINATAM rem in preces subsecuti. Jam ipse adolescens, jam pater M. Fabius contentionis obliti procumbere ad genua, & iram deprecari Dictatoris.* Tum demum Dictator, ne jure summo ad invidiam uteretur, delicti veniam dedit cum solenni tamen protestatione,

(*a*) Histor. l. 8. c. 33. & 34.

tione. *Vicisse imperii majestatem, non noxæ eximi Q. Fabium, sed noxæ damnatum donari populo Romano, donari tribunitiæ potestati, PRECARIUM non justum auxilium ferenti.* Ex quo facilè constat, præcipuam Bodini rationem, quòd à Dictatore provocatio sit, falsam esse, neque ex hoc loco, sed contrarium potiùs probari. Sat apertè Papirius Populo Romano in os dixerat, precarium ejus non justum auxilium esse, quod ab omnibus insuper silentio agnitum est. Et alibi quoque in Livio legimus, *à Dictatore provocationem non esse.* Rex Tullus Hostilius cessit provocationi, sed non coactus: verùm quòd vellet Horatium absolvi parricidio ab alio quàm se. Viderint interim Reges, an consultum sit hoc imitari, cùm ita facilè plebi imago quædam potestatis tribuatur. Sunt alii, qui putant, mentem populi Romani inspiciendam, & creationem Dictatoris ultra intentionem operari non posse: illum curatorem & executorem fuisse alienæ majestatis, ut vicariis à Regibus solet tribui administratio. Verùm enim verò longè dissimilem potestatem Dictatorem ab ea, quam habet vicarius, accepisse, certissimum habeo. Vicarius præter imperii summi exercitium à Rege mandatum nihil habet; Dictator autem à solo Deo intercedente populi electione imperium ipsum accepit: id quod vel inde satis probatur, quia majorem habuit potestatem, quàm universa civitas. Populo Romano in universos imperium nullum erat. At Dictatori subjacebat majestas Consulum, Senatus auctoritas, religio Tribunorum, & reliqui privati omnes. Hanc verò

potestatem conferre populus non potuit, quia ipse adeò amplam non exercebat. Sed hoc indubitatum mihi signum est præsentiæ majestatis, *omnibus imperare*. Quare actus operari ultra agentium intentionem non debent, si cum ea convenire possunt. Quod si ulteriùs quid necessariâ sequelâ important, ut hîc creatio Dictatoris præsentiam majestatis, intentionem rectè transcendunt. Quod si in criminali Fabii causa populus vi usus esset, præter vim nihil agnoscerem. A Deo dictator potestatem suam accepit, non sine perduellionis crimine à subditis ei eripiendam. Sola juramenti religione tenebatur ad imperium deponendum, quam si neglexisset, à nemine potuisset exauctorari, quia universi collectim sumpti inferiores Dictatore fuerunt.

Duratio autem naturam rei non immutat.] Nihil fit per tempus, licèt omnia fiant in tempore. Non minùs homo est, qui diem vixit, quàm qui centum annos.

Idem dictum volo.] Idem dici non potest. Quia majestas per successionem ad infantes delata in curatores non migrat; Sed hi nihil aliud sunt quàm ministri & officiales pupilli Regis, qui ejus jussu auspicioque regimini præsunt, propria potestate destituti, nec ultra precarium imperii exercitium quicquam possidentes. *Conf. Ziegl. h. & Joh. Frider. Horn. de Civit. l. 2. c. 11.* Ipse Grotius tribuit infrà §. *ult.* infantibus Regibus jus imperii in actu primo, quæ sententia Tutoribus nihil præter exercitium relinquit. *Vid. quæ ib. notavi.*

Quovis

Quovis tempore revocabile.] Nam hi honoratiore loco constituti, Principes Civitatis vocantur, omnis veri imperii expertes, & ministri eorum, apud quos summa rerum consistit. Exauctorantur ad libitum, & singuli Regum actus à voluntate aliorum pendent.

§. 12. *Ita libertas civilis Regum.]* Quomodo libertas & regnum sibi invicem opponantur, non satis constat. Nam & in principatu libertatem esse, i. e. facultatem naturalem faciendi, quod cuique libet, nisi quid vi aut lege prohibeatur, nullus dubito. Neque libertas in Rep. significat effrenam inordinatamque licentiam, sed nihilominus in liberrima quoque Rep. ordo imperantium & parentium, sine quo nulla civitas consistere potest, distinctus est. Plerique ita explicant. In principatu omnem civilem potestatem esse apud unum, in libertate verò singulos per vices imperare, idque quandam liberioris & nobilioris vitæ habere speciem. Ex hypothesi Horniana posset quis dicere, ideo libertatem in regimine plurium esse, quoniam manifestas Regum injurias subditi, qui sub imperio unius sunt, ferre tenentur, nulla omninò his se expediendi facultate relicta, ne majestatem cœlitus Regi infusam audaci parricidio violent. Hanc sanè deficere in libera Rep. ideoque populum posse Magistratu suo jure abutentes cogere in ordinem, &, si opus, judicare: quia ubi pactum & conditiones cessant, sub quibus in Proceres facultas regendi plebem collata est, cessare etiam ipsam, quam habent, potestatem, populumque à fide data absolvere pactorum violationem, qui-

bus fides adstricta erat. In Principatu secus esse, ubi imperii collati causa non voluntas eligentium, sed Deus est. Ideoque populum repetere non posse, quod non est suum. Debere autem perpetuum obsequium, quamdiu majestas Principi assidet, etiamsi Rex non ad spem & vota populi sui imperaverit. *Conf. quæ notavit Boxhorn. ad Tacit. 1. Annal. 1. lit. a.*

Non ipsi homines alienantur.] Sunt tamen etiam viri eruditi, qui ipsorum hominum alienationem nihil absurditatis continere statuunt. Et profectò videtur illud ἀξίωμα, homines liberos non esse in commercio, juris civilis esse. Quilibet enim liber homo habet facultatem se alienandi & tradendi in servitutem vel personalem vel civilem, & nullum juris præscriptum adduci potest in contrarium. Quamvis in suppositâ quæstione verius sit, jus potiùs alienari. Cæterùm tradit hîc Dominus Ziegl. differentiam imperii & dominii rei familiaris. *Hoc dicit esse jus in re aliqua, illud rem ipsam corporalem.* Hîc discere percuperem, annon etiam dominium sit res incorporalis? Si non est, erit corporalis. Quod hactenus, quantum scio, à nemine traditum. Nescio etiam, quomodo in genere differant, jus in re, & res ipsa incorporalis: Puto ego omne jus in re esse rem incorporalem; Dubitare quoque cogor, annon dominium sit in commercio. Nam quando res perfectè alienatur, simul dominium, quod ego habui, transit ad eum, cui facta est alienatio. Et quamvis rectè dici non possit, *jus tantùm habendi rem propriam, non ipsam rem familiarem alienari*, rectè tamen dicitur, jus

jus habendi rem propriam cum ipsa re alienari. Et quid multa demonstratione opus? Quodcunque acquiri, omitti & ad alium transferri potest, id est in commercio. De dominio hæc omnia subsumi possunt. E. est in commercio. Qui adeò infans est, ut de minoris probatione quærat, illum ad titulum Digestorum de Acquir. Rer. domin. remitto. Majorem verò, nisi planè stultus, nemo negaverit.

§. 13. *At in Regnis.*] De alienatione imperii, quatenus Regi liceat, in l. 2. suo loco prolixi erimus.

§. 14. *Summitatem imperii ab habendi plenitudine.*] Bona est hæc distinctio, quando plenitudo habendi restringitur ad exercitium imperii externum: illud enim quodammodo limitari potest, ut adeò plenè non habeatur. Quicunque verò & actum primum intelligit, id quod videtur facere Grotius, huic assistere ideo non possum, quia summitatem plenitudo necessariò consequitur, ad plura summa in Civitate evitanda. Nam si, quod ab omnibus uno ore dicitur, unicuique perfectæ Reip. majestas plenè & quoad omnes suas partes potentiales inesse debet, una verò particula hæreret apud hunc, altera apud illum, & quidem per se ac radicaliter, ob quam nemini est subjectus, cujusque respectu summus dicitur, sequeretur hoc modo pluralitas summitatum, & unus alterius actus faceret irritos, quoniam jura majestatis mutuâ se cognatione contingunt. Ideoque si Stamlerus (*a*) summi imperii non tam operationes secundas, quàm actum

(*a*) de Refer. Imper. §. 8. n. 7.

actum primum intendit, non est quòd adeò improbemus assertionem ejus, plenitudinem potestatis esse ipsam formalem rationem summitatis. Non enim quærimus hîc summitatem aliquam naturalem, sed moralem, quæ physicè omni sui parte se non habet. Ille sanè, qui quasdam saltem potestativas partes possidet, summus non erit, quia summus ille demum est, qui in sua Rep. est super omnes; jam verò reliquæ partes imperii sunt proprio jure apud alium, qui itidem harum ratione vocatur summus. Quare neuter verè summus erit, cùm in una civitate duo vel plures pares sint, summus autem sit, non qui parem habeat, sed qui sit supra omnes. Neque rem conficit, si dicas, respectu suarum partium quemlibet esse supra omnes. Quoniam nos & summitatem in tota civitate quærimus, & in subjectionis imperiique materia, qui quocunque modo summus est, alio inferior esse non potest, cùm impossibile sit, eodem tempore imperantem simul esse & subditum. Neq; adversam partem juvat exemplum ab arboris proceritate desumptum, quæ omnium nihilominus altissima esse potest, *ut maximè non tot ramos habet vel tot poma, quot cætera.* (a) Ita etiam Limneus (b) ait: *Ponamus diversorum montium juga: ipsa natura utrobiq; summitatē constituit, licèt montium altitudo diversa sit.* Nam in morali disciplina rationes non naturales, sed civiles adducendæ sunt, & quàm periculosa sit illa in aliud genus transilitio, vel præsens Strauchii ostendit exem-

(a) Dn. Strauch. in MSS. Instit. Jur. pub. l. 1.
(b) in Proleg. ad Capit. sect. 8. n. 25. & 26.

exemplum. Verum est, *non desinere esse arborem omnium summam, ut maximè non tot ramos habeat vel tot poma, quot catera.* Sed hoc ideo fit, quia ad summitatem naturalem arboris ramorum plenitudo aut pomorum ubertas planè non requiritur, & posset arbor esse summa, licèt omnibus ramis pomisque destituta esset. At longè secus se res habet in civili summitate. Nam qua ratione quis summus, qui omnibus potestativis partibus caret? illæ enim hanc summitatem producunt. Et dicitur summus in civitate non eodem modo, quo arbor in silva. Aliàs Rex Alexander & alii ferè omnes non forent summi, quoniam staturæ majoris homines plerunque in civitate sunt: Sed quatenus est super omnes imperio civili instructus, neminique subjectus. Quæ independentia oritur ex plenitudine potestatis. Qui enim ratione aliquarum particularum summus non est, ille summus dici non potest. Tum quòd summum in tota Civitate intelligimus, tum quòd summus is non est, & qui parem habet, & qui respectu quodem alio paret. Crudius est Limnei exemplum, quod montium summitates non confert inter se, sed utrorumque juga summa ponit non per modum collationis, quod impossibile esset, sed abstractionis. Licèt & insolentiæ omnino plena sit locutio, hunc montem esse summum, in se sc. & non ratione collationis ad alium. Nam quomodo potest dici summus, si non conferatur cum aliis montibus? Altus erit, non summus. Quod si verò duos montes inter se conferimus, uterque non erit summus, sed vel pares, vel unus alterum vincet altitudine. *Mar-*

Marchionatus & Comitatus.] Rectè notat Dn. Ziegl. propter nexum feudalem, quo hi Principatus tenentur, dici non posse eos haberi plenè, & pro lubitu posse alienari. Nam quæ requirantur ad justam rei feudalis alienationem, nemini in jure feudali versato obscurum est.

§. 15. *In regni tutela.]* Rex licèt ætate aut morbo fungi sua potestate impediatur, nihilominus plenam majestatem habet. Sed exercitium inhibetur principio externo, & curatores non sunt verè imperantes, sed ministri & vicarii alienæ potestatis.

Tutela eorum est.] Dubito, an in regnis non patrimonialibus, ut vocat Grotius, i. e. quæ sine populi consensu alienari nequeunt, adeò restricta sit Regis potestas, ut filio tutorem testamento dare ipsi non liceat. Nam & non patrimonialia regna absolutè haberi possunt, quoad absolutum majestatis exercitium in subditos, non verò alienationem. Jam institutio tutoris est actus quidam regiæ voluntatis, cui subditi obedire tenentur, quia neque illicitum morale continet, neque alienationem imperii, sed paternum quendam affectum infert optimè consulendi successori filio. Nam hoc generaliter omni jure verum est, prohibita alienatione non prohiberi dationem tutoris, quia hæc cum illa nihil omninò commune habet. Illud concedo, si testamentum tale aut voluntas Regis non adsit, potestatem dandi tutores spectare vel ad agnatos, qui jus in regno habent, vel & his deficientibus ad populum.

§. 16. *Sive etiam directè in ipsam facultatem.]*

tem.] Vult, ut existimo, Grotius, facultatem aliquam summi imperii potestativam ab eodem posse decerpi, & planè in Rep. extingui. De communicatione enim, quam in §. seq. tractat, hîc non loquitur. Verùm hæc opinio omni ratione destituta est. Illud unanimi Politicorum consensu est receptum, in qualibet Rep. integram majestatem esse debere, quoniam aliàs quoad essentiam manca esset & destructa. Quo sensu quibusdam majestas indivisibilis dicitur, quia si unum jus è Civitate ejiceres, totum periret. Sed & majestas ut donum divinum arbitrio humano non subjacet: in hanc nullæ hominum vires penetrant, sed extra omne commercium posita cui adest, tota adest, quia Deus non laceram, sed perfectam comunicat subjecto. Quin, me Hercules, ad Remp. rectè gubernandam omnes imperii facultates concurrere debent; Sume de his aliquâ, & ex civitate ejice, torpescent actiones civiles, & Resp. continuò corruet. Legum ferendarum potestatem & alia eminentiora jura non attingam, quoniam eorum usus per se evincit, hæc ne momento quidem à Civitate abesse posse, quamvis dicendum videatur, ab extinctione jurium majestaticorum in genere, ad quælibet in specie rectè inferri, neque Grotius hîc ullum excipit. De minùs illustribus loquar. Ejice tributorum exactionem, sic ut nemini facultas sit cogendi tributa: præsentissima pestis Remp. affliget, neque enim regna & provinciæ sine exercitibus, neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi possunt. Par omninò judicium de omni-

omnibus sit aliis, propter indissolubilem connexionem & necessarias sequelas. Quod si itaque tam fanatica multitudo esset, quæ habere Regem vellet sub hac conditione, ne ipsi, ac ne quidem alii in Civitate, fas sit leges ferre, aut bellum gerere, ne jus dicere aut imponere tributa, &c. Rexque sub hac fide in solium adscenderit, ego pronunciare nihil hæsitarem, & Regem majestatem consecutum, & pactum nullius momenti esse, quin hoc non attento Regi nihilominus legum ferendarum, belli gerendi, juris dicendi, potestatem competere, licèt etiam sub juramento promisisset: quoniam operosa majestatis præsentia otiosa esse non potest, sed sua virtute semper in civitatem agit, sicut anima in corpus, neque profanis conventionibus licet sacrosanctas ejus & efficacissimas operationes inhibere. Non loquor jam de casu, ubi populus sibi reservatam hanc facultatem, sed planè elimandam voluit. Quo sensu amplector lubentissimè verba *Hobbii*. *Monarcha si quid promiserit civi vel pluribus simul civibus, propter quod summum imperium exerceri non potest, promissum illud sive pactum juratò vel injuratò factum irritum esse. Pactum enim esse juris translationem, qua requirit signa idonea voluntatis in transferente. Qui verò sufficienter significat voluntatem retinendi finem, eum sufficienter declarare, se non decedere de jure ad media, ad eum finem necessaria. Jam verò qui promisit aliquid necessarium ad summum imperium, ipsum tamen imperium retinet, hunc satis idonea signa dare, se non aliter permisisse, nisi quatenus summum imperium sine eo reti-*

retineri poteſt. Quandocunque igitur apparuerit, id, quod permiſſum eſt, præſtari non poſſe, ſalvo ſummo imperio, promiſſum pro non promiſſo, i. e. invalidum cenſeri debet.

Ut tum regno cadat.] Neque tamen hoc eveniente caſu Regem vel regnum perdere vel deponi poſſe, intrepidè aſſeveraverim. Pactum ut non fuit cauſa imperii, quod à ſolo Deo Rex accepit, ita multò minùs ad ejus deſtructionem valebit. Examinanda hæc res ex iis eſt, quæ de bono vel malo Principe alibi traduntur. Bonitas moralis neminem facit Regem, ſic malitia hactenus inter modos amittendi imperii relata non eſt. Alia crimina majeſtatem non extinguunt in ſubjecto, quare neque illud perjurium fecerit; quia ratio diverſitatis nulla apparet. Firmiora argumenta tantæ rei conficiendæ adducenda ſunt, non ſufficit fabuloſam pacti vim & efficaciam, quæ in majeſtatem non penetrat, enarrare. Si verum eſt, quod ait hîc Grotius, clauſulam commiſſoriam ſummitati imperii nihil derogare, quod eſt veriſſimum, quo prætextu ſubditus absque perduellionis crimine Principem ſolio deturbabit & imperio exuet? Vanam irritamque pronunciamus conventionem, quæ præter verborum ſonum rei ſenſum nullum habet. Nemo in tota civitate eſt, qui imperium Regi eripere poteſt, quod inferior ſuperioris, quamvis ſceleratiſſimi, judex nunquam ſit, & ſubdito relinquatur obedientiæ gloria, non caſtigandi licentia. In privatis contractibus lex commiſſoria adjicitur, quia ab utraque parte contrahentes liberrima voluntate conventio-

nis causa existunt. At imperium Rex à populo non habet, quare nec sub lege commissoriâ. In arbitrio Regis est, illud deponere, & hactenus temporarium dicitur, non verò, quòd à populo repetatur. Similitudo fideicommissi decipit magis, quàm explicat. Fiduciarius ideo habet temporarium dominium, quoniam cogi potest ad restituendam hæreditatem. In verum Principem nulla cadit coactio propter inhabilem subditorum conditionem. Video virum quendam illustrem, propterea hoc pactum validum esse asserentem, quòd, licèt majestas à Deo detur, hoc tamen casu censeri Deus debeat voluisse quodammodo partiri summum imperium, & populum non subjicere Regi, sed ei parem facere, ut ita in eventum non servatæ conditionis habeat jus abrogandi imperii. Sed ego pervelim edoceri, quæ in ejusmodi Rep. forma sit, ubi omnes pares, nemo verò subditus est? Talem speciem neque unquam fuisse, neque ob moralem impossibilitatem futuram mihi persuasissimum est. Manet ideoque Rex summus, licèt sub commissoria lege juraverit, & quia summus est, idcirco & nemini subjectus, & ita neque judicari, neque condemnari, neque cogi etiam delinquens potest.

§. 17. *Per partes subjectivas.]* Ita tamen unum imperium non manet, sed tot fiunt, quot sunt subjecta, in quæ distribuuntur, cùm in unaquaque parte summum sit & totum, *ut rectè hic Dn. Ziegl.*

Quosdam actus sibi reservat.] Quo casu Rex verus Rex non erit, cùm natura Monarchiæ requirat totius potestativi unicum subjectum. Cudit

Cudit h. l. Grotius haud obſcurè mixtam Remp.

Per modum monentis præcepti.] Bene hîc Dn. Ziegl. loco præcepti ſubſtituit *conventionis*. Neque enim in extraneum neque civem per modum præcepti imperium conferri poteſt. Non in extraneum, in quem nullum planè imperium habemus. Non in civem, quem precibus & votis vincimus, nullo imperio. Ipſi enim liberum manet vel acceptare, vel rejicere delatam poteſtatem.

Ex coactione ſaltem paritas ſequitur.] Contrarium tenet Dn. Ziegl. parem ſcilicet à pari cogi non poſſe, quam ſententiam probat ex *l. 4. ff. de Recept. & l. 13. §. 4. ff. ad SCt. Trebell.* Sed ſine dubio Grotius veriorem ſequitur. Nec quicquam juvant Zieglerum textus allegati, quoniam in illis agitur de Magiſtratibus paribus populi Romani, quibus opus non eſt, ut ſe invicem cogant, cùm ordo detur ad ſuperiorem. Nos autem inquirimus, an par parem jure cogere poſſit, vel extra conſtitutam Remp. vel cùm uterque in ea principem locum obtinet? quod omninò affirmaverim, nec ulla impediens ratio à Ziegl. in medium producta eſt, quod vel dato exemplo ipſe ſatis fatetur, quo *Rex Regem & populus populum cogere aſſerit.* Sive enim id fiat jure gentium, ſive alio modo, inde tamen patet, morale obſtaculum nullum eſſe, quò minùs coactio in parem valeat. Quod verò ſubjicit, nec cogere poſſe aliter, niſi quando jam ſuperior factus, haud dubiè ad vim ſolam reſpicit, id quod paulò antè in eadem obſervat. improbaverat. Jure enim Regem à Rege cogi poſſe extra dubium

eſt, neuter tamen ſuperior eſt, cùm uterque ſit ſummus.

§. 18. *Reſcindi Regis ipſius imperio.]* Conf. *h. omn. Bœcl. cont. Monarch. l. 4. c. 18.* ubi eodem fundamento Galliæ Regis majeſtatem defendit.

Quibus adjectum.] Vid Ziegl. de hac clauſ. ad h. l.

§. 19. *Merè fuit popularis.]* *Dn. Bœcl. ad Tac. 1. Annal. 1.* mixtam fuiſſe formam contendit, i. e. Ariſtocratiæ & Democratiæ conjunctionem, optimatumque cum populo commune imperium. Ego exiſtimo Grotii mentem non multum ab hac ſententia alienam eſſe. Dixit enim Remp. popularem non vitioſam formam, ſive, ut Græci vocant, ὀχλοκρατίαν, ſed rectam ſeu πολιτείαν, ubi nimirum univerſus populus, i. e. nobilitas & plebs conjunctim imperant.

§. 20. *Inter regnum plenum.]* Nos iſta regna intermedia referimus omnia vel ad abſolutum vel limitatum habendi modum. Ubi enim apud unum majeſtas reſidet, utcunque ejus operationes externæ ſint reſtrictæ, regnum eſt, & quidem cum ſumma poteſtate, quamvis non cum abſoluta. Cæterùm Dom. Ziegl. ad h. §. ſe patronum mixtæ Reip. profitetur, quam ſuprà ex civitate proſcripſimus. Illud nunc obſervandum, non probare diviſionem majeſtatis argumentum deſumptum à toto ad partes. Non enim continuò, quicquid totum eſt, id etiam in partes reales dividi poteſt. Ita anima noſtra totum quid eſt realiter tamen dividi nequit, cùm, juxta Phyſicorum tradita, ſit in toto corpore tota, &

Digitized by Google

& tota in qualibet ejꝰ parte. Idem tradunt de ſervitutibus, in qualibet fundi parte totas eſſe. Concipimus quidem jura majeſtatis mentali operatione, & à ſe invicem diſtinguimus, ob diverſas virtutes ſive potentias, quæ toto poteſtativo inſunt. Separari verò & realiter dividi in diverſa ſubjecta non magis poſſunt, quàm pars intellectus Petri, ſive ſimplex, ſive noetica, ſive etiam dianoetica, communicari realiter Paulo. Objecti, circa quod majeſtas verſatur, varietas & differentia inducit quandam nominis diverſitatem, cùm tamen una tota majeſtas circa ſingula occupetur, quòd multò ſubtilior ſit, remotiorque à tam craſſa compoſitione, quæ realem in plures partes admittat ſectionem. Propter indiſſolubilem nexum, quo ſibi jura majeſtatis cohærent, fieri nequit, ut vel minima particula ſine totius interitu abſcindatur, quia minima etiam in totam majeſtatem reſolvitur, vel potiùs ipſa eſt majeſtas, quam nos mentali conceptu aliter atque aliter nominamus, ob virtutes ſuas, quas eminenti compendio complectitur, & in diverſa ſubjecta diffundit. Ut animi noſtri ſenſum planiorem faciamus, dicimus, eandem illam majeſtatem, quæ legibus ſcribendis operam dat, totam bellum indicere, conventus habere, jurisdictionem exercere, tributa cogere, &c. ſed propter hæc diverſa objecta vocari poteſtatem & jus vel legum ferendarum, vel belli gerendi, vel juris dicendi, & cætera. Ad modum, quo Solis radius pro objecti varietate nunc quædam liquefacit, quædam obdurat, quædam illuminat, quædam animat & vivificat, non tamen propterea Solis

radium ex tot partibus componimus. Vel sicut anima nostra unica & indivisibilis, prout agit in objecta, vel sensitiva est, vel vegetativa, vel rationalis.

Tibi soli peccavi.] Non improbo lepidam ad præsens institutum applicationem, cæterùm Davidi tunc tale quid in mentem venisse, qui acerbissimis peccatorũ suorum morsibus vexabatur, & in humilima cordis contritione remissionem à Deo implorabat, id verò dubito. Nam & Regem in populũ peccare posse extra controversiam est, licèt ab eodem judicari nõ possit. Nom rejicio itaque Miltonii explicationem, *in defens. pro popul. Angl. c. 2.* qui ita loquitur. *Quasi verò Rex David in mœrore & lachrymis pœnitentiam agens, sordidato & squalidus in terra jacens, misericordiam à Deo suppliciter petens, quicquam de jure regio cogitaverit, hæc locutus, cùm se vix jure mancipii dignum esse arbitraretur. An omnem Dei populum, fratres suos, usq; adeò præ se contempsit, ut cædibus, adulteriis, rapinis, peccare in eos non se posse censeret? Absit à Rege tam sancto tanta superbia, tamq; fœda ignorantia vel sui vel proximi. Tibi igitur soli peccavi, procul dubio intelligendum est, tibi præcipuè.*

§. 21. *Quod actum habet transeuntem.]* Dicitur actus transiens, cùm ex fœdere quis tenetur ad aliquid, quod habet terminum, in quo desinat. Ut h. exempla Grotii ostendunt.

Sequitur, ut summum imperium retineat.] Vid. h. Dn. Ziegl. ubi Grotium defendit contra Anth. Math.

Sed ut hæres intelligatur.] Longè meliùs hoc

hoc dubium explicat Dn. Ziegl. ex natura inæqualis fœderis, per quod licuit quidem Romanis ſocios in ſuo territorio delinquentes punire; e contra verò ſociis animadverſio in Romanorum delicta non fuit conceſſa. Neque tamen ex hoc puniendi genere argui poteſt ſubjectio quædam, quoniam etiam extraneum, qui in aliqua Civitate delinquit, Magiſtratus ducit ad ſupplicium, in quem nullo imperio armatus eſt, ſed reus ex delicto ſuo ſortitur forum.

Ut ipſe ei, qui peccavit, ſubditus non ſit.] Veriſſima eſt hæc concluſio. Non enim præcisè requiritur imperium, ſed ſaltem excluditur ſubjectio. Cives quidem noſtros vi imperii cogimus, in peregrinos hæc poteſtas non penetrat.

Jus cognoſcendi nullum eſt.] Quia ſubditis in ſuperiorem nulla eſt animadvertendi facultas; Nam Rex univerſis civibus eſt major.

Non verò ne ſocia civitates.] Hoc enim ad officium Magiſtratus cujusque Civitatis ſpectat. Ita cùm Ardeæ civile diſſidium inter plebem & nobilitatem ortum eſſet ob nuptias virginis eximiæ pulchritudinis, & utraque factio ſponſam ſui generis proco ambiret, non priùs ſe populus Romanus interpoſuit, quàm legati *pro veterrima ſocietate, renovatoq; fœdere, recenti auxilium propè everſæ urbi implorarent.* (a)

§. 22. *Certum quid penſitant.*] Hæ enim penſiones vi pacti exiguntur, nulla civili poteſtate. Civitas inferior per hasce vel potentioris injurias redimit, vel tutelam apud alium quærit

(a) Liv. l. 4. c. 9.

contra vicini Principis insolentiam & ambitionem, vel etiam annua pensio à sociis civitatibꝰ licèt potentiâ nõ inferioribus ex fœdere detur, ut, si bellum ab hostibꝰ inferatur, militem imperare liceat. Ita Reges Galliæ Helvetiorum & Rhætorum Civitatibus pensionem annuam mille aureorum dependere consueverunt, ea lege, ut iis exercitum imperare & auxiliaribus copiis ad imperii tutelam uti liceat, prætorianosque milites ad corporis custodiam conscribere. Cæterùm quòd hîc dominus Ziegl. ejusmodi pensiones tributa vocat, admitti nullo modo potest, nisi tributi vocabulum latissimè accipias, pro quacunque collatione. Tributorum enim exactio præsentissimam semper subjectionem arguit, ob dominium eminens, in quo fundatur. Intellexit hoc *D. Augustinus super Epistol. ad Roman. cit. in can. omnis anima. X. de Cens.* scribens: *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, & vos subditi esse debetis, ideo enim tributa præstatis, quæ est probatio subjectionis.* Neque ad rem facit ratio Ziegleri, populum aliquem ob tributorum præstationem propterea majestate sua non excidere, quòd *jus tributa exigendi ad minora tantùm regalia referatur, quæ ipsam per se majestatem propriè non constituunt.* Jura enim majestatis, ut sæpiùs diximus, tam necessario vinculo sibi cohærent, ut uno posito totam majestatem poni necesse sit, quia omnia, quæcunque tandem sunt, resolvuntur & desinunt in imperium in personam. Quare cuicunque tributa, propriè sic dicta, imperare possum, in illius bona necesse est habeam dominium eminens: in

cujus

cujus bona habeo dominium eminens, in illius personam habeo imperium, quia bona sequuntur conditionem sui principalis. In quem habeo imperium, ille est meus subditus: itaque colligo, subditum esse, cui possum imperare tributa. Si dicas, etiam Dn. Zieglerum in lata significatione tributa sumpsisse, vix concedo; Nam ratio de regalibus minoribus illam conceptionem non videtur admittere.

§. 23. *Obligatio personalis.*] Hæc tamen ab illa obligatione, quæ personam subditi afficit, longè distat. Subditus obligatur simpliciter, ut subditus, Vasallus ratione rei in feudum concessæ. Subditus ad omnia licita, Vasallus ad ea tantùm, quæ natura & conditio feudalis exigit. *Conf. Struv. Syntagm. Feud. c. 15. thes. 3. 4. &c.*

Sive quis ipsum jus imperandi.] Num regalia, ut Feudistæ loquuntur, majora, an summam potestatem independentem hîc Grotius intellexerit, dicere nequeo. Utrumque enim in feudum dari posse, non dubito. Dico etiam summam potestatem independentem, quoniam est jus quoddam incorporale, quod à Rege quodam alii in certa provincia ita conceditur, ut ipse sit ejus absolutus dominus in respectu ad subditos, nec ipsi etiam domino, ut ita loquar, directo aliter quàm in morem Vasalli subsit. Sub hac tamen conditione, ut fidem seniori exhibeat, cum servitiis & honore debito, juxta naturam feudorum. Ita enim hoc negotium in inæquale fœdus transit, & fides cum aliis accessoriis præstatur Domino non ex superioritate, sed vi pacti conventi. Et de hoc magis probabile est, sensisse

Grotium ; Distat verò hæc potestas in Feudum data à Regalibus majoribus, quoniam harum concessio non est plena translatio & abdicatio summi imperii, sed quoddam saltem analogum exercitium, dependens suo modo à Majestate Principis, *Conf. Struv. Syntagm. Feud. cap. 6. thes. 13.*

Ut sicut privato non erat demptura.] Rex enim à Rege ditiones quasdam in Feudum accipiens in ordine ad suos subditos superior esse non desinit, cùm domino directo aliter obligatus non sit, quàm ratione rei, in feudum datæ : quare nihilominus summum in subditos imperium, absque ulla senioris contradictione aut impedimento, exercebit. Qui verò in subditos independentem potestatem habet, eum verè Regem esse, quis dubitat ? Exhibitio illa fidei & servitiorum præstatio, cum feudali jurisdictione, non procedunt ex cogente aliquo imperio, sed initis inter utramque partem placitis. Jurisdictio sanè videtur aliquod negotium facessere, & esse subjectionis haud leve argumentum. Nam qui vocare aliquem in judicium, judicare & condemnare potest, ille sanè in vocatum potestatem habere præsumitur. Verùm enim verò, hoc jurisdictionis exercitium cum eo, quod in subditos competit, toto cœlo distat, & ad similitudinem arbitri explicandum est, cui non aliter quàm ex voluntate litigantium jus dicendi facultas competit. Nihil de summitate vel dignitate Principum decedit, si compromisso in tertium facto controversiis suis finem faciant, ut quotidie fieri videmus, & ecce, cùm hoc scribimus, Novellæ afferunt, Hispanorum

rum & Galliæ Reges differentiis ſuis, quas ſuper provincias Belgicas habent, dirimendis Angliæ Sueciæque Reges arbitros elegiſſe. Ita Vaſallus Rex cenſetur per celebrationem contractus feudalis ſe caſu contingente in modum arbitri alterius ſubjeciſſe jurisdictioni & ſententiæ : à qua, quocunque tempore vult, ſine ullo infamiæ labe per refutationem Feudi invito etiam Domino liberari poteſt. At ſubditus, etiamſi omnia bona ſua vellet derelinquere, obligationi, quam ſuperiori debet, absque impetrato ejus conſenſu ſe eximere nequit, niſi velit graviſſimum inobedientiæ & defectionis crimen incurrere. Veriſſimum tamen eſt, dignitati regiæ non parùm delibare humile vaſalli nomen, & *plerosq; Principes agros latè patentes ac beneficia fructuoſiſſima deſerere, quàm ſervitutem iſtam ſervire, maluiſſe, ut ait Bodinus l. 1. de Rep. c. 9.* Qui etiam paulò pòſt refert, cùm Franciſcus Galliæ Rex ad Creatores Imperatoris Germanici reſcripſiſſet, caverent Carolum Auſtrium ad Imperium vocare, ne Imperii decus ac majeſtas ad Vaſallum Francorum veniret, hanc rem Imperatoris animum adeò vehementer pupugiſſe, ut Franciſcum pugna Papienſi captum non antè dimiſerit, quàm nexu & fiducia Francorum Flandria & Arteſia omninò liberaretur. Quem in modum ego quoque intelligo dominum Ziegl. non quòd Vaſallus nullo modo ſummi imperii capax ſit. Licèt enim dependeat ratione rei Feudalis, ſufficit tamen eum in alia ditione, quam pleno jure habet, majeſtatem obtinere. Et ſi Dominus Feudi ſive juſta ſive injuſta invaſione contra Vaſalli regnum

pro-

proprium agit, absque ulla perfidia & feudi amittendi periculo poterit armatam vim repellere armis, licèt dicendum videatur, si malam causam foveat, obstrictum eum esse Domino seniori auxilia mittere etiam contra se pro quantitate feudi, & quatenus initus contractus exposcit.

Sed interim summum esse non definit.] Habetur quidem sub conditione certis casibus aut ob certa crimina amittendi, nihilominus tamen interea habetur summum. Et si Vasallus Rex perfidiam & alia delicta, propter quæ feudo privandus est, perpetraverit, domino directo eum judicandi & feudo exuendi jus est, vel etiam cogendi armis, si resistere velit. Hæc tamen solùm procedunt, ubi par parem, vel imperans subditum habet Vasallum. At verò ubi superior ab inferiore feudum habet, quod fieri posse Feudistæ tradunt, obstat natura subditi, quò minùs possit jure suo uti, quoniam Domino directo ut inferiori non licet Vasallum suum superiorem punire, aut in contumacem exequi sententiam. Quamvis nihil obstet, quò minùs apud eum aliæ controversiæ Feudales decidantur, si Princeps sententiam spontè sequi velit.

§. 24. *Rex infantis jus habet.*] Si jus habet in actu primo, habebit veram majestatem. & Tutores præter ministrorum officialiumque titulos nihil afficit, id quod tamen Grotius suprà negaverat, temporarium illis tribuens imperium, sibi quodammodo hîc contrarius.

Omnia quasi se mortuo.] Sic Franciscus I. Rex Galliæ captivus Caroli V. Matri Proceribusque suis denunciari jussit. *Che pensassero bene*

al benificio della corona di Francia non habendo consideratione alcuna della persona sua, come se più non vivesse. Referente Guic. Histor. l. 16.

CAPUT IV.

DE BELLO SUBDITORUM IN SUPERIORES.

§. 1.

UT *Abrahamus.]* Dicitur Grotio privatus in oppositione ad Remp. Licèt enim fuerit Princeps suæ familiæ, non tamen fuit Princeps Civitatis, sed ultra domesticum imperium nihil habuit. Nulli interea subditus, sed liberrimo arbitrio negotia domus tractans.

Non esse faciendum.] Quoniam subditus ultra imperium obstrictus Principi ad obsequium non est; Imperium autem cùm à solo Deo detur, justum piumque est, & ad impia non extenditur. Quando itaque Princeps eodem abutitur, & subdito legi naturæ, gentium vel divino contraria imperat, illud mandatum ex imperio non proficiscitur, & ob hunc imperii defectum civis erit ab obligatione obsequii liber. Ubi *enim desinit potestas superioris, ibi etiam cessat inferioris obsequium, ubi imperium extenditur ad inhonesta, inhonestum est obsequium & obligatio contradictoria.* Quod si ipse Deus impia & moraliter mala velle non potest, quantò minùs Rex hæc ex imperio præcipere, quod soli Deo acceptum fert, non ad actionū malitiam, sed tuendos cives & justitiam administrandam. Est hoc contra moralem ordinem, ut dependens potestas majoris

sit independente. Sed tamen illud bene notandum omnibus est, hanc obsequii negationem non includere simul facultatem resistendi, ob majestatis præsentiam, quam etiam malus Rex habet, & subditus nullo modo invadere debet. Itaque si propter negatam obedientiam injuria nobis inferatur, ferenda ea est potiùs, quàm vi obnitendum. Quod autem de negato obsequio diximus, intelligendum, cùm Rex injustum quid imperat, non etiam si iniquum. Iniquum dico, quando præter morem & rationem insolitis oneribus personas & bona subditorum gravat, id non solùm patienter perferendum, sed & obsequiosè jussui parendum est. Tam quòd subditus, in omnibus, quæ moraliter mala non sunt, præstare obsequium, quàm quòd actionem etiam palàm tyrannicam recipere teneatur, nullum enim morale malum ei imprimitur, sed passione externa præcipiens afficit parentem.

Deo magis.] Princeps est terrestris quidam Deus, & Numinis optimi maximi vicarius. Nunc sicut in potestatibus mundanis inferior Magistratus jussum & voluntatem superioris semper respicit, à quo omne imperium accepit, ita etiam Princeps se ad voluntatem divinam componere debet. Præcipit aliquid in provincina Præses, contrarium Provincialibus injungit Imperator, continuò subditi neglecto Præsidis jussu Principem audiunt. Simili modo Deus tam per lumen naturæ, quàm verbum revelatum hominibus voluntatis suæ sanctitatem manifestavit, cui generalissimæ legi omnes tenentur obedire. Quod si igitur vicarius Dei contrarium injungat, rectè

spreto

ſpreto illius imperio ſuperiorem auſcultamus, ubi inferiori obediſſe peccatum eſt. Diverſus eſt ab hac ſententia, quam omnium proborum calculus facilè vindicat, Hobbes ex ea ratione, quaſi ſubditis non conceſſum ſit judicare de rei bonitate vel malitia, ſed hoc judicium ſoli competat Principi, ſubditis non communicandum ſine præſentiſſimo turbarum & ſeditionis periculo. Verùm diſtinctè procedendum eſt, ne vel omnem judicandi facultatem Civibus, vel nullam permittamus. Diſtinguimus igitur inter præcepta merè civilia, & naturalia, quæ ex inſito naturæ lumine nobis patefiunt. In illis quidem judicium reprobatorium ſubditis adimimus, quòd Princeps abſoluto jure imperet, nec populus, qui merè paſſivè & in vicem inſtrumenti (quo quilibet artifex ad quemcunque uſum licitum rectè utitur) ſe habet, poſſit ſuo examine juſſa ſuperioris ſufflaminare. Cœcum in his ſubditum eſſe oportet, nec finem principalis cauſæ multùm rimari, cùm plerunque moventem agentis intentionem ignoret. Hactenus tamen etiam judicabit de civilibus legibus, ut ſibi conſtare illarum ſenſus poſſit, & quomodo actiones ſuas ſecundum præſcriptam regulam debeat dirigere. Ita permiſſum eſt ſecundùm JCtorum opinionem, *ratiocinari ſuper lege ejus & ratione, de cujus mente & ſententia non benè conſtat, vel, ſi conſtat, ad duritiem iniquitatemq; vergit.* Quò pertinet celebre legum interpretandarum argumentum, quatenus ad JCtum pertinet. Quo de conſulere poteſt, qui vult, *Hah. ad Weſ. de Legib.* At verò in naturalibus

ralibus longè liberius judicium est, quia omnino fruſtra essent illæ innata principia apprehendendi potentiæ, si de illis judicare nullo modo liceret. Facultas enim aliqua naturalis, quæ toto suo genere nunquam in actum deducitur, nulla est & umbratilis. Aristoteles sanè ex connatis justi injustique notitiis ad societatem naturalem concludit. Ego vix tam remoto termino inferam, ex notitiis universalibus resultare judicium aliquod practicum de objecti bonitate vel malitia. Ne illæ de objectis necessariis cognoscendi potentiæ inutiles & fruſtraneæ sint, in actualem determinationem deduci debent, & judicium aliquod homini concedendum est ad explorandam rerum moralium qualitatem, ad quod difficili & intricata disputatione haud opus est, sed ex consciæ ductu atque motione facilè de actionis rectitudine vel declinatione cognoscimus, evidentia enim princeps juris naturalis requisitum est. Denique tantum abest, ut homini in naturalibus nullum judicium concessum sit, quin potiùs Ethici tradant, dubitantem de actionis cujusdam qualitate, si fine ulteriori indagatione in aliquam partem inclinet, quam rectam esse nondum sibi satis persuaserit, peccare, etiamsi bonam elegerit, quoniam debuisset majorem diligentiam rei explorandæ adhibere, & hoc ipso eum prodere, quam parùm sollicitus sit, recte agat, an secus.

Ea toleranda est potiùs.] Ita sentiunt omnes illi, quorum præcordiis vera Philosophia religiosum regiæ majestatis amorem implantavit. Superiori seculo valde disputatum hac de

Digitized by Google

re fuit, tam in patria noſtra, quàm imprimis Gallia. Præcipuam navavere malitiæ operam Brutus, Buchananus & Bucherius. Quos Gulielmus Barclajus in elegantiſſimo contra Monarchomachos libello profligavit. Grotius etiam hic non incurioſus eſt, ſed plerasque difficultates explicat, quas nunc videbimus.

§. 2. *Quatenus ad finem illum.]* Si firmiora utique & certiora ex ſacris literis non haberemus fundamenta, Regum capita in tuto ſatis nunquam eſſent. Juſtitiæ fruendæ causâ homines in Remp. conceſſiſſe, à Cicerone dictum eſt. Quoties itaque Rex injuſtus & crudelis Remp. adminiſtrat, propter ceſſationem hujus finis daretur populo poteſtas ſe vindicandi à Regum injuriis, quia juſtitiæ & æquitatis æqualis diſtributio, non ſævitia & rapina finis cujusque Reip. habetur.

§. 3. *Nec de jure vero.]* Accedimus h. Dn. Zieglero, & de vero jure regio, quod nullam intrinſecam malitiam habet, intelligimus. Non opus eſt cum Salmaſio (*a*) dicere. *Summum jus eſſe ſummam injuriam, id in Regibus maximè locum habere, qui cùm ſummo jure utuntur, ea faciunt, in quibus Samuel dicit jus Regis eſſe poſitum.* Indicaverat ibidem Samuel populo Regem petenti ampliſſimam regnaturi poteſtatem, poteſtas autem nulla vitioſa eſt aut tyrannica, quia omnis eſt à Deo. Vocabulum ſanè Hebraicum משפט, quod 1. Sam. 8. extat, utut varias habeat in Sacra Scriptura ſignificationes, nunquam pro tyrannica licentia & crudeli uſurpatione, ſed ſemper pro vero legitimoque jure uſurpatur,

R

(*a*) Defenſ. Reg. c. 2.

patur, quod quis habet in re aliqua. Sic dicitur: *Deut. 18.* jus sacerdotum, *& Deut. 21.* jus primogenituræ. Ubi semper jus capitur pro vero jure non licentiosa usurpatione. *Vid. Förstner. in Diction. Hebr. in d. vocab.* מִשְׁפָּט. Insuper credibile non fit, Deum evulgato diplomate licentiam viamque Regibus ad injurias & iniquitates aperire voluisse, neque etiam Israelitæ Tyrannum, sed Regem petierant, quem Deus daturum recepit. Quoniam igitur ad propositum jus regium nihil excepere, concluditur, illos tunc temporis legitimam potestatem non crudelem usurpationem agnovisse. Quin & plerique actus, qui ibidem continentur, nihil iniquitatis in se habent. Illud autem offendere neminem debet, quòd Rex dicitur subditorum filios ad suum servitium sumpturus. Quis enim ægrè ferat ad splendidum aliquod officium Reip. quale hîc intelligendum est, vel se vel progeniem suam pro personarum captu promotum iri. Neque etiam ablationes vinearum & agrorum injuriam continent, cùm ubique necessitas & bonum commune præsupponenda sint, secundùm ea, quæ de usu dominii eminentis alibi diximus. Illud quoque rigidiorem sortitum quàm sensum habet, quod sequitur, populum universum futurum esse Regum servos, neque enim præter subjectionem in ordine ad superiorem quicquam aliud importat, qua ratione quilibet subditi Regis servi sunt, etiam in limitato regno. In hoc tertio saltem conveniunt, quòd sicut servi dominis obsequium, ita & Regibus subditi debeant, sicut servi dominis, ita subditi Principibus etiam injuriosis & crudelibus resistere nequeant,

ant, non tamen semper ut servi habentur, sed plerunque ut ingenui, ut cives, ut filii. Si quis interdum potestatis abusus est, amplissimo in universum usui nihil derogat. Uno verbo, servi sunt respectu libertatis civilis, liberi in ordine ad servitutem personalem. Observavi insuper ego, in Sacra Scriptura servos Regis & servos simpliciter sibi contradistingui. Ita enim *1. Reg. 9, 21. & 22.* dicitur, quòd Salomo omnes populos, qui non erant ex tribubus Israeliticis, & quos populus Judaicus in occupatione Palæstinæ non extirpaverat, sibi tributarios & servos fecerit. Ex populo vero Israelitico neminem fecerit servum, sed milites, sed servos suos, i. e. Regis, sed Principes, sed equites. Idem dicitur *2. Chron. 8, 9.* Ex his constat, servos *1. Sam. 8.* esse nihil aliud quàm milites, officiales, Principes, & servos Regis. Quis nunc est, qui sub hac conditione servus esse nolit? Nemo sanè. Extra rationem itaque est Miltonii (*a*) explicatio, *fuisse quidem servos, non jure tamen regio, sed Regum fortasse plurimorum usurpatione, & injustitia. Addit. Si Regi legibus soluto, quicquid libet, licuerit, profectò Regem longè plus quàm dominum futurum, populum infrà omnium servorum infimos plus quàm infimum.* Cedo, quæso, mi Miltoni, argumentum, quo tam audax postulatum fulciatur. *Servus enim*, inquit, *vel alienigena legem Dei vindicem injuriosum in Dominum habebat, populus universus, libera nimirum gens, vindicem in terris neminem, nullam legem habebit, quò læsus afflictus & spoliatus confugiat.* Sed hæc insignis con-

(*a*) Defens. pro popul. Angl. c. 2.

fusio est propositæ sequelæ. Primò enim sicut loquimur de populo sub Rege vivente, qui nullius imperium agnoscit, ita etiam debuisset Miltonius supponere de domino in nulla Rep. vivente, qui alium in terris superiorem vindicem non habet. Jam cùm ipsi sermo sit de eo, qui majorem potestatem agnoscit, mirum non est, si plenario imperio non possit uti, quod majestas certo modo limitavit. Deinde quis sibi persuaderi patietur, cùm & Dominus & servus potestatem regiam venerentur, sub injusto Principe melioris conditionis servum futurum, quàm dominum, quos Princeps utrosque haud dubia sævitia premet? Tandem generaliter verum non est, populum nullum omninò injuriarum vindicem habiturum. Deus enim, cui non placet hominum iniquitas, suo tempore afflictam gentem, ejus auxilium attrita mentis humilitate expectantem, denique liberaturus est, vel more Regum corrigendo, vel ipsum è medio tollendo. Post hæc ita à me scripta animadverti Dn. Limneum (*a*) multis rationibus contra me stare, quæ tamen mihi hucusque tanti visæ non sunt, ut meam sententiam mutare necesse sit. Videamus igitur, quid contra jus regium, quod nos *1. Samuel. 8.* propositum dicimus, Limneus disputet. Ac principio quidem *confitenter* asserit, *jus hoc, quo usurum Regem Propheta prædixit, nec à Deo Regi Israelis datum, neque approbatum fuisse, sed Samuelem Dei voce usum, ut populum à petitione Regis revocaret.* Concedo amplissimum hoc regium jus Samuelem jussum à Deo proponere Judæis,

(*a*) In Proleg. ad Capitul. sect. 2. n. 2. & mult. seq.

Digitized by Google

Judæis, ut eos, si posset, revocaret à proposito constituendi super se Regem, quia tam absoluta potestas contumaciſſimo alias populo & omnis adstrictioris imperii impatienti fortè non omninò sit futura ad palatum: quid verò exinde sequitur? Ergo ne quidem, etsi in sententia de Rege habendo perstiterit, jus Regis à Deo Israelitis datum aut approbatum esse? Neutiquam verò, sed contrarium potiùs. Approbavit enim illud Deus verbis satis expressis *d. c. 8, 7. & 9.* ad Samuelem loquendo: *Obsequere voci populi in omnibus, quæ tibi dixerunt, at priùs annunciato ipsis jus regis, qui regnaturus est super eos.* Quibus verbis haud obscura eventualis approbatio, si populus in voluntate perstiterit, continetur. Insuper notandum bene illud est, Deum non mandasse Samueli, ut Israelitis declararet aut prædiceret injurias & injustam potestatis usurpationem, sed JUS, i. e. legitimam regis potestatem, quam & populus Judaicus silentio suo haud dubiè agnovit; *Si juris regii, à Deo confirmati* replicat Limneus, *& non potiùs licentiæ prohibitæ fuisset, subditis agros, vineas & oleta auferre, Achab Rex Nabothi vineam jure ad se trahere potuisset, nec permutatione, emptione & violentia ulla opus fuisset.* Respondeo, quæ de agrorum, vinearum & oletorum ablatione concessa Regibus jure suo enunciavit Samuel, adeò crudè non intelligenda sunt, ut quamcunque licentiam pro lubitu rapiendi bona subditorum inferant, sed civiles rationes & necessitatem Imperantis ac Reip. supponunt; Nemini Politicorum iniquum visum est, si Princeps ad muniendam contra hostiles

stiles incursiones Civitatem privatis vel ædificia vel agros aut oleta auferat, si totius Provinciæ frumenta, ne hostibus in alimenta cedant, ingenti miseræ plebis gemitu exurat. Imò ne quidem ad compensationem strictè sic dictam plerique Principem rectè alligant. Quid obstat igitur, quò minùs ad hos & similes casus necessitatis, ea, quæ de ablatione familiaris rei hîc dicuntur, restringamus? aut quid iniquitatis hi actus ita intellecti habent? Ex quo simul etiam in fumum abit, quæ de vinea Nabothi Limneus objicit; neque enim Rex Achab necessitate aliqua publica impulsus, sed suis pravis cupiditatibus obsecundans civium bona & facultates ad se trahendo divinam indignationem incurrit. Dignum est hoc exemplum, ut paulò penitiùs enucleetur, quia multa in eo singularia sunt, quæ Achabi Regis actionem vitiosam reddidere. Si generaliter factum Nabothi inspicimus, non attendendo ad circumstantias singulares, quæque Judaicæ Reip. soli propriæ erant, non adeò iniquum Regis postulatum deprehendo. Quæ enim injuria est, aut qua ratione subditus de Regis sui iniquitate conqueri potest, si is possessionem quandam privatæ rei, quæ palatio & regiis facultatibus usui imprimis esse apparet, permutatione aut emptione sibi comparare voluerit? Profectò enim vir bonus & amans Reip. civis sibi gloriæ ducet, si in petitione Principi gratificari, ejusque gratiam tanto studio occupare sibi liceat. Certè nihil omninò novi est, ad ampliandas Principum habitationes privatis ædificia refuso pretio vel invitis ablata esse; In eo peccavisse Achabum arbitror, quòd

quòd Uxoris Reginæ blanditiis pessimoque consilio occupatus per injustam Nabothi cædem acquisivit, quod leniori modo habere optimè potuisset. Postquam Nabothus negavit, se in Regis gratiam possessione avita cessurum, inauspicata de interficiendo subdito consilia iniit, & peccatum fuit in vineæ ablatione per cædem innocentis, non in ablatione simpliciter. Neque enim Nabothus per repulsam, quam Regi dedit, mortem commeritus est. Atque quidem hæc ita se habent, si factum in nudis terminis nullo ad singulares circumstantias respectu habito contemplamur. Quod si verò naturam Reip. Judaicæ attentiùs inspicimus, apparebit nobis Nabothum justas negandi causas habuisse, quas in alia Rep. civis non habuisset. Supervacaneum est monere, specialissimam Reip. formam & instituta nemini ferè nisi Israelitico populo communia non pati applicationem in civili prudentia, ac propterea neque actiones utrobique easdem esse posse, ob diversitatem regulæ, ad quam judicantur. Ex Sacræ Scripturæ lectione quotidiana constat, elegisse sibi Deum hunc populum ex omnibus gentibus, cum quo usque ad familiare colloquium descenderet, formando civitatem & leges peculiares promulgando, quas in alia Rep. vix invenire est. Ex quibus plurimæ venturum Messiam præfigurabant, aliæ verò etiam de fortunæ rebus & bonis temporalibus singulariter cavebant, inter quas non minima lex illa est, quæ vetat divisione assignatam certæ tribui terram in aliam tribum transferre. Ita enim se habent ipsissima legis verba. *Levit.* 25. 23. *Terra autem ne*

venditor lege mancipii. Mea enim est ea terra; nam peregrini & inquilini vos estis apud me. Et Numer. 31, 7. Non avertetur possessio in filiis Israelis à tribu ad tribum. Quum filii Israelis adhærebunt quisque possessioni tribus paternæ suæ. Et Deuteron. 19, 14. Non movebo terminum proximi tui, quem determinaverint priores &c. Qua legis prohibitione sine dubio etiam se Nabothus contra Achabum tutatus est, & haud obscurè textus sacer indicat, quando ad familiarem Achabi petitionem ita respondet, *1. Reg. 21, 3. Hoc ne Dominus faxerit, ut avitam hæreditatem alibi transtulerim.* Non est, quòd quisquam dicat, hæc jura utpote civilia in Regibus Judaicis postea cessavisse, & in probationem jus regium alleget, quod ablationem vinearum permittit: Hoc enim intelligendum est in genere de jure regio, quatenus nullis limitibus est circumscriptum. Jam verò satis constat, Deum voluisse legibus suis, quas suo populo promulgavit, omnes omninò teneri, & ita etiam ipsos Reges, quos admodùm limitatam potestatem habuisse certum est. Sit itaque Rex in alia Rep. solutus civilibus legibus, quas humanæ potestates suis subditis præscribere, in Judaica Rep. secus erit, ubi summus Deus immediatus legislator fuit, qui suis legibus non minùs futuros Reges quàm alium populum potuit obligare, & hoc voluisse exinde constat, quia nullibi leges istas abrogatas legimus, sed potiùs pios Reges semper ad tenorem earundem vixisse. Quicquid itaque summum Numen de jure regio in universum per Samuelem pronunciavit, id in Regibus Judaicis

daicis etiam obtinere ſtatuimus, quantum ei ſpecialiori jure derogatum non eſt. Quamplurima autem limitata eſſe nemo negabit, qui modò aliqualem Bibliis legendis operam impendit. Imò eximiam limitationem nobis exhibet locus *Deuter. 17, 18. Sederit, cùm inſidebit ſolio regni ſui, ut deſcribat ſibi exemplum hujus legis in libro, ex eo, qui erit in conſpectu ſacerdotum Leviticorum. Eritq́ penes eum & leget in eo, omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Jehovam Deum ſuum, & obſervare omnia verba hujus legis & ſtatuta iſta, faciendo ea.* Hîc videmus, Regum Judaicorum poteſtatem non liberam, ſed anterioribus legibus divinis expreſsè alligatam eſſe, quas ipſi Reges vi poteſtatis nomotheticæ non poterant abrogare, ſed eisdem obedire atque ſubeſſe tenebantur, utpote latas à majore poteſtate, & cui omnes Principes, quicquid imperii habent, acceptum ferre debent. Et hæc quidem de ablatione vineæ Nabothi. Pergit nunc Limneus, *nec Samuelem hoc jus Regi præſcripſiſſe, nec populum in idem conſenſiſſe.* Prius probat, *quoniam de Samuele legimus, 1. Sam. 10, 25. eum omnia jura regni dixiſſe populo, eaq́ in ſcriptura redegiſſe, & ante Dominum Deum poſuiſſe.* Hinc infert, *illum longè aberrare, qui has eadem cum illis, de quibus c. 8. locutus fuerat, eſſe arbitratur. Credere enim ſe, Prophetam verum jus Regi competens hac ſcriptura exhibuiſſe, non autem licentiam illam irregularem. Unde etiam Rabbines annotare, ſubſequentes Reges hunc librum, quem Samuel de jure Regis ſcripſerat, ſummo ſtudio oppreſſiſſe.* Reponimus. Commenta

hæc Rabbinorum sicut omni historica fide destituuntur, ita tam facilè, quàm dicuntur, negantur. Verisimile insuper non est, piissimos quosdam Reges, qui in timore Domini per omnem vitam ambulabant, suppressum illum librum de jure regio omni studio noluisse è latebris extrahere, ex quo, quid veræ regiæ potestatis sit, & qua ratione imperare populo conveniat, tam facilè discere potuissent. Ut verò dicam, quid sentio de jure regio, quod Samuel dicitur redegisse in scriptum, arbitror ego omninò fuisse jus illud, quod c. 8. populo annunciaverat, ad illud enim se quodammodo textus c. 10. referre videtur. Adjunxisse verò deinde etiam loca & exceptiones, quibus limitationes & restrictiones, quæ specialiter Reges Israeliticos attinebant, comprehensæ erant, de quibus jam diximus. Equidem de ista subjunctione restrictiva magis probabiliter quàm certi quid asserere possum, illud tamen mihi indubitatum est, comprehendisse Samuelem scripto jus Regium, quod *1. Sam. 8.* propositum est. Utitur enim Samuel & eodem vocabulo משפט, quod capite etiam 8. invenitur, & de quo jam diximus. Posterius, i.e. populum in jus non consensisse, probat Limn. *quia fuit liber populus, quem servilem adeò consensum non præbuisse verisimile sit, neque etiam Deum voluisse populum suum in tam gravem servitutem detrudere.* Verùm enim verò, quid conjecturis opus, si de præstito consensu certissimè constat. Legatur modò c. 8. Samuelis, & de consensu nemo ampliùs dubitabit. Recitavit ibidem populo Samuel jus Regis, ad dimovendum eum à volun-

voluntate, quam de Rege habendo conceperat. Sed ideo tamen à proposito non potuit dehortari. Quin potiùs uno omnes ore clamarent, velle se omnino, ut Rex super eos sit. An igitur hi consensum non adhibent, qui proposito juri statim consensum subjiciunt. Liber erat populus, sed servitutem ipse voluit, neque tamen illam personalem & vilem servivit, sed civilem, & non aliam, quam more aliarum gentium. Sicut nos hodiè servi non vocamur, qui sub Imperatore aut Regibus vivimus. Facit ad leniendum illum servitutis statum, quòd Deus Regum potentiam in multis contraxerit, sicut vidimus: quamobrem impertinenter *Joh. cap. 8.* allegatur. Potest enim aliquis esse liber populus, & tamen vivere sub Regibus; Nam quod dicitur *c. 8. Samuelis*, populum fore Regum servos, jam explicavimus. Ad textum verò *Deuteron. 17.* paulò antè respondimus, illam sc. esse limitationem juris regii in genere, quatenus Reges Judaicos spectat. Ad text. *1. Sam. 14, 45.* dico, intercessionem illam populi Judaici fuisse pro Jonathane, non autem egisse pro imperio. Fœdus, quod David Rex ante unctionem cum populo fecisse dicitur *2. Sam. 5, 3.* nihil derogat vel juri regio, vel populo potestatis confert, sed quantum Rex subditis promiserat, ad ejus tenebatur impletionem vi pacti sui. Tandem ait Limn. *hoc jus fortasse in pœnam populi Judaici Regibus concessum ad alios non pertinere, quos forenses Judæorum leges non attingunt, quiq; aliena noxa in consortium pœnæ trahi non debent.* Ad quam objectionem seq. animadversione Limneo respondemus, nunc saltem

saltem verbo indicamus, recitasse Samuelem j regium, non Regis Israelitici in specie. Quo vel ex eo satis apparet, quia in hoc jure cont nentur quædam, quæ Regibus Judaicis non lice bat facere, quæ sine dubio omitti debuissent, de solo Regum Israelitarum restricto jure, & no omnium in genere sermo fuisset.

Dei opem imploraturum.] Rursus hîc vu pinas suo more insidias struit Miltonius per ille gitimam illationem. *Si clamare*, inquit, *ad Deum contra Regem populo licebat, licebat proculdubi omnem etiam aliam inire rationem honestam sese à Tyrannide expediendi. Quus enim quo vis malo cùm premitur, sic ad Deum clamat ut cætera omnia, quæ officii sunt sui, negligat ad otiosas tantùm preces devolutus.* Verba, u sonant, intellecta, nihil incommodi habent sed Miltonianus sensus tam impius est, quàm ipse Licèt proculdubio populo omnem inire *honestam* rationem à tyrannide se expediendi; Verùm ea non est seditio mali moris, & abominandum Regis sui capitale supplicium, sed patientia & spes indubitata de vindicta divina. Ultra preces cætera omnia subditum, quæ *officii sui* sunt, negligere non decet: sed hoc consistit non in rebellium detestando furore & Sacratissimi sanguinis effusione, verùm in obsequii, etiam impio, etiam duro domino exhibendi gloria, quo Deus populi sui misertus eum ex calamitosa servitute liberet. Illud quoque multò insolentius, quòd Miltonius putat, jus regium, quod *1. Sam. 8.* recitatur, ad alios Principes non pertinere, sed in pœnam populi Judaici Regibus Hebræis concessum

fuisse,

Digitized by Google

fuisse. *Quid hoc*, ait, *ad jus nostrum, qui regem nec invito Deo unquam petivimus, nec ipso dante accepimus.* Quem etiam Dn. Limn. secutus est, ut paulò antè dictum est. Verùm nova hæc admodùm & adolescens est interpretatio. Omnium enim tam Politicorum, quàm Theologorum consensu illic jus regium in genere tradi statuitur, & Israelitæ petivere Regem more aliarum gentium, quas certiores Deus fecit, quàm pleno & periculoso imperio illæ uterentur, quæ certè etiam nec invito nec dante Deo Reges accepere. Ut nunc omittam, si solius Regis Judaici jus à Samuele propositum fuisset, debuisse ipsum potestatem multò limitatiorem denunciare: nam eorum imperium multis modis restrictum fuisse, omnes sciunt.

§. 4. *Dare Cæsari.*] Genuinum hujus loci sensum iterum corrumpit Miltonius, quasi præter illum denarium nihil ulteriùs Cæsari debeatur, sed cætera omnia populi sint. Verùm Christus Salvator arrepta, quod sæpiùs fecit, ex hac re occasione, Pharisæos & in universum omnes homines sui erga summas potestates officii admonere voluit. Concedamus quoque Miltonio, *quæ populi sunt, populo reddenda esse.* Quid inde conficiet? Populum idcirco ob inane libertatis nomen legitimum imperium, quod per tot secula usus patrius comprobaverat, exuere posse, & inaudita audacia justissimi Regis caput ad ferale pegma condemnare? Neutiquam. Hanc enim profectò sequelam, ex quibus terminis colligere liceat, libenter ignoro. Denique intolerandum prorsus est, impurum hoc os, omnes eos,

qui

qui sub regio imperio vivunt, *turpissimos & humana origine indignissimos* judicare, ob hanc rationem, quòd ad Dei imaginem creati simus. Primò eadem illatione servilem conditionem ex toto orbe proscripserim. Non enim existimaverim, singularem quandam divinæ imaginis qualitatē Anglos in primordiis orbis conditi præ aliis accepisse, ob quam impium & detestandum sit, illos servos fieri. Deinde etiam qua libertate miser populus in Anglia sub Protectoratu sceleſtissimi parricidæ Cronvvellii vixerit, obscurum nemini est, qui modò tristissimam vicennalis hujus belli historiam vel modicè legerit, quod vel solum satis nobis exempli est, non alios libertati magis insidiari; quàm qui eam turbulento Reip. statu defendere contra bonos moros suscipiunt.

Qui obsistit potestati.] Miltonius *c. 4.* in h. l. potestates intelligit non Reges, sed leges & Senatum. Nam cùm paulò antè verba Apostoli præcedentia, *omnis anima potestatibus super eminentibus subjecta esto*, ita explicasset, *quæ tamen istæ sunt, non statuit. Non enim jura atq; instituta omnium nationum abolere, unius libidini permittere in animo erat; Certè optimus quisq; imperator authoritatem legum & Senatus, authoritate sua longè superiorem esse semper agnovit. Idem apud omnes nationes jus semper sanctissimum fuit.* Id quod authoritate scriptorum illustrat, nunc ad hunc locum sic commentatur. *Adstringit etiam Reges præceptum hoc, qui legibus & Senatui obsistunt. At verò qui potestatis vitiosæ aut potestatis non vitiosæ corruptori*

ruptori & everſori obſiſtit, an is Dei ordinationi obſiſtit? ſanus credo non dixeris. Jurare Jovem lapidem vellem, Miltonium hæc contra propriam conſcientiam ſcripſiſſe; Non enim credibile eſt, Doctiſſimum virum, quamvis egregium veteratorem, turpiſſimum in hac materia ignorantiæ fratrem egiſſe. Probabilius videtur, cùm omnia ſolerti ingenio conquiſiverit, quibus clariſſimum Pauli teſtimonium evitare poſſet, nihil ſpecioſius hoc ipſo reperiſſe. Quis, ſodes, in civili ſapientia adeò hoſpes eſt, quin neſciat leges nihil aliud, quàm juſſum majeſtatis eſſe? jam verò jubentem juſſibus ſuis ſubordinare, id verò eſt omnem invertere ordinem. Quæſtio nobis eſt de Monarchia; In hac forma legum ferendarum poteſtatem ſoli Principi competere dupondiones etiam noverunt. Quomodo itaque leges, quæ pro arbitrio Regis finguntur, ſuperiores Rege ſunt? Et licèt interdum alicubi modus habendi imperium ſit limitatus, poteſtas tamen ſumma verè apud Regem eſt, qui proceres in conſilium de lege ferenda vocat, hanc verò ſua authoritate fert, ut ne tali caſu lex ſuperior eſſe poſſit. Si intelligit leges, ut vocant, fundamentales, conditiones illæ ſunt & pacta, quæ Regem populo, & hunc illi viciſſim obligant: de quarum virtute & effectu ſatis c. 3. dictum eſt, quæ Regibus Superiores dici nulla ratione poſſunt, multò minùs populo quicquam juris conferunt ad Regem cogendum, ſed præter perjurium, cujus tranſgreſſorem arguunt, nihil virtutis habent. Simili modo Monarcha etiam dicitur, qui ſolus omnia in Rep. poteſt, omnibus civibus major. Quomodo itaque

itaque Senatus superior erit, cùm Rex debeat esse supremus? Ulteriùs, si neque leges neque Senatus quicquam de superioritate participant, conjunctim quoque nihil conferent. Agnovisse optimum quemque Imperatorem legum & Senatus authoritatem sua longè superiorem, veteratoriè dicitur, quod sensu Miltoniano nunquam admiserim. Inveniuntur equidem in jurisprudentia Romana rescripta Imperatorum, quibus profitentur se secundùm leges vivere. Verùm hæc est benevola quædam Principis modestia, nulla obligatio coactiva. Ut subditi spem de leni & æquissimo regimine quàm optimam conciperent, & se ipsos moribus regiis conformarent, edicunt Imperatores se meliori conditione non futuros, sed usuros etiam illis legibus, quas subditis dare justum censuere. Æquissima siquidem illa est conditio, ut, quod in alterum æquum esse putes, id in te ipsum statuas. Et sanè magna fuit apud bonos Principes Senatus authoritas, illam tamen supra se vix unum aut alterum agnovisse leges. In consiliorum & Reip. administrandæ consortium adscivere, omnia tamen civilia negotia, quæ quidem non magis specie vana, quàm vero majestatis splendore eminebant, auspicio Principis expedita fuisse nemo ignorat. Quibus ita se habentibus, concidit illa assertio, dictum Apostoli etiam Reges astringere, qui legibus & Senatui obsistunt. Loquitur enim de omni anima, quæ subjecta est potestatibus supereminentibus. In principatu verò illam potestatem supereminentem apud Regem esse, cui majestas adhæret, in confesso est. Quare Senatus

tus illis animabus annumerabitur, qui subordinantur, & per consequens Rege inferiores sunt. Leges verò Regibus non dominari adeò clarum existimo, ut multis id argumentis ostendere esset Soli venari lumen. Quare Reges dicto Apostoli non comprehenduntur, utpote qui non subordinantur, sed ipsi sunt, quibus omnis anima subest. Nunc verò Miltonius rem propiùs tangere videtur. *Qui vitiosæ potestati obsistit*, inquit, *ille Dei ordinationi non resistit, quoniam hic de legitima potestate sermo est, & Pauli dictum ad eos, qui Tyrannis obsistant, non pertinet.* Primùm, si defensor hic Anglicus Apostoli præceptum diligentiùs inspexisset, crassum illum errorem errasset nunquam, ut potestatem aliquam vitiosam statueret. Generalis extat locutio, *omnem potestatem esse à Deo.* Si igitur omnis potestas à Deo est, aut nulla erit vitiosa, aut vitiosum aliquid à Deo erit. Utcunque impia persona in solio sedeat, imperium inde nullam labem contrahit, sed officium à vitio distinguendum venit, & appositè pro nobis facit citatus à Miltonio Chrysostomus, qui non Principem quemlibet à Deo, sed quamlibet potestatem esse asserit. Sed fortassè & Miltonius personam potiùs quàm potestatem indigitavit, quoniam in continenti subjicit, qui potestatis non vitiosæ corruptori & eversori obsistit, eum Dei ordinationi non obsistere neminem sanum negaturum. Verùm ipse potiùs sanus non est, qui, qualis sit illa divina ordinatio vel non perspexit, vel perspicere noluit. Hæc autem consistit in eo, ut parentes obediamus superioribus non tantùm,

cùm justè pièque regnant, sed & quando arroganter atque per injurias: haud dubio Petri (*a*) assensu, qui morosis quoque & asperis dominis parendum præcipit, idque gloriæ nobis cessurum, non si ex merito nostro, sed nulla culpa plagas verberaque perferamus. Quamobrem Tyrannus & inquus Rex cùm propter vitia moralia Rex esse non desinat, sed divinitus datam potestatem retineat, in qua illa Dei ordinatio consistit, quis non videt, subditum injustæ dominationi obnitentem obniti quoque divinæ ordinationi, utpote quæ extra suum subjectum concipi non potest. Non enim civibus datum est, ut statum Reip. corruptum corrigant, sed vitia Imperantium tanquam sterilitates temporum & alia incommoda patienter tolerent, donec Deus, cui soli in Reges judicium, feliciori aura regnum refocillaturus est. Perpetuò Miltoniana decipula in eo latet, quòd imperitioribus persuaderi conabitur Tyrannum legitimam potestatem non habere, sed vitiosam. Et *propterea neq; tali vel potestati vel Magistratui subjectionem deberi, aut præcipi: non enim potestati, non Magistratui obsisti, sed prædoni, sed Tyranno, sed hosti, qui alio respectu Magistratus dici nequeat, quàm quo diabolus, qui etiam potestatem habet, & ad pœnam nostram à Deo ordinatur. Idcoque cùm hic Palus legitimam potestatem definiverit, tyrannum nunquam includisse, cùm unius rei non possit esse una definitio.* Speciosa hæc sunt, & facilè in animos vulgi penetrant, ni si ad severius examen revocentur. Satis superq; aliquoties & diximus, & probavimus,

(*a*) 1. Epist. 2, 18.

vimus, nullam poteſtatem vitioſam eſſe, quia vitium à Deo eſſe non poteſt. Omnis autem poteſtas à Deo ſit. Tyrannus, qui ea abutitur ad libidinẽ & ſubditorũ cruciatus, poteſtatem, quam habet, non polluit, ſed vitium adjungit è ſuo, ſicut impurus Epiſcopus divinam vocationem flagitioſis vitæ morumque actibus non contaminat. Eſt igitur unius rei non niſi una definitio; Et Paulus hîc prædicat de poteſtate, quòd huic ſubjecti eſſe debeamus: quæ quoniam & in Tyranno reperitur, Tyranno etiam parendum eſſe ex mente Apoſtoli concludimus. Et malitioſè ac æquivocè more ſuo Miltonius poteſtatem Diaboli confert cum poteſtate Tyranni. Poteſtas diaboli, quæ à Deo ipſi conceditur in hominum pœnam, ultra permiſſionem nihil ponit. Quippe ille inſenſiſſimus humani generis hoſtis quavis hora & momento, ſi poſſet, univerſos nos perderet; ſed beniguiſſima omnipotentis Dei manu impeditur, ut absque ſpeciali conceſſione nihil nobis mali facere valeat. Ubi autem divinum tutelare numen à nobis ſuâ gratiâ recedit, jam molitionibus leonis patemus, qui quotidiè, quos devoret, quærit. Poteſtas autem, quam Tyrannus à Deo adeptus eſt, non ponit conceſſionem malefaciendi hominibus, ſed facultatem regendi cives ſecundùm jus & æquum: non datur ad pœnam & ſubditorum miſerias, ſed ad eorum ſalutem & tranquillitatem. Qua ſi ſecus utatur, egreditur officii ſui limites, & omnis iniquitas Principis, quâ ſubditos afficit, non procedit ex ulla poteſtate, ſed vitioſa ipſius voluntate & corruptis moribus. Subditi verò ideo reſiſtere nequeunt, quia, ut

sæpiùs monui, judices morali ordine Superiorit non sunt, & nihilominus resisterent legitimæ, potestati, quæ ob vitia hominis subjectum non deserit. Præterea Miltonius concedit, omnem quidem potestatem esse à Deo, sed arbitrium eligendi formam Reip. populo permissum. Cum quo consentit *Limn. ad Prolegom. Capit. Sect. 2. n. ult.* Respondeo, hoc tam diu verum esse, quousque illa voluntas se nondum ad certam speciem determinavit, quâ electâ jus utrique parti quæsitum voluntariam consultationem in necessitatem mutat, & à placita semel forma non nisi omnium, quorum interest, consensu recedi potest.

Non solùm propter iram.] Iterum ineptiæ Miltonianæ hæc verba restringunt ad bonos Principes. At Paulus non loquitur de hominibus, sed potestatibus: quæ cùm etiam malis Magistratibus insint, idcirco & his parendum erit.

Quasi ab ipso Deo essent constitutæ.] Si potestates publicas accipit Grotius pro summo imperio, ut abstrahit à subjecto, cui inest, à Deo immediatè dantur per concurrentem electionis modum, ideoque minùs rectè dicitur, eo loco habendas, quasi ab ipso Deo constitutæ essent. Sunt enim revera à nullo alio, quàm summo Deo constitutæ.

Quod plerunq; accidit.] Vid. l. 3. ff. de LL. & Hahn. ad Wes. eod. tit.

Idem ad Reges quoq; referendum.] A dominico imperio ad regium in subjectionis & obsequii materia valet consequentia.

§. 6. *Inventi sunt nostro seculo.]* Impuden-

tio-

tior est Miltonius, qui non solùm Magistratus habere potestatem resistendi Regibus apertè fatetur, sed & leges Senatumque illis superiores esse, ut jam vidimus. Quare ad evitandum locum Ecclesiastes *c. 8. 1.* putidissima illa distinctione utitur. *Satis*, inquit, *constat, Ecclesiasten hoc in loco non Synedrio magno, non Senatui, sed privato cuiq; præcepta dare.* Et paulò pòst: *Prudenter igitur Ecclesiastes hoc in loco monet privatos, ne cum Rege contendant, nam etiam cum divite, cum potenti quovis ut plurimùm damnosa contentio est. Quid ergo? an optimates, an omnes reliqui Magistratus, an populus universus, quoties delirare libet Regi, ne hiscere quidem audebunt?* Placet adeò sibi Miltonius hac distinctione, ut eam nullibi non repetat. Ad locum Petri, *Subjecti estote &c.* hæc respondet, *c. 3. Scripsit hæc Petrus non solùm privatis, sed etiam advenis per minorem ferè Asiam dispersis atq; dispalatis, qui in iis, ubi degebant, locis nullius juris præterquam hospitalis capaces erant. An tamen incolas, liberos, nobiles, indigenarum conventus, Comitia, Parlamenta idem in sua patria, quod sparsos & peregrinos in aliena decere putas? An idem privatos decere in sua, quod Senatores & Magistratus, sine quibus ne Reges quidem esse possunt?* Fanaticæ huic opinioni rectè à tranquillitatis publicæ studiosis viris contradictum est, quæ sacrosancta Regum capita levissimis Magistratuum cupiditatibus objicit: neque continuò ratio Miltoniana nos in suas partes trahet, quia Rex sine Magistratibus esse nequit. Nam multò minùs sine privatis esse potest, & tamen

men illis eum invadendi adimitur licentia: sic nec bubulcus sine bobus est, hi tamen eo non sunt superiores. In qualibet Rep. ordo esse debet, à quo tanquam uno summo principio omnes actiones civiles dirigantur. Ille verò ordo est merè relativus ad imperium & obsequium. Summum itaque principium omnium actionum erit τὸ κύριον civitatis: quod cùm in Monarchia apud Regem sit, ab eodem unâ operâ dependebunt omnes actus publici, & per consequens etiam creatio depositioque Magistratuum, qui quidem in respectu ad cæteros publici sunt, ratione Regis verò privati, quia & eorum origo & potestas, & potestatis termini atque latitudo, & totum esse à Rege est. Ut pluribus deducit Dn. Ziegl. *ad h. l.* omninò videndus. Quod si autem præcepta Ecclesiastis & Petri, de non resistendo Regibus, privatis, advenis, peregrinis, dispersis atque dispalatis, non etiam Magistratibus data fuissent, ut contendit Miltonius, & nescio an saniora velit *Limn. jur. publ. l. 1. c. 13. n. 39.* absurditatem vix effugerent sancti Dei viri, qui interdixere privatis actionem, quam ob impotentiam in actum nunquam possent deducere. Sicut & Miltonius ab hac sententia nō longè abesse videtur, quasi istud præceptum magis dehortationem à periculo, quam verum interdictum vitiosæ actionis comprehenderet. Confirmant me Miltonii hæc verba: Prudenter Ecclesiasten monuisse privatos, ne cum Rege contenderent. Quare verò? quia & cum divite, cum potenti quovis utplurimùm damnosa contentio est. Hinc ex sensu Miltonii ad ejus mentem ita concludo: Ergo sicut cum divite,

cum

cum potenti quovis prudenter litigare poſſumus, ſi contentio iſta nobis non eſt damnoſa: ita etiam licebit privatis reſiſtere Regi, modò ipſis nihil inde periculi fuerit. At verò quid periculum inſtans juri detrahit? ſi licet, licet etiam ſub periculo, ſed conſilium eſt, ut ad periculum evitandum jure noſtro uti deſiſtamus. En igitur aciem ſceleſtiſſimarum concluſionum, quæ ex una hac theſi Miltoniana colliguntur.

Contra voluntatem ſummi imperii.] Extra terminos ſuæ jurisdictionis jus dicenti impunè non paretur. Omnes Magiſtratuum actus ex mera Principis voluntate dependent, quæ tam latè extendenda non eſt, ut etiam ſibi reſiſtendi facultatem dediſſe cenſeri debeat. Et pone expreſsè dediſſe, ut legimus de illo Imperatore Romano, qui Præfecto prætorio gladium in manus dedit, contra ſe quoque ſtringendum, ſi malè imperaret. Nihilominus ſola & unica imperantis voluntas omnem poteſtatem & conatus contrarios ademptione momènto inhibebit. Sicut enim is, qui precariò quid conceſſit, quolibet tempore & loco id repetere poteſt, ita quoque Princeps à Magiſtratu precariam & à ſe dependentem poteſtatem, quandocunque voluerit, aufert. Licèt certum ſit, non opus eſſe hac revocatione. Nam ne quidem poteſt Princeps, etſi velit, talem Magiſtratui concedere poteſtatem, ut ei jus ſit & in ſe animadvertere, quoniam illud contra naturam imperii & ordinem civilem eſt. Et non magis Principi conceſſum eſt diſponere de majeſtate, quam divinitus habet, ac ſubdito. Semel edixit Deus, ne reſiſtatur poteſtatibus publicis: hanc generalem

neralem prohibitionem nemini licet tollere aut suspendere, nec Principi quidem, qui licèt omnia possit, non tamen ea potest, quæ juri divino contraria sunt, & ita in ordine civili contradictionem involvunt.

Subesset Senatus.] Potiùs ut fucum aliquem & inanem libertatis speciem Senatui populoque Romano faceret, & eosdem proinde haberet ad omnia magis paratos promptosque. Non enim dubito, Trajanum quoque verum Imperatorem fuisse, & illa gladii porrectio umbratilis magis quædam fuit solennitas, quàm alicujus juris potestativi translatio.

§. 7. *Sub certo mortis periculo.*] Ea enim vis virtusque summi est imperii, ut quoslibet actus civiles etiam suâ naturâ indifferentes vel primo intuitu satis leves sub mortis pœna prohibere possit. Ita desertam militis stationem aut Civitatis Romanæ mœniorum transilitionem capitale supplicium vindicat. Atque ex hoc fundamento omnium optimè defenditur ab injustitia hodierna fures suspendendi consuetudo. Frustra omnes illi sunt, qui aliquam æqualitatem inter delictum quærunt, & pœnam, cùm extra controversiam sit, bonis fortunæ externis vitam hominis longè pretiosiorem esse, & solam delicti frequentiam tantam rem non conficere. Perpetuò hoc in criminalibus tenendum est, non tam proportionem rei & pœnæ, quàm pœnæ & delicti lege publica informati inspiciendam esse. Quippe Princeps summa potestate armatus Reip. pericula & incommoda, quocunque modo potest, arcet, emolumenta verò promovet. *Affirmant id plerig,*

Digitized by Google

plerique, inquit Consultissimus Hahnius,(a) *quòd in sontium punitionibus majestati civili jus sit pro utilitate & securitate rerum & Reip. tranquillitate pœnam ultimi supplicii determinandi.* Cum quibus facit *Dn. Ziegl. ad Grot. l. 2. c. 1. thes. 14.* ubi dicit: *Proportionem inter delictum & culpam non æstimari debere tantùm ex ipsa materia delicti, sed imprimis ex tranquillitate publica, ut in quieto sit vita communis.* Per fures autem humana societas violatur, & Reip. turbatur tranquillitas. Rectoriæ tamen prudentiæ cautela erit, rigore potestatis non abuti ad invidiam, nec in levissima quæque delicta absque urgentissima causa acerbam statuere pœnam, quia non putari debent homines in se & alios tantum jus accepisse, nisi quatenus summa necessitas id exigit, & ferri leges ab hominibus æquum est cum sensu humanæ imbecillitatis.

Dicat aliquis.] Bona est hæc objectio, & suprà §. 2. monui, hoc jus si ex voluntate coëuntium in Remp. & ejusdem fine æstimetur, non in tantam religionem & securitatem abiturum. Verùm divina lex longè tranquillius obsequium & majorem patientiam subditis injungit. *Conf. Ziegl. h.*

Experimento infirmitatis.] Suprà in Prolegom. meliùs dixerat, natura Duce homines societates constituisse. Hic sibi contrarius.

Humanam ordinationem.] Jam diximus, quo sensu humana ordinatio dicatur. Dominus Ziegl. ita censet. Petrum humanam ordinationem dixisse, *non quòd humanitus sit excogitata,*

(a) Ad Wes. de Furt. circ. fin.

sed quòd hominum ea sit propria. Sive potiùs ratione causæ instrumentalis, quia per homines exercetur.

Adversùs immanem sævitiam.] In hoc rerum statu, ubi Rex planè in Tyrannum abit, & non nisi pernitiem suorum civium quærit, non solùm subditos resistere posse, sed & ex officio teneri, multi sunt, qui opinantur, eruditi viri. Neque primo statim intuitu aliter dicendum videtur. Princeps enim, cùm Dei vicarium in terris exhibeat, & potestatem acceperit non ad mala & libidines, sed salutem commodaque Reip. transgreditur limites officii sui, in innocentes sæviendo, & ad cædem innocui civis nullum imperium instruit Imperantem, quo simul concessa videtur resistendi licentia, quia à defectu imperii ad obsequii negationem rectè concluditur. Verùm hi tales non animadvertunt majestatis præsentiam etiam in malo Principe, quæ per subjecti læsionem ipsa non potest non etiam lædi. Non satis est dicere, tyrannum ipso jure desinere esse Principem, & in privatam conditionem redire. Nam quod & quale est illud ipsum jus, quod tam ingenti rei conficiendæ sufficit? Sola fictione tertii imperium Regibus non adimitur; ipsius intima voluntas exploranda est, quæ certè in invasione subditi talis esse non præsumitur, ut voluerit se privare tam inviolabili charactere, & læso dare potestatem resistendi crudeli impietati. Duæ præcipuè sunt rationes malitiam hominum cogendi in ordinem, modus sive jus suum persequendi in judiciis, & armata vis. Utrumque arbitrio & manibus subditorum ereptum in civili ordine majestati vindi-

vindicatur, à qua tam omnis jurisdictio quam belli gerendi potestas descendit. Quod considerantes ex adversa parte alii, omnem resistendi facultatem subditis adimere non dubitavere, urgentes imprimis & civilem subordinationem, & tot martyrum cædes, qui maluere exquisitissimos subire cruciatus, quàm reluctari summis potestatibus. Itaque *Dn. Ziegl. ad h. l.* hæc notat. ***Non ausim hoc asserere, non enim fingi potest legitima vocatio subditorum ad capienda arma contra supremum Magistratum, cùm nulli mortalium jurisdictio competat in talem Magistratum.*** Durum interim est, ad tam immanem crudelitatem indurare animum, cùm contingere posset, ut Princeps non unum aut alterum è civibus, sed egregiam multitudinem ex injustissimis causis, puta quòd religionem heterodoxam & cultus idololatricos sequi noluerit, ad supplicium mortemque deposcat. Hîc profectò innocentibus naturalem se tuendi licentiam negare, immite nimiùm præceptum est, & Grotii sententiam, si rectè explicetur, aliquid æquitatis habere non dubito, præsertim si bene attendatur ad illa verba, ***illa interim cautio tenenda est, etiam in tali periculo personæ Regis parcendum.*** Scilicet quando Rex urbem aliquam vel provinciam propter verum & legitimum Dei cultum aliisve de causis, quæ subditos non in culpa aliqua ponunt, scelestissimo ausu persequitur, solus, si sanus est, nunquam hoc fecerit, sed semper armatum exercitum flagitiosæ voluntatis ministrum coactioni destinat. Hîc subditos, quos hæc pericula concernunt, ante omnia decet supplices precibus clementiam

mentiam Principis & sacrorum indulgentiam humillimè implorare. Ubi verò æqui nihil impetratum est, & jam res ad extremum devenerit, ut eos vel in impios cultus transire oporteat, vel pecorum more mactandi sint; Tunc concedimus miseris civibus arma induendi licentiam opprimendique turpissima malitiæ mancipia, quæ nulla potestas, nullum imperium juvare potest. Ut suprà explicavimus, imperium omne legitimum est & justum, neque ad impia extenditur. Rex, qui injungit subditis, ut innoxios dilectosque Deo homines crudeli supplicio mactent, nihil jubere videtur, & nemo ad obsequium adstrictus est, quia voluntati regiæ obtemperando gravissimè in Deum peccamus. Quare cùm imperans ex imperio hoc jubere nequeat, multò minùs flagitiosos executores demandata potestas tuebitur, adeò ut non putentur meliùs quàm latronum more agere, & ab omnibus obviis occidi possint. Desistere debebant à præcepti executione, & Regi melioris sententiæ authores existere: quoniam verò illis volupe est, aliorum miseriis delectari, nos quoque innocentes contra illorum sævitiam armamus militari cultu, & ex immiti ergastulo educimus, adeò ut arbitremur, omnes illos apparitores ad sui tutelam occidi posse. Hoc fundamento se defendunt fœderati Principes Regni Francici, *apud Thuanum Histor. 24.* qui ita loquuntur. *Sed obstat Regium nomen, quo isti prædones in suos impii, in nostros ingrati, in cunctos sævi, tanquam umbone tuti superbiunt, & bonis viris, qui eorum illegitimam potentiam impugnant & ordinum regni auctoritatem asserunt,*

ſerunt, rebellionis notam inurunt. Regibus parere etiam iniqua imperantibus vox Dei jubet, eosq́, qui poteſtatibus à Deo conſtitutis minimè obediunt, Dei voluntati reſiſtere extra dubium eſt. Quò magis nobis elaborandum eſt, cùm etiam bonos & innocentes calumniis obnoxios videamus, ne quid committamus, ne legitimum Magiſtratum violaſſe videamur. At nobis minimè cum Rege res eſt, ſed contra perduelles, hoc eſt, contra Regis ac patriæ hoſtes, eò periculoſiores, quòd intra viſcera habitant, & Regis pueri & ignari opibus ac nomine ſubnixi Regem ipſum ac patriam impunè oppugnant, nunc apud vos maturè perpendite: an Regium nomen iis prodeſſe æquum ſit, qui Regi pernitiem machinantur, qui libertati, vitæ, ac fortunis Gallorum inhiant, qui denique ad evertendam Remp. omnia ſua conſilia & cogitationes conferunt? An fœderati illi Galli in omnibus legitimum defenſionis modum obſervare, judicent ex eorum actionibus alii. Ego in viam redeo, & defenſionem iſtam præcisè reſtringo *ad tutelam ſui.* Non enim ultra Subditorum arma juſta cenſeo, quàm quousque illa inevitabilis neceſſitas legitimat. Non excedent, me quidem ſuaſore, tutelarem cauſam, & ex ſui defenſione tranſilient in offenſionem tertii. Non cæteros infeſtabunt concives, multò minùs Principes poteſtate & regno exuere conentur, potiùs, ubi ipſis factorum venia ac ſpes vitæ liberioris data, ad priſtinum redibunt obſequium, cum veneratione proſequentes exorientem clementiam, ut Principi pateat quàm immeritò fideliſſimos ſubditos ad ſupplicium

cium quæsiverit, & exinde nascatur pœnitendi principium, unde sævitiæ origo processerat. Nam verè Alexander M. apud Curtium dixit, *Regum Ducumq; clementiam non in ipsorum modo, sed in illorum, qui parent, ingenio sitam esse, & obsequio mitigari imperium.* At quid faciendum, si ipse in exercitu Princeps sit, & non tantùm scelera jubeat, sed & coràm intueatur? Hoc casu de cæteris militibus sentimus ut antea. In Regis persona specialis cautela est. Qui si ipse civem occidendi animo invadat, huic nunquam authores erimus violandi Principis, cui immediatum violatæ majestatis crimen adhæret, sed mittendus erit spiritus impiæ sævitiæ, & ultio divinæ iræ committenda; Verùm hoc rarò admodùm evenit, cùm etiam Princeps non immeritò vereri debeat, ut æquè impio violentas manus inferendo de vita sua periclitari possit. Sanè enim vix millesimus ad tam rigidam religionem animum obfirmabit, ut malit insontem sanguinem præsentissimæ crudelitati litare, quàm cæde alterius suam vitam redimere. Ut nunc taceam, plebi & simplici populo eam in Rege sanctitatem non persuaderi posse, qui aliàs in circulis & colloquiis non nisi libertatem spirat. Restat adhuc in dubio alius casus, quid juris, si Rex infans aut minor sit, quàm ut sua voluntate aliquid jubere possit, tutores verò à parente defuncto dati commissa potentia ad libidines suas & Reip. perniciem abutantur. An licebit his tutoribus resistere? Quod omninò affirmandum censeo, quoniam neque hos imperium aliquod defendit, ob easdem, quas suprà dedimus, rationes; veram

enim

enim majestatem non possident, sed illa apud infantem est. Potestatem autem precariam & dependentem nequeunt obtendere, utpote cujus in delictis & malis actionibus nullæ omninò partes sunt. Hunc tamen ordinem servandum dixerim, ut primò tutoribus inhibeant illi, quibus in regno jus est quæsitum, quique spem aliquam de successione habent. His autem deficientibus damus universo populo facultatem coërcendi illegitimam administrationem, neque etiam hîc tam extremam patientiam requiro, sed quascunque pernitiosas molitiones castigatione dignas censemus. Nihil enim omninò habent Tutores, quod prætendere possint. Rex infans ipsis nihil mandavit, Pater verò, qui eos constituit, pupilli salutem, non propriam utilitatem commendavit. Non tamen ob quævis exigua errata ad turbas & inobedientiam propendimus. Sed si quæ sunt machinationes, quæ ipsam Remp. concernunt, & propter instans periculum irreparabiles sunt. Alia quædam levia in Regis, dum adoleverit, animadversionem proroganda, ne cavendo minus malum in gravius incidamus. Atque secundùm hanc nostram sententiam etiam olim responderunt celebratissimi Germaniæ & Galliæ tam JCti quàm Theologi, qui à Confœderatis Galliæ interrogati, *an salva conscientia citra violatæ majestatis ac legitimi magistratus crimen, liceret pro patriæ salute & libertate arma sumere? Licere, respondebant, vim contra illegitimam Guisianorum dominationem opponere, modò accederet Regiæ stirpis Principum, qui in his castris*

bus

bus legitimi sint ac nati magistratus, aut unius ex iis auctoritas, & ex ordinum regni aut majoris ac sanioris eorum partis consensu id fieret. Quippe superfluum esse regem ea de re monere, qui ob atatem & nullum rerum usum suis superesse non possit. (a) Atque sic videmus id, quod paulò antè de Magistratibus, qui ratione Regis privati sunt, diximus, in hoc casu, ubi Rex est infans vel minor, vel etiam ubi est furiosus, ut Remp. administrare ipse non possit, aliquam pati exceptionem, in persona sc. Tutorum aut Curatorum. Equidem an hæ circumstantiæ in Francisco II. Galliarum Rege, fuerint, non facilè dixerim, erat enim jam major, & non adeò omnium rerum imperitus. Locum tamen & responsa eruditorum in hac materia ideo adscripsi, quia ex eodem fundamento, licèt fortassè malè applicato ad personam Francisci II. jus dicebant. Et hæc est mea de omni hoc gravissimo negotio opinio. Cui quis, si vult, conjungere potest Joh. Frider. Hornium *de Civit. l. 2. c. 11.* ubi multò uberiùs hoc tractat argumentum. Non me remoratur Dn. Ziegl. quem suprà adduxi in contrarium; etsi dixerit, *nullam subditi legitimam vocationem esse ad arma capienda.* Præter moderamen enim inculpatæ tutelæ hîc nihil ponimus: Sicut viator, licèt nullam vocationem ad arma habeat, occurrenti latroni & insidias struenti resistere, eumque, si res ferat, occidere jure potest; ita hos flagitiosæ voluntatis ministros nulla imperii commissio tuetur, quò minùs ut in latrones, ut in grassatores prædonesque sævire liceat,

(a) Thuan. Hist. l. 24.

liceat. Ipse autem Princeps, si ad civis cujusdam necem properet, repercutiendus non est, quia esse nequit, quin simul legitima potestas impetatur, & hoc est, quod dicit Grotius, personæ Principis parcendum esse etiam in tali periculo, ob præsentiam scilicet majestatis, quæ & scelestissimam personam inhabitat, propterea áque violari nullo prætextu potest. Qua ratione fœderati protestantes in Gallia publicè fatentur, *nunquam de conjuratione in Regem aut suos cogitasse, & malle se millies mori, quàm ut quicquam tale in animum inducerent. Eo se consilio Meldos venisse, ut quàm demisse possent, Regem supplices orarent, revocaret sententiam instigantibus inimicis in ipsos & omnes, qui de religione emendanda protestantur, latam, & executioni proximam, contra quos solos, inimicos nimirum suos, arma sumpserint.* (a) Et alio apud eundem Thuanum (b) loco de causæ suæ jure ita disputabant. *Vim opponere subjectis jus non esse, nec si Rex injuriosus sit: id satis docuisse Deum infelici conatu toties re antea à Protestantibus tentata, cùm & regendo imperio imparem Regem per ætatem causarentur, & Regis consiliariorum iniquam administrationem prætexerent. Nunc Regem virum esse, & disertè testari, nolle se protestantium causæ præjudicium facere. Colinium & socios ob conjurationem & armorum renovata consilia suo jussu oppressos. Idq; ad pacandum regnum extrema necessitate adductum Regem fecisse, & quamvis ea re modum excesserit, non tamen*

T

(a) Apud Thuan. l. Hor. l. 42.
(b) Histor. l. 53.

tamen fas esse subjecto adversus Regem insurgere, aut delictorum rationes & pœnas ab eo exposcere, cùm à Deo populis impositus sit, cui perinde soli suæ administrationis rationem reposcenti reddere teneatur. Condæum etiam & Colinium multa Regibus non ferenda ausos esse, & rem à supplicationibus & pietate ad vim & factionem adduxisse. Unde simul cognoscere licet, ipsos quoque Protestantes in Gallia non parùm de justitia armorum dubitasse.

Nam David.] Regerit hîc Dominus Zieglerus, *Davidem amplius privatum non fuisse, sed per inaugurationem unctum à Samuele in Regem*; Quicquid sit, dum Saul in vivis fuit, Davidem ultra conditionem subditi non evexerim: Equidem certam futuri regni spem habuit, & nobilem ex factis fortibus sibi famam comparaverat, regnum verò nondum. In uno regno duo Reges esse nequeunt; quoniam itaque ipse etiam David post unctionem summam potestatem in Saule agnovit, sequitur, ipsum vel subditum fuisse vel extraneum. Sed non fuisse extraneum, omnibus constare puto, E. fuit subditus. Neq; ex ullo sacræ Scripturæ loco demonstrari potest, Deum imperium à Saule ante ejus vitam repetiisse. Nam quod fatetur, se dedisse regnum alii, id intelligendum, se certò daturum, nimirum post Regis mortem. Qualis loquendi formula in sacris literis haud est infrequens, & indubitatam certitudinem notat.

Sed latebras quærit.] Imitati Davidis exemplum mirabili constantia sunt Convallenses, miseri & agrestes Sabaudiæ Ducis populi, (*a*) qui

(*a*) Thuan. Hist. l. 27.

cùm

cùm à Principe ſuo, quamvis contra animi ſententiam Pontificis inſtigatu atque rogatu ob verum religionis cultum omnis generis crudelitate & ſuppliciis per inhumanos inquiſitores exerciti fuiſſent, primùm ſuppliciter Ducem per omnia divina humanaque orant, fideles ſubditos clementia ſua reſpiceret, & quibus cœli locorumque ferè inhumanus ſitus vix ad victum & cultum corporis neceſſarium alimenta, eaque agreſtia atque incondita ſuppeditet, ne etiam vera religione eos privare, conſcientiasque ad aliena ſacra cogere velit. Cùm nihil impetratum eſſet, ſed Princeps milite ad obſequium eos reducere inciperet, tum coacto concilio deliberatione habita unanimi conſenſu ita cenſuerunt, *vitam non eſſe armis adverſus Principem tutandam, verùm aſportatis ex bonis, quæ commodè poſſent, in proximos montes ſecedendum, ibiq; Dei gratiam, qui ſuos nunquam deſerat, & Principum, ut velit, corda molliat, opperiendam.* Interea jejunium indicunt, & adverſus hoſtiles impetus cœna dominica ſumpta ſe muniunt, & evulgato decreto æquo animo parentes ſecedunt in montes & loca confragoſa, nihil aliorum paſtorum ſententias morati, qui exiſtimabant, *licere in tanto diſcrimine ac penè deſperatis rebus hoſtium impetum armis repellere, præſertim cùm nequaquam contra Principem, ſed adverſus Pontificem, qui Principis opibus abutatur, neque in cauſa religionis, ſed pro uxorum ac liberorum ſalute arma ſumantur.* Secedentes in ſaltus atque montes emiſſarii milites perſecuti ſunt, & ubi per vineta ad occupandos à tergo aditus

tus exercitus hostilis properabat, *vicani ex necessitate ad arma, quæ detrectabant, tandem devenere, fundis & ballistis ferè instructi, & exiguo admodùm numero, & cùm se variis locis oppugnari ac quodammodo circumvallari cernerent, prout hostes instabant, continuò ad summa sensim enitebantur.* Sed neque sic tamen de gratia Principis omninò desperantes iterum legatos mittunt, qui libello supplice exhibito & conscientiarum libertatem, quàm demissè possent, peterent, & in cæteris omne obsequium ac fidem pollicerentur. Qui cùm re infecta discessissent, objectâ demum omni æquarum conditionum spe tandem iidem illi decernunt, *religionem imposterum armis tuendam ac propagandam.* Id quod etiam juvante Deo contra impietatem tam feliciter processit, ut numeroso hostili exercitu multis locis damno affecto, suâ denique constantiâ moverint Principem, ut miserorum hominum injuriis satiatus illos receperit in gratiam, datâ omnium delictorum veniâ, & concessâ purioris religionis exercendæ licentiâ. Digni omninò hi Convallenses sunt, qui omnibus exemplum præbeant, quo modo & ordine superiorum injuriis resistere liceat. Et mirum profectò est, homines agrestes & incultos inculpatæ tutelæ adeò exactum moderamen servavisse, quòd alii, qui hos barbaros & simplices, ac vix sanè homines putabant, pernitioso sæpiùs iracundiæ impetu vindictæque dulcedine transgressi sunt.

Christianis veteribus.] Sanè Martyrum cædes & in periculis extremis constantia ob varias

rias temporum necessitatisque rationes laudabile quidem exemplum non generalem regulam constituunt; ut id pluribus exequitur *Hornius de Civit. l. 2. c. 11.* & ex parte noster etiam Grotius h.

Personæ Regis parcendum.] Nascitur hîc nobis quasi sub manibus illa omni ævo agitata quæstio, an liceat Tyrannum occidere? Fuêre sanè, & adhuc sunt eximiæ eruditionis Viri, qui hoc non solùm licitum, sed & laudabile asserunt, præsertim quorum rectæ rationis operationes libertas in statu populari dulcedine sua impedivit. Græciæ sapientes, itemque Romanos plerosque ita sensisse, extra controversiam est. Ita legimus apud Senecam:

Victima haud ulla amplior
potest, majúsve opima mactari Jovi
quàm Rex iniquus.

Lipsius *6. Polit. 5. erectioris spiritus auferre Tyrannum quàm ferre statuit, neq; se reprimere, cùm sciat, Graecos homines Deorum honores tribuisse iis, qui Tyrannos necaverunt.* Haud parùm abest ab hac sententia Clapmarius, (a) quamvis dicat se malle ἐπίχειν. Clariùs mentem suam explicat Boxhornius *2. Instit. Polit. 4. thes. 45.* inquiens: *Ubi tamen ad summum iniquitatis gradum evecta est tyrannis Principum, & modestia, patientia & supplicationibus nihil est profectum, tollere Principes aut eos ejicere eorumq; imperium exuere omnino licitum esse existimamus. Et thes. 49. Quippe ubi in extremo discrimine libertas versatur, multis jam modis*

(a) *S.* [illegible] *de* [illegible]*um. 19.*

fracta & accisa, justa ac gravis satis causa ejiciendi Principis subditis offertur, cùm par ratio sit vitæ & libertatis. Vitam autem utiq; tueri natura & gentium omnium legibus indultum est. Et thes. 53 & 54. Ita fixum hoc & immotum esto, irrita & elusa patientia Tyrannorum libidini non exponenda esse ea bona, quibus opus est ad reposcendam libertatem. Caterùm authoritate publica, ac imprimis illius ordinis, qui Principis proximè contingit authoritatem, ea Principum vel imperii propter tyrannidem mutatio instituenda est. Nemo ignorat Boxhornium hæc atque alia studio suæ Reip. scripsisse, ut eam sub aliqua juris specie à perduellionis crimine absolveret, quod haud dubiè se in libertatem ab Hispannorum tyrannide vindicando incurrerat. Modestiùs illi sentiunt, qui hîc perpensis utrinque rationibus judicium maluere suspendere, quàm certi quid determinare: inter quos est Dn. Forstnerus *ad Tac. 1. Ann. 8.* ubi tamen annotat & multis illustrat exemplis, interfectores Regum plerunque occulto Dei judicio periisse. Nos nihil obstare putamus, quò minùs sine trepidatione subditis omnem vitæ Tyranni insidiandi licentiam adimamus, id quod vel ex hactenus dictis satis constat, civem nullo modo judicem sui superioris esse posse. Oppidò approbo Dn Bœcleri *in observ. ad Tac. 1. Ann. 8.* sententiam, *nihil impedire, quò minùs serio cum aliis magnis viris improbemus eadem illam* (sc. Jul. Cæs.) *& facinus conspiratorum. Præter rationes alibi dictas semper attendi cura & dispositio providentiæ debet. Non enim fica & gladio cum*

furo

fato certandum est, sed probitate, justitia, bonis moribus. Verùm quoniam hac in re singularem curam posuit Bodinus, (a) qui toto capitulo variis se distinctionibus conatus est explicare, videamus, in quantum ipsi fides adhibenda sit. Et principio quidem exponit nomen Tyranni, quòd propriè is dicatur, qui vi & contra voluntatem civium in regnum evasit: Impropriè ad malam & crudelem legitimi Regis administrationem extendatur. Nos utroque modo rectè tyrannum dici existimamus, interesse tamen aliquid in modo resistendi: Bodinus verò id liberiùs, quàm ut politica principia ferre posse videntur, extendit. Examinemus singula, ut de veritate meliùs constare nobis possit. Distinguit Bodinus, ut dixi, inter invasorem violentum & legitimum Regem crudeli regimine prementem subditos. Illum, *qui foedis ac Civibus invitis, non cooptatus à Principe, non suffragio populi, non sorte, non hereditario jure, non testamento, non justo legitimoq; bello, non singulari quoq; cœlestiq; oraculo creatus in Remp. invasit;* dicit, omni jure occidi posse, vel indicta quoque causa. Neque ipsi securitatem conciliare, *si populi suffragiis postea creandum se curaverit, quia non potest id civium consensione factum censeri, quod erepta libertate fiat:* nisi fortè posteritas ejus longo tempore legitimationem præscripserit. Hunc, scilicet administratione tyrannum, si quidem verè majestatem habeat, interficere non licere: Secus si nomine saltem Rex, revera autem summa rerum apud populum sit; ut

(a) 3. de Rep. 5.

sunt Reges Lacedæmoniorum & Imperatores Germaniæ. Hæc in compendio est Bodini sententia, non uno modo civili sapientiæ & veritati adversa. Non multum repugnabo, posse populum libertatis invasori vim opponere, & captum bello afficere supplicio, quoniam id jure gentium cuilibet Reip. concessum est. Sed de hac facti specie loqui Bodinus non videtur. At quando populus jam succubuit, & victor extincta libertate se in solio ita firmavit, ut civibus nulla spes sit reliqua se eximendi è violento imperio, nec vires resistendi ampliùs ullas habeant, tunc sanè victorem etiam injustum à Deo immediatè in victos accepisse imperium, atque ob hujus præsentiam sine læsæ majestatis crimine non posse violari, omninò statuerem. Injusto quoque bello in multas provincias imperium quæsitum esse neminem latet, qui historiis legendis operam aliquam dicavit. Non penetrabimus in divinæ providentiæ Sacraria, & cur rapaces interdum homines tam felici purpura induat: sufficiat scire, omnibus seculis hæc contigisse, nec nostro deesse exempla. Interim qui verum in victos imperium adeptus est, ab iisdem non posse opprimi ratio subjectionis suadet, quæ superiorem nunquam infestat. Si in hostem bello captum herile dominium concedimus, neque propter violentam illam capturam servo damus licentiam resistendi domino, à cujus bonitate vitam, quam ipsi potuisset adimere, accepit. Quantò minùs populus ad extrema jam adactus, ut vel mori, vel victorem agnoscere dominum necesse habeat, poterit clementem herum insidiis occul-

occultis adoriri, & mortalium consortio eximere, à quo, quod spirat, quod possidet, supplex consecutus est? Continuum hîc bellum fingere, ultra fictionem est. Quamprimum se invadentis clementiæ & ditioni permisere, finitum est bellum, & victis parcitum sub conditione obsequii, quod nullo jure absque gravissima perduellionis infamia exuent. Quæ cùm ita se habeant, quantò minor resistendi potestas aderit, ubi postmodum unanimi electione & communibus suffragiis in potestatem invasoris consensere. Quin potiùs hoc casu & pristinam invasionem purgatam, & honestiori titulo invidiosum imperii acquirendi modum involutum sine hæsitatione statuo. Quicquid hîc involuntarii occurrere videtur, me nihil remoratur, quoniam intrinsecus volendi actus liber est, & potuisset populus non consentire in legitimationem Principis. Ubi verò jam consensit, electus à Deo consequitur majestatem, quâ præsente obligatus subditus ad arctissimum obsequium, ut non solùm ex animi sui sententia bene Principi cupere debeat, & propriis ab eo manus abstinere, sed & alias insidiosas machinationes, occultamque fraudum seriem, quæ vel Principis caput, vel præsentem Reip. Statum impetunt, quantum in se est, impedire & detegere. Itaque Bodini opinionem de resistendo invasori ulteriùs nō admiserim, quàm quatenus populus nondū animum & fasces summisit, sed adhuc spem habet vindicandi se ab injusto dominio. Quod sequitur de tyranno in regimine & actu bene habet. Illos enim in thesi nomine non revera Reges & judicari & puniri posse

subenter concedo. Quamvis in hypothesi Imperii germanici crassa sit ignorantia, Imperatores Romanos ultra dignitatem Lacedæmoniorum Regum non evehere. Multi sunt eruditi viri, qui veram Monarchiam esse in Romano Imperio statuunt, quæ opinio suo non caret fundamento. Quanquam & ii, qui mixturam aliquam fingunt, tam malè cum Imperatore nostro non agunt, ut eum audeant in humilem Magistratuum conditionem detrudere, sed nihilominus ei concedunt quædam, ut vocant, majestatis reservata: quorum intuitu pro parte saltem summam potestatem habeat, licèt non plenam. Et hæc Bodino sufficiant. Videamus nunc rationem Boxhornii, quâ assensum nobis extorquere vult. Dicit propterea tyranno resisti posse, quòd par sit libertatis & vitæ ratio, quam omni jure defendere possumus. Respondeo, si intelligit Boxhornius adhuc liberum populum, nullius sub imperio viventem, hunc cuilibet invasori rectè resistere facilè concessimus. At quando jam victus & subactus, vel jam dudum alterius imperio subditus fuit, frustra libertatem invocat, quam perdidit. Quamvis etiam de libertate ad vitam nihil firmiter concludere liceat, Privatio vitæ nos redigit in nihilum, cùm sine libertate, præsertim civili commodè vivere queamus. Prudenter itaque gens libera fecerit, si bona Reip. invasori ad sui oppressionem non largiatur. Sed cùm oppressa actu est, victor in omnia bona eminens dominium, in ipsos verò homines imperium sibi acquirit, & tunc omnes facultates vitæsque ad domini conservationem con-

conferre ex officio obſtricti ſunt. Turpis inſuper in Politicis lapſus eſt, ordini Principi proximè ſubordinato hanc licentiam concedere, quia hic in reſpectu ad Principem merè privatus eſt, quod jam abundè demonſtravimus. Clapmarius hac videtur moveri ratione, *quia ſi Princeps meritò in eum animadvertit, qui libertatis amans imperium ſibi & vitam adimere conatus, licebit etiam populo eum interficere, qui libertatem invadere tentat, & ſervitutem imponere civibus.* Res ſatis clara eſt, ſi de populo adhuc libero loquitur. Sed is, qui imperium ſemel adoravit, præſentem ſtatum non mutabit, quia obſequium ab ipſo exigitur, non judicium in Principem. *Sanè licuiſſet interficere*, ſcribit Dominus Bœclerus, (a) *dum invadebat libertatem. Poſtquam verò invaſerat, mirum utique fuit, tam de plano pronunciare ſententiam.* Ut breviter dicam, quod ſentio, ſubditus, qui verè talis eſt, nullo modo vel prætextu ſine graviſſimo læſæ majeſtatis crimine ſuo Principi etiam crudeliſſimo manus inferre, & illum ſub dulci libertatis ſpecie tollere de medio poteſt. Nemo fortè bonorum probabit nefarium Anglorum parricidium. Sed auſim ego inſuper Batavos defenſionis ſuæ modum egreſſos dicere, quando ſe totaliter ab Hiſpanorum imperio liberavere, quanquam per tot annos continuata libertate & ab ipſo Hiſpaniarum Rege confirmata bonâ conſcientiâ nunc frui poſſe nullus dubitem. Nom malè in hanc rem Balſacus *1. Epiſtol. 16.* ſcribit: *Ce n' eſt qu' aux Pais bas, ou il ſemble que Dieu favoriſe les revol-*

(a) Loc. ſup. cit.

revoltes ; par tout ailleurs il est du coste du Royaute, & veut, que nous laissions a sa providence le changement des estats, & la punition des Princes, sans toucher a une chose, qu'il s'est entierement reservé. Pour moy, comme je trouve bon, que la puisance souveraine soit moderée par le conseil des gens de bien, je n'ay jamais approuvé, qu'elle fut affoiblie par la desobeissance des rebelles. La liberte ne doit pas estre plus esloignée de la servitude que de la licence, & pour rendre un estat heureux, il faut, qu'un Prince aime des sujets, qui le redoutent, i. e. In sola Batavia videtur Deus favere rebellioni, ubique alibi à parte Principum stat, & jubet, ut committamus sue providentiæ mutationem Status & Principum pœnam, neque profano ausu rem attingamus, quam sibi uni reservavit. Quod me attinet, sicut omninò optaverim, supremam potestatem moderari consilio bonorum virorum, ita nunquam probare potui, eandem infirmari rebellium contumaciâ. Libertas non debet distare magis de servitute quàm licentia, & ut Resp perfectè felix sit, opus est, ut Princeps suos amet subditos, qui illum timeant. Æterna memoria digna sunt, omniumque subditorum cordibus intimè imprimenda, quæ idem Author habet, 5. Epistol. 4. Je blasme le conseil de quelques Rois, mais je ne m'attaque jamais a la royauté. Et quoy que j'en vouluse couper les superfluetez & les excez, on ne peut pas dire, que j'arrache ce, que je tache de cultiver. Les couronnes me seront saintes sur des testes mesmes idolatres, & j'adore la marque de Dieu en la personne du grand

grand Cham & du grand Magor, i. e. Damno consilium Regum quorundam, nunquam verò ipsam majestatem impeto. Et licèt inde velim defalcare abundantiam & excessum, nemo dicere potest, eradicare me, quod colere volo. Diademata sancta mihi sunt etiam capitibus gentilium imposita, atque adorò divinum characterem in persona magni Chami & magni Magoris. Quamobrem boni subditi officium est, virtuosos optare Principes, ferre verò qualescunque, neque propter inane libertatis nomen mutationem præsentis Reip. concupiscere. *Si j'estoit fuisse,* inquit laudatus Balsac. 5. *Epistol.* 3. *je me contenterois d'estre compere du Rois, & ne voudroit point estre son sujet, ni changer ma liberte avec le meilleur maistre du monde. Mais puis que Dieu m'a fait naistre dans des chaisnes, je les porte gayement, & n'estant ny rudes ny pesantes, je ne veux point me gaster les dents, a essayer de les rompre, i. e. Si essem Helveticus, sufficeret mihi, si essem Regis compater, & nollem esse subditus suus, neque mutare libertatem meam cum optimo Domino, qui in mundo hoc est. Quia verò me Deus in catenis nasci fecit, porto eas libenter, & quoniam neque rudes sunt, neq; graves, nolo utique dentes mihi rumpere, dum illas rumpere tento.* Certè enim tanta semper Principum apud sapientes veneratio fuit, ut existimati sunt etiam ii graviter peccasse, qui fortuitò, nulla sua culpa vel voluntate illos læserunt: Sicut observat Thuanus, (*a*) Gabrielem Mongomerium, qui Regem suum Heinricum II.

in

(*a*) Histor. l. 51.

in ludicro certamine malâ fortunâ interfecerat, licèt ad hastiludium provocatus à Rege diu contra eum currere recusabat, tamen postea aliis quidem de causis, quæ prætendebantur, capite casum innocentem luisse. *Nam quod illi perduellionis affictum est, aut superioribus edictis aut data nuper fide remissum fuerat. Sed hoc impotenti Regentis desiderio condonatum, quæ hominem regiâ morte piacularem quavis ratione pœnæ dedi postulabat, ut hoc insigni exemplo omnes discant, solo casu, non tantum consilio nocentes effici, quicunq; vel imprudentes pernitiem Principibus attulerint.*

§. 10. *Nullus est.]* Non concedo hoc Grotio. De tota alienationis materia agendum in l. 2.

Quin ei resisti possit.] Scilicet, quando constat, Regem revera jam deposuisse imperium, tunc enim populus in naturalem redit libertatem eligendi quodlibet regiminis genus. Sed temerè in hac re nihil statuendum. Certissima signa adesse oportet ejuratæ potestatis, neque invalidis conjecturis agendum. Quid enim si Princeps populo persuadere conabitur acceptionem alterius imperii, non continuò abdicasse censendus est: quid si occultis molitionibus peregrinum sensim in solium evehere? Habet sanè hæc res multas difficultates, cùm subditus Principi, quamdiu imperium habet, resistere nequeat, & tamen illius abdicatio voluntatis sit. Hoc tamen concedo Dn. Zieglero, si peregrinus, cui Princeps subditos subjectos vult, abnuentes armis cogere incipiat, legitimus verò Rex non mo-

dò

dò nullam tuendi cives curam habeat, sed & conjungat cum altero potentiam & vires, posse populum, utpote ex omni parte derelictum, jure naturalis libertatis sui defensionem inire, quia is Rex esse nequit, qui populum cogit ad obsequium tertii.

Et si parentum in omnibus patri.] Confer eruditè hoc argumentum tractantem A. Gellium *2. Noct. Att. 7.*

§. 11. *In totius populi.]* Concedo hoc. Quid verò habendum, si Rex saltem non minimam populi partem perditam velit, jam diximus.

§. 12. *Sive ex felonia.]* Hoc non nisi in extraneo procedit, ut *ad c. 3.* §. pen. monuimus.

Ex clausula posita.] Hanc nullius momenti esse, suprà satis probavimus. Rex itaque hoc casu in privatam personam non recidit.

§. 13. *Rex partem.]* Si intelligit saltem limitatum habendi modum, verum non est, quod dicit. Quod si autem radicaliter aliquam imperii partem apud populum esse putat, ampliùs regnum non est, sed libera Resp. cùm unus non sit κύριος τῶν πάντων. Quod requiritur in Monarchia.

§. 14. *Dictum sit, ut certo eventu.]* Etiam hanc conditionem nullius momenti pronuncio: cùm Rex consequatur imperium à Deo, quod subditorum requirit obsequium, non resistendi facultatem. Nam evenienti illo casu vel Rex amittet imperium, vel subditi nequeunt resistere. Prius statuendum non est, quia solius Dei est, imperantem potestate exuere, nec humanæ subditorum conditiones ullam privationem importabunt, neque etiam voluntas Dei præsumenda est,

est Præsente verò majestate immediata mar
cives obsequii gloria.

§. 15. *Actus imperii, quos exercet.*] Disti
quendum imprimis videtur inter eum, qui lib
ram Remp. invadit, & qui regnum, expulso in
Rege, nondum tamen capto vel mortuo. Na
talis quin etiam in exilio retineat imperium qu
ad actum primum, dubio caret. Invasor, cù
Remp. liberam divicit, & sibi subjecit, omn
actus jure majestatico exercet, & propterea fi
mi ratique erunt. At qui regnum injustè pos
det, actus imperii à violento raptore usurpa
alii rati non sunt, quàm quos præsumpta veri R
gis voluntas legitimat, ut rectè & subtiliter h
Grotius, in quibus videtur potiùs minister reg
voluntatis esse, quàm egisse quicquam suo jur
Erunt itaque illi actus tales, qui magis neces
riam Reip. administrationem spectant, quà
qui pertinent ad raptorem in iniqua possessio
firmandum.

§. 16. *Videtur manere belli jus.*] Devict
hoc jus manere non videtur, sed potiùs pax su
conditione agnoscendi dominatum invasoris,
cundùm ea, quæ paulò antè diximus.

§. 18. *Diserta auctoritas.*] Rectè, in M
narchia enim subditis non licet ad hostes tran
re, etsi hi jam maximam regni partem occup
vere, nisi extincto Rege, & omnibus illis, qui j
succedendi habent. Licitum itaque cuilibet
subditis suasu & hortatu legitimi Regis occide
invasorem. Sed quid si jam populus sub condi
one fidelitatis in potestatem invasoris venit? a
hoc pacto domino vero præjudicabit? an etia
data

Digitized by Google

datam fidem violabit ſuperioris juſſu? Vehementer hîc hæſito. Puto tamen ſubditum extrema quæque potiùs pati debere, quàm rejecto veri Regis obſequio alteri jurare fidelitatem: Et utut fides data ſit, illam nullius eſſe effectus, quia principium intrinſecum deficit, & vitium durat in effectu. Duobus uno eodemque tempore plenarium civile obſequium præſtari nequit, Rex verò exul ſubditos obligatione fidei, quâ ſibi tenebantur, non ſolvit, quare illi nequeunt eandem alteri promittere, eodem ferè modo, quo jure civili poſterius contractum matrimonium nullius eſt momenti, propter defectum facultatis agendi. Poterit idcirco, non obſtante fidelitatis juramento, quod ob dictas rationes nullas habet vires, civis hortatu Regis ſui, cujus voluntas omninò exploranda, illegitimum dominum perſequi & trucidare. Diſſentit hîc à nobis *Clariſſ. Dn. Joh. Frid. Hornius, de Civit. l. 2. c. 11. theſ. ult.* qui exiſtimat, ipſa actuali invaſoris poſſeſſione & dejectione veri Regis imperium ad invaſorem transferri. Ita etiam ait: *Sive taceat pridem poſſeſſor, videtur imperandi facultatem donaſſe, ſive bello petat invaſorem, tamdiu retinet ille imperium in ſubjugatos, donec pari vi aut pactorum conditionibus amittat.* Verùm quicquid ſit, ſtat mihi ſententia, apud legitimum Regem exulem manere imperium, nec tranſire illud ad invaſorem priùs, quàm & ipſum imperantem ſibi ſubjecerit. Neque enim propterea, quòd populum ſub jugum miſit, imperium adeptus eſt, quod non apud populum ſed Regem fuit, qui in fidem invaſoris nondum venit. Neque

Deus censendus est, legitimum Principem ante realem subjectionem privare imperio voluisse, & illud in illegitimum invasorem conferre. Possessionem equidem & facti quandam usurpationem invasor habet alieni regni, non ipsum imperandi jus in actu primo. Quemadmodum dominus servi, quem alius ei eripuit, ut difficilis sit ejus persecutio, possessionem amittit, dominium verò retinet; ita quoque de Rege possessione imperii dejecto idem judicium sit: Quin & ex sententia Horniana hoc sequeretur iniquitatis, fas non esse subditis, legitimum dominum in recuperatione regni adjuvare, quia scilicet obsequium latroni violento debent. Neque juvat Hornium exemplum defectionis decem tribuum Israëlitarum. Hæ enim post mortem Salomonis nullum actu Regem habebant, sed scindebantur in electione à reliquis duobus tribubus. Rhehabeamus erat designatus Rex, non actu regebat. Populo verò Israëlitico jus quoddam electionis competebat, neque regnum merè hæreditarium in Judæa fuit. Sicuti neque hoc Hornio concesserim, si taceat pridem possessor, videri donasse imperandi facultatem, nisi alia voluntatis signa accedant, de quibus in l. 2. sola ad tempus taciturnitas non sufficit. Quid enim si Regi idoneæ vires & auxilia nondum adsint? Donasse censebitur? Neutiquam verò. Sed expectasse commodius tempus repetendi regnum suum. Idem quoque dictum velim de postnatis, si antecessor jus suum persequi morali necessitate fuit impeditus, neque ex actibus quibusdam voluntas derelinquendi colligi poterit. At hoc concedo.

igitized by Google

cedo. Si ipse Rex legitimus in invasoris potestatem venerit, amittere eum imperium & ad Victorem transferre, quoniam jure belli servus ejus factus, quicquid habet, domino acquirit. Aliud judicium est in populo libero, cujus volendi actus ab alio quàm se ipso non dependent. Hic & expresè & tacitè invasionem prædonis legitimare potest.

§. 19. *Malit invasorem.*] Quod si is, qui jus imperii habet, illud planè abdicatum velit, & in raptorem translatum, subditos nihilominus potestas manet libertatem tuendi. At ubi hoc casu semel in dominatum consensere, pœnitentiæ ulteriùs non datur locus, sed illegitimam occupationem consensus, quorum interest, honestam facit justamque. Interim hoc quoque affirmo, licere uni ex civibus, si invasori se nolit subjicere, salva fidelitate, quam prior Rex sibi antè debitam, tertio collatam vult, fines territorii mutare, & se alii jurisdictioni submittere. Invasori enim fidem non promisit, sed vero Regi, qui quoniam illa sibi remisit, jam liber ab omni obligatione est, suoque arbitratu sibi regiminis formam eliget, cui subsit.

§. 20. *Quia ejus imaginem.*] Moneta imaginem plerunque Principis præ se fert, tam ut se probam esse ostendat, quàm cujus sit, scilicet Cæsaris vel Regis.

CAPUT V.

QUI BELLUM LICITE GERANT.

§. 1.

Potestas publica, maximè summa.] Ita publicus civitatis ordo postulat. Bellum enim cùm non tantùm gentium quietem turbet, multas & penè infinitas clades omnibus, quos contingit, inferat, sed & totius Reip. salus vel exitium ab eodem dependeat, non indistinctè ab omnibus tractandum est: sed maximè prudentiæ ac curæ illius permittendum, quem ante omnes decet pro civium incolumitate sollicitum vigilemque esse. Hic verò in qualibet Rep. ille est, quem τὸ κύριον πολίτευμα singulari eminentia & splendore super cæteros evexit: Qui sapientibus viris circumdatus, perpensis utrinque rationibus, quæ vel concitare bellum vel remorari possunt, consiliorum maturitate tandem secum statuet, præstet ne gerere bellum vel omittere: quam deinde deliberationem sine scrupulosa inquisitione sequi convenit. Optima quæque de suo imperante judicabunt cives, & sive pax sive bellum placuerit, hoc ex salute Reip. maximè esse lubenter sibi persuadebunt, in utramque partem benevolo affectu collatis ad juvandam communem utilitatem viribus & ope, quantum quidem in ipsis est: Neque temerè corpora fortunasque suas bello gerendo subtrahent, nisi ad oculum injustissima Regis causa pateat: in dubio enim melius

melius esse & securius subditum parere, infrà videbimus. Sed & Imperantis officium erit, in tam gravi & importanti re nihil perfunctoriè egisse, sed omnia priùs utrinque ad severissimum rectæ rationis examen revocare, quam ut in partem alterutram inclinet. Nam neque semper pax satis tuta est, spernentibus exteris socordem patientiam, & in signum infirmitatis trahentibus, quod ex pio quodam & ab effusione sanguinis abhorrente animo profectum erat: Neque bellum omni tempore gerendum, cujus casus & eventus incerti sunt, pleniqúe sollicitudinis. Considerandæ autem imprimis Principi duo erunt, priusquam se huic præcipitio commiserit. Ut gerendum bellum & justum sit, & considerate suscipiatur. Injustitiam belli Deos hominesque adversos habere, quis est, qui nesciat? adeò ut quidam scribere haud dubitaverit; *iniqua bellantem bella salvum haud redire.* Quod licèt nimis rigidè dictum, scimus tamen justitiam non solùm à Diis juvari, sed & hominum sibi conciliare benevolentiam, & per hanc auxilia. Hinc nostro ævo videmus belligeraturos tot tantisque argumentis armorum suorum rectitudinem universo orbi approbare conari, qua in re non parum momenti situm esse haud ignorant. Præterea salva & erecta conscientia quantam animis nostris fiduciam implantet, lapsa verò turbataque quantum terrorem formidinemque inficiat, non opus est ut explicemus: quotidiana experientia quemque id docere optimè potest. At si ullibi, in bello certè bona illa vel mala alterutri certantium agmini ingens pondus ad victo-

riam aut cladem distribuit. Nam ut ille ait:

Frangit & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.

Et alius:

Causa jubet superos melior sperare secundos.

Legimus apud Livium, Samnites, cùm perpetuis cladibus à Romanorum exercitibus, quibus cum bellum gerebant, afficiebantur, siniſtro semper omine congredientes, in consilio consultasse super armorum infelici successu, omnemque hujus rei causam ad injustitiam belli retulisse, ac decrevisse unanimiter, si benignioribus Diis uti vellent, in omnibus satisfaciendum esse populo Romano. Dedêre itaque non tantùm res per vim ablatas, sed & ipsos rupti fœderis authores. Quos cùm Romani accipere nollent, Samnites purgatæ conscientiæ fiduciâ omnia sibi bona secundaque imposterum eventura augurabantur. Pontius Samnitium Imperator satis ferociter de hoc consilio sibi gratulatur, & futuram victoriam haud dubiè spondet, ita suam orationem finiens. *Proinde cùm rerum humanarum maximum momentum sit, quam propitiis rem, quam adversis agant Diis, pro certo habete, priora bella adversùs Deos magis, quàm homines gessisse: hoc, quod instat, Ducibus ipsis Diis gesturos.* Neque utique spem eventus fefellisset, si Pontius tam uti victoria, quàm vincere didicisset. Verùm quæ satis justa causa bello sufficiat, Grotius deinceps tractat, quod suo loco explicabimus. Alterum, quod in consultatione versari debet, est, ne temerè bellum inchoetur: utut justitiæ causa adsit,

non

non cœco tamen impetu arma involabimus, sed lentâ ac maturâ cogitatione ad id procedendum, unde, si te semel tanquam in puteum immiseris, facilis reditus non est. Scito. *Omne bellum sumi facile, cæterùm ægerrimè desinere, nec in ejusdem potestate initium & finem esse. Quod incipere cuivis etiam ignavo licet, deponi, cùm victores velint.* (a) Pondera ante omnia incertos fortunæ & Martis casus, & quàm exiguo interdum principio res humanæ mutentur. Deinde tuas adversariique vires, num his par vel superior probabiliter esse possis. Subditorum tuorum animos, tibi ne satis devincti sint, an in hostem magis propendeant: tum verò clades & incendia, necessarii bellorum comites, itemque, quid de vicinis sperandum Principibus, tibi ne an hosti tuo auxilio futuri sint, an quieti tragœdiam spectaturi. His omnibus & multis aliis jugiter ad maturitatem ventilatis generosa tandem sequatur voluntatis determinatio, ut rectoria prudentia optimum fuggessit. Et vel bellum geratur vel pax stabilietur, secundùm data alibi Politicorum monita.

Naturaliter quenquam.] Defendemus hoc contra Ziegl. *ad. l. 2. c. 20.* Interim concedo, satis leve esse argumentum à manuum usu desumptum. Cùm tamen unius rei plures possint esse fines, postquam probaverimus privatæ vindictæ rectitudinem, haud absurdè dici poterit, manus etiam nobis in hoc datas esse. Concedit Ziegl. hîc, manuum usum esse ad arcendam injuriam. Quidni & ad vindicandum? cùm implicitè hoc

(a) Sallust. in Bell. Jugurt.

riam aut cladem distribuit. Nam ut ille ait:

Frangit & attollit vires in milite causa,
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.

Et alius:

Causa jubet superos melior sperare secundos.

Legimus apud Livium, Samnites, cùm perpetuis cladibus à Romanorum exercitibus, quibus cum bellum gerebant, afficiebantur, sinistro semper omine congredientes, in consilio consultasse super armorum infelici successu, omnemque hujus rei causam ad injustitiam belli retulisse, ac decrevisse unanimiter, si benignioribus Diis uti vellent, in omnibus satisfaciendum esse populo Romano. Dedêre itaque non tantùm res per vim ablatas, sed & ipsos rupti fœderis authores. Quos cùm Romani accipere nollent, Samnites purgatæ conscientiæ fiduciâ omnia sibi bona secundaque imposterum eventura augurabantur. Pontius Samnitium Imperator satis ferociter de hoc consilio sibi gratulatur, & futuram victoriam haud dubiè spondet, ita suam orationem finiens. *Proinde cùm rerum humanarum maximum momentum sit, quam propitiis rem, quam adversis agant Diis, pro certo habete, priora bella adversùs Deos magis, quàm homines gessisse: hoc, quod instat, Ducibus ipsis Diis gesturos.* Neque utique spem eventus fefellisset, si Pontius tam uti victoria, quàm vincere didicisset. Verùm quæ satis justa causa bello sufficiat, Grotius deinceps tractat, quod suo loco explicabimus. Alterum, quod in consultatione versari debet, est, ne temerè bellum inchoetur: utut justitiæ causa adsit,

non

Digitized by Google

non cœco tamen impetu arma involabimus, sed lentâ ac maturâ cogitatione ad id procedendum, unde, si te semel tanquam in puteum immiseris, facilis reditus non est. Scito. *Omne bellum sumi facile, caterùm aegerrimè desinere, nec in ejusdem potestate initium & finem esse. Quod incipere cuivis etiam ignavo licet, deponi, cùm victores velint.* (a) Pondera ante omnia incertos fortunæ & Martis casus, & quàm exiguo interdum principio res humanæ mutentur. Deinde tuas adversariique vires, num his par vel superior probabiliter esse possis. Subditorum tuorum animos, tibi ne satis devincti sint, an in hostem magis propendeant: tum verò clades & incendia, necessarii bellorum comites, itemque, quid de vicinis sperandum Principibus, tibi ne an hosti tuo auxilio futuri sint, an quieti tragœdiam spectaturi. His omnibus & multis aliis jugiter ad maturitatem ventilatis generosa tandem sequatur voluntatis determinatio, ut rectoria prudentia optimum suggessit. Et vel bellum geratur vel pax stabilietur, secundùm data alibi Politicorum monita.

Naturaliter quenquam.] Defendemus hoc contra Ziegl. *ad. l. 2. c. 20.* Interim concedo, satis leve esse argumentum à manuum usu desumptum. Cùm tamen unius rei plures possint esse fines, postquam probaverimus privatæ vindictæ rectitudinem, haud absurdè dici poterit, manus etiam nobis in hoc datas esse. Concedit Ziegl. hîc, manuum usum esse ad arcendam injuriam. Quidni & ad vindicandum? cùm implicitè hoc

(a) Salluft. in Bell. Jugurt.

modo arceri videatur, ne ab aliis nostra lenitate deceptis paria pati necesse habeamus.

§. 2. *Nihil esse homini utilius homine altero.]* Fluit hoc ex connato, qui omnibus ratione præditis inest, societatis amore, quique ad mutuum nos auxilium atque conservationem impellit.

In quibus alienas injurias.] Ita *Ambrosius de officiis. Fortitudo, quæ per bella tuetur à barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena justitiæ est.*

§. 3. *Quale autem in familia est servus.]* Comparatio hæc quoad jus imperandi & obsequii plenitudinem procedit in omnibus. Sicut in servum dominus extra Remp. jus vitæ & necis habet, ita Princeps in subditos. Ut servus Domino obligatur ad omnia, quæ legi naturæ vel divinæ adversa non sunt; itemque tenetur amare dominum, commoda ejus promovere, damna & pernitiem arcere, ita subditi officium in iisdem consistit. Adstrictior interdum est servorum conditio, & liberior vivendi ratio in civitate. Sed hoc provenit partim ex bonitate Principis, partim initis quibusdam inter imperantem parentemque pactis, quæ rarissimè servo cum Domino intercedunt. Appositè hic Seneca.(a) *Si servo, quò minùs in nomen meriti perveniat, necessitas obest, & patiendi ultima timor. Idem illud obstabit & ei, qui Regem habet, & ei, qui Ducem. Quoniam quanquam sub dispari titulo paria in illos licent.*

§. 4. *Specialis lex arcet.]* Vel alia ratio civilis.

(a) 3. de Benef. 18.

vilis. Ita agrestes magis idonei militiæ, quàm urbicolæ. *Nam vernacula multitudo lasciviæ sueta, laboribus intolerans, quantò pecunia ditescit & voluptatibus opulenti, tantò magis imbelles.* Sic etiam vitæ genus antiquitus inspiciebatur. Et *piscatores, aucupes, dulciarios, linteones, omnesq; qui aliquid tractasse videbuntur ad gynicæa pertinens, longè repellendos à castris* arbitrati sunt veteres. Ut & *opificum vulgus, & sellularii, minimè militiæ idoneum genus. Conf. Forstner. ad Tac. 3. Annal. 46.*

Servos.] Item facinorosi, infames, rei, qui obtentu militiæ adversariis negotium facessunt, & alii multi, præsertim quos ætas excusat. *Vid. l. 4. §. 11. &c. ff. de Re milit. & tot. tit. C. Qui militare non possunt.*

Clericos.] De his jam suprà diximus. Videatur hîc Dn. Zieglerus.

FINIS OBSERVATIONUM IN H. GROTII DE JUR. BEL. ET PAC. LIB. I.

ΣΥΝ ΘΕΩ!

OBSERVATIONES POLITICÆ ET MORALES IN HUGONIS GROTII, De JURE BELLI ET PACIS

LIBRI II.

CAPUT I.

DE BELLI CAUSIS: ET PRIMUM DE DEFENSIONE SUI ET RERUM.

§. 1.

Ub ratione utilis.] Hæ plerun
que ſunt veræ bellorum cauſæ
Illæ verò, quæ movent ſub ra
tione juſti, ſæpiùs inanes & caſſ
prætextus. *Hinc plerung, ant
& ſub initia bellorum*, inqui
*Bœcl. ad Tac. 1. Ann. 1. an. 1
ſpecioſiſſimi ſanctiſſimiq; tituli
ſermonibus, rumoribus, ſcriptis vulgantur, in
quibus continentur meræ cauſæ juſtificæ bello
rum, ſed quæ reſpectu uſurpantium meri ſunt
pre-

Digitized by Google

prætextus. Nam cauſæ ipſæ ſuaſoriæ, (i. e. quæ movent ſub ratione utilis) quæ revera impulerunt ad ejusmodi conſilia & actiones ſtudioſè teguntur & diſſimulantur. Confer hîc Orationem Cardinalis Caraffæ apud *Thuan. Hiſtor. l. 17.* quam de bello Hiſpannis in Italia inferendo ad Regem Galliæ Heinricum II. habuit, ubi non ſine ſtupore miraberis, qui tam impius homo tam perditam cauſam ſanctiſſimis titulis ornare potuerit.

A belli principiis.] Ita principium belli civilis ab Octavio ſuſcepti erat exercitus collectio & diſcordia cum Antonio. Cauſa juſtifica, ſc. prætextus; ultio cædis paternæ. Vera cauſa cupido dominationis & occaſio invadendi Remp. per diſcordias & certamina potentiorum diſtractam.

Vos eſtis Romani.] Bene notat ad h. l. Dn. Zieglerus, Romanos ſemper quidē famam juſtitiæ obtinuiſſe, bella tamen illos manifeſtò injuſta geſſiſſe. Verùm quod ſubjungit, *nihil eſſe apertius, quàm ſi juſtitiam illi curaſſent, lupercal manſuram illam, quæ tantopere celebrata eſt, æternam urbem*, qua ratione ſequatur, non ſatis capio. Equidem mihi indubitatum eſt, poſſe gentem aliquam injuriis laceſſitam per vindictam jure gentium conceſſam imperii ſui terminos augere. Deinde quoque ſe dedentem populum à potentiore in tutelam ditionemque ſalva pietate recipi poſſe, æquè nullus dubito. Utroque modo Romanum populum lupercal ſuum ad auguſtiores limites promoviſſe nemo negabit, qui Romanas hiſtorias paulò accuratiore oculo inſpexit. Nihil nunc dicam de Virginum raptu,

in primordiis urbis conditæ, ob sequioris sexu penuriam contemptumque vicinorum perpe trato, quem tamen plerique etiam ex Theologi excusare solent. Volscorum, Æquorum, alio rumque populorum injustissimæ irruptiones i agrum Romanum, totque contra fœdera & fi dem datam defectiones & damna sæpiùs repeti ta, æquissimam dominationi viam aperiunt quando ab injuriam inferentibus nihil æqui con sequi licet. Quis insuper damnabit Campano rum se suaque dedentium acceptionem, qui in juriis pressi, & viribus Samnitium tantum non victi, in fidem potestatemque populi Roman concessere? Qua facta & accepta deditione mo destissimè Romani egerunt, mittendo legatio nem ad Samnitium imperatorem, expositum Campanorum deditionem, petitumque, ut subditis populi Romani bellum abstineat. Qui bus cùm ferociter sit responsum, ego sanè iati justas belli gerendi causas habuisse Romanos ar bitror, id quod postea ipsi quoque Samnite agnovere. Ut nunc taceam amplissima regna quæ per testamentum, humanum admodùm & indubitatum Dominii acquirendi modum adeptus est. Quemadmodum Attalus Asiam Nicomedes Bythiniam, Ægyptum verò Rex Ale xandrinus reliquere: quod agnovit etiam *Dn. Li mnæus, l. 1. Jur. publ. c. 9. n. 3. ubi* ait: *Populum Romanum talia regna ut alia omnia tribus po tissimùm modis assecutum. 1. Per justitiam belli cam, 2. per dispositionem testamentariam, 3. per voluntariam subjectionem.*

Injuria.] Quæ tres potissimùm speciei com-

Digitized by Google

comprehendit, ὕβριν, βλάβην, θάνατον. *Injuriam, damnum, cædem.* Quare Hypotamus Milesium putabat species legum tantùm esse tres, quoniam illa, de quibus lites oriuntur, tria solùm hæc, quæ commemoravimus, sunt, referente *Aristotele 2. Polit. 6.*

§. 2. *Ne fis fiat.*] Sed datur hoc interdictum turbato in possessione, & propterea ob injuriam factam, *ut rectè hic Dn. Ziegl.*

§. 3. *Jus hoc defensionis.*] Multa in hoc argumento à JCtis mediæ ætatis congesta absurdè videas, quæ nihil ad rem faciunt. Sicut quidam sunt, qui in moderamine inculpatæ tutelæ armorum paritatem requirunt. Ut si vis pugnis inferatur, repellatur etiam pugnis, si gladio, gladio, non sclopeto aut lapidibꝰ. Sed hi nō considerant, jus se tuendi competere unicuiq; ad vitæ periculum arcendum ab violentis invasoribus, quam vim quocunque modo arceam, nihil interest. Quid enim si quis fortissimus aut robustissimus homo me invadat pugnis, & jam cervicem meam ambabus ita cōpressam manibus habeat, ut continuò suffocandus sim, non licebit mihi pugione interficere latronem? & ita armorum imparitas me hostiam alienæ crudelitati destinet? Quid si me expeditissimus athleta gladio petat, adeò ut mihi, qui ea in arte rudis sum & infans, pereundum sit, sicubi ad manus decertando venerimus: Non potero vitam meam expedire periculo aliis armis, v. gr. sclopeto vel lapide? Non profectò existimo quemquam tantæ futurum insaniæ, qui in tali discrimine constitutum reprehendet, quocunque modo salutem quæsiverit.

Est

Est enim hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, legimus, accepimus, sed ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. (a) Simile judicium de fuga facio, censeoque, non obligari jure naturæ fugere eum, qui ab insidiatore petitus salutem suam defendere vult, neque aliud facit, quàm ut porrigendo gladium vim injustam à corpore suo propellat: in quem si nefarius homo incurrit, profectò eum, qui in sui defensione mansit, non magis homicidii reum existimo, quàm qui furibus januam domus suæ non aperit, in quam hi capite tamdiu involant, donec eo elisso exanimentur. Nescius quidem non sum, quid Constitutio Carolina Criminalis sanciat, nec dubito, legislatorem subditos ad tutam fugam obligare posse, idque etiam charitatem Christianam certo modo velle. Jus autem naturale hac de re nihil omninò præcipit, sicuti nec de multis aliis cautelis, quas deinde DD. irritum exercendo ingenium confusa audacia præscripserunt.

§. 4. *Multò apud eam minor est.*] Intelligit τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν. In quibus tanquam subjecto proprio appetitus socialis non est, cùm illa naturæ prima potiùs sui quàm alterius conservationem intendant.

Planè id non permittit.] Quod si tamen jus hoc defensionis *per se ac primario nascitur ex eo, quod natura quemq; sibi commendat, non ex injustitia aut peccato alterius, unde periculū est:* ut

(a) Cicer. pro Mil.

ut §. 3. Grotius notavit; videtur sanè lex dilectionis diversum in impedientibus fugam & furioso vel dormiente non statuisse, cùm utrobique eadem militet dilectionis ratio, & invincibiliter errans omni modo pro innocuo habeatur. At Grotius videtur salva Christiana dilectione concedere occisionem furiosi, si quis ab eo se alio modo expedire nequit. Quare etiam, si alia via salutis non suppetit, ex hoc fundamento impedientium cædem probaverim.

Quiddam primariò intentum.] Primariò enim intenditur defensio sui, secundariò verò demum invasoris occisio, tanquam unica, quam habet, salutis via; Quare non multum sibi gratulari de victoria debet, qui se defendit, sed cum luctu potiùs & lachrymis alterius infortunium malitiamque prosequi, quàm occiso petulanter insultare.

§. 5. *Ametu.]* Quem in sensum ab eodem Cicerone metus dicitur *malus ille diuturnitatis magister.* Et *nullam vim imperii tantam esse, quæ premente metu possit esse diuturna. Quia quem metuunt, oderunt, quem quisq; odit, perisse expetit.*

Aliter evadi periculum potest.] Quid si alia ratione evadi nequeat, & certum sit non tantùm ante oculos exitium, sed & intendentem permansurum in ea voluntate. Putat Dn. Ziegl. omnem rei eventum Deo permittendum. Ego defensionem sui admiserim, adeò ut liceat in dato Ziegleri exemplo uxori ficam, quam maritus ad cædem sub pulvinari habet, arripere, & illius morte prævenire præsentissimum periculum.

lum. Quid enim interest inter violentum aggressorem, & eum, qui insidiis occultis obfirmatoque animo, quod omninò præsupponendum, mortem alterius destinavit, cùm occidendus nullo planè modo evadere aut Magistratui periculum aperire possit. Procedunt tamen hæc in uxore, cujus maritus vivit sub Rep. hoc enim casu potestas maritalis per superiorem civilem plerunque extinguitur. Aliàs sicut subditus invasorem Imperantem occidere nequit, ita nec uxor maritum extra civitatem, qui domestico imperio familiæ præest. In aliis casibus, ubi neuter in alterum habet potestatem, faciliùs procedit occisio, quàm summa necessitas & ad scelus obstinatus invasoris animus maturavit.

§. 6. *Occidi recte posse.*] Bene. Cùm occisus suæ malitiæ & improbitati imputare debeat, quòd desierit vivere. Nec alter teneatur instar ovis expectare membrorum suorum mutilationem.

§. 7. *Controversiam vix habet.*] Dissentit hîc Dn. Ziegl. propterea, quòd pudicitia sit bonum animi nulla externavi eripiendum: quomodo non ab omnibus Lucretiæ factum probatur, quæ à Tarquinio violenter constuprata amissæ pudicitiæ vindictam in se ipsam exercuit. De qua ita lusit Owenus, Poëta Anglicus.

Si fuit ille tibi Lucretia gratus Adulter,
Immerita ex merita præmia morte capit.
Verùm si casto vis est illata pudori,
Quis furor, alterius crimine velle mori?
Laudē igitur nullā captas Lucretia, namq;
Vel scelerata cadis, vel furiosa ruis.

Quod

Digitized by Google

Quod noſtrum caſum attinet, ego diſtinguerem inter eum, qui actu inferre vult corpori vim, & qui jam intulit. Hunc occidi poſſe nego, ſed ad pœnam Magiſtratui tradendum opinor. Ille verò, qui voto ſuo nondum potitus eſt, ſed neque querelis neque minis deterreri à propoſito poterit, rectè occiditur, cùm uxor tutelarem gladium vel cultellum homini impio opponat, in cujus erit arbitrio, ſe ipſum hoc transfigere, aut per omiſſionem ſceleris vitæ ſuæ conſulere. In quem deinde ſi furioſus irruat, nihil eſt, quod mulieri imputetur.

§. 8. *Laudabilius tamen.*] Etiam de hoc dubito. Nam generale Apoſtoli effatum, eum, qui ſibi ſuisque non proſpicit, pejorem eſſe gentili, hûc quoque porrexerim. Ex mea enim cæde uxori liberisque ingens detrimentum afferri, nemo neſcit. Deinde malè facio, dum hâc tam facili permiſſione Reip. me civem ſubtraho, ſine ullo redundante commodo. Denique quivis obligatus eſt vitam ſuam omnibus licitis modis tueri; Quantum verò diſtat is, qui cùm ſe poſſet ſervare, non ſervat, ab illo, qui aſſumptis medicamentis vitam protrahere recuſat, & hîc deinde ab eo, qui ſe ipſum interficit? Neque mihi aliquis objecerit periculum ſalutis invaſoris. Morali enim æſtimatione periculum non eſt, in quod quis ſe ſciens protervè præcipitavit, & poterit ille, qui occiditur, adhuc pœnitentiæ ſpatium habere, cùm rarò quis tam properanter moriatur, quin poſſit aliquam delictorum ſalutisque æternæ habere conſiderationem.

§. 9. *Quia invaſoris vita?*] Hæc non eſt

adæquata ratio. Quid enim si vita Regis invaso
ris multis utilis non sit? quod in Tyranno cert
evenit, qui hostili animo ad pernitiem civiu
fertur, quem tamen licitè non occidi suprà pro
bavimus. Ratio igitur vera est præsentia maje
statis in invasore, propter quam tanquam invio
labilem notam securus est, non secus ut parrici
da Cainus, quem Deus singulari signo à perse
cutione & pœna fratricidii tutum præstitit. *Con*
Dn. Ziegl.

Nisi lex id statuat.] Imò verò ne lex qui
dem Principi eripere potest, quod à solo Deo ha
bet, imperium. A quo enim illa lex lata esse de
buit? Si intelligis conditionem ab eligentibu
imperaturo propositam, in quam ille consensi
jam supra diximus, clausulam imperii commisso
riam nullarum virium esse. Si ipse Princep
hanc sibi legem dixit, res eventu caret, quia ex
auctoratio Principis subdito, quamdiu subdi
tus est, non competit, propter positionem im
perii in Principe, & negationem juris coactio
nis in subdito. Universalissimè verum est, quam
diu Princeps majestatem habet, neque judicium
neque pœnam in eum civem rectè exercere
cùm sit contra civilem ordinem & naturam ipsi
us majestatis judicari ab inferiore.

Cujus utilitas in aliqua parte.] Sic non
statim deficit matrimonium, quando ob exter
num aliquod impediens sobolis generatio sus
penditur.

§. 10. *Accipienda alapa.]* Illud ego tamen
asseveraverim, posse me gladium vel sicam ad
defensionem corporis objicere ei, qui mihi ala
pam

pam est inflicturus. In quæ arma si cœco impetu incurrat, nihil peccaviſſe videor, qui ne manum quidem ad alterius læſionem ſuſtuli, ſed ad evitandam contumeliam gladium terroris magis causâ, quàm interficiendi animo oppoſui. Quid enim, ſi mihi minaretur, ni paterer me plagis lubens affici, ſe propria manu ipſum continuò interfecturum? An ob hanc interminationem obligatus ero injuriis faciem exponere? Non puto. Non pejori jure occiſus videbitur, qui incredibili inſania gladium adverſum incurrit, quod malè faciendi non habeat licentiam, quàm qui ob eandem cauſam ſibi violentas manus intulit.

Cavere à dicto Covarruvia.] Covarruviam defendit & explicat *Dn. Ziegl. h.*

§. 11. *Ad res conſervandas.]* Receperat Grotius agere in hoc capite de injuriis nondum factis; In hoc autem §. promiſcuè tam de re furto auferenda quàm ablata inſtituit tractationem. Nobis non parùm intereſſe videtur. Equidem illum, qui res meas mihi eripiendas venit, gladio & quibuscunque aliis modis arceri poſſe, cur dubitem, rationem nullam habeo. Vim enim nullam infero, ſed in ipſius furis erit arbitrio abſtinere domo, periculumque aufugere, quod ſibi ipſi apparare intendit. Mihi ſanè vitio verti non debet, lapidibus vel alio medio domus introitum me tutatum. Concedit inſuper Dn. Zieglerus *poſſe patremf. τριβόλους ſeu muricas ferreos ad ladendos ſeu irretiendos fures in terram defodere aut alia offendicula ponere*, ex quibus profectò non rarò mors ſequi ſolet, interdum & innocen-

tum, quando aliquis sine dolo fortuitò ad ej
modi locum delatus fuerit, ubi hæ insidiæ
terra latent. Cur itaque licitum erit talia
fendicula ponere, in quæ & vir bonus incid
possit? Et non liceat gladio domum tueri,
semper in nocentem stringitur? Et quid si fur
hi sub sui occisione præciperet, ut aperiam
mum, resque auferri sinam? Non tenebor, c
stimo, hominum malitiæ indulgere, neque
lum crimen in me derivabitur, si fur fanati
motu propter repulsam sibi nocumento fue
De re jam ablata, quam dominus persequitur
vel cum nece ejus, qui abstulit, recuperare v
quæstio est altioris indaginis. Grotius & alii,
occisionem non permittunt, inæqualitatem
& vitæ humanæ cum dispendio æternæ salu
nonnunquam conjunctæ objiciunt, & non ali
licitè furem perimi posse statuunt, quàm si se
posuerit inquirenti domino. *Vid. Rosbach. P*
cess. judic. tit. 26. n. 6. & ab eo alleg. Quæ lir
tatio mihi ex omni parte non probatur. Prin
enim licere aliquem propter delictum in for
næ bona externa commissum vita privare, ne
nem negaturum arbitror, qui & bella inter su
mas potestates ob res raptas nec redditas, & si
pensionem furum à legitimo Magistratu facta
considerabit. Imò ille modus, quo bello res rep
tuntur, hoc crudelior est & magis sanguinole
tus, quò & plures in consortium delicti pœn
que trahit, & insontes non rarò nocentibus
volvit. Et tamen quin salvâ conscientiâ q
ita bene agat, Grotius quoque & alii dissenti
tes concedunt. Neque quisquam mihi dixe
h

Digitized by Google

hoc jure gentium fieri ; nam gentium jus conclusiones suas ex jure naturæ elicit, ut impossibile sit, id, quod vero jure gentium licet, juri naturæ adversum esse. Quo posito nunc principio ulteriùs infero , privato quoque licere res suas à fure salvare cum occisione ejùs, si ordinaria ad illas recuperandas cessant judicia. Cessant verò illa vel perpetuò vel momentaneè. Perpetuò cessant in illo, qui nullius imperio subiectus est: Talis enim sibi ipsi jus dicere non prohibetur, sicut aliæ personæ publicæ, quoniam quem imploret, superiorem habet neminem. Ut rem magis manifestam faciam, sunto tibi duo mercatores per maris tempestates in desertam quandam insulam naufragio delati, qui, cùm spes evadendi nulla sit, decrevere ibi figere sedes, & per diversam insulæ partem suum quemque victum alimentaque quærere. Evenit, ut alter in alterius ditionem frequentes incursiones faciat, & res inde per raptum violentiamque auferat; Pars læsa profectò, sicut potuisset justo bello, si hominum adesset copia, injurias suas & damna vindicare, ita quò minùs ipsi liceat raptorem in facto deprehensum vel jam aufugientem ad ablata recipienda interficere, non video, cùm hic modus videatur esse magis humanus, qui sontem absque promiscua sanguinis humani effusione supplicio afficit. Momentaneè cessant judicia, ubi Judex statim adiri nequit, & periculum est, ut res à fure fortè ob tenebras ignoto auferatur. Tunc iterum raptorem licitè occidi tam divinæ quàm humanæ leges constituere. Sic legimus Exod. 22, 2. *Si in effossione deprehensus fur ita*

percutiatur, ut moriatur, ne reus cadis esto percussor; si jam dies illuxerit, tunc enim reus cadis erit. Non est, quod opinetur quisquam, permitti saltem hanc actionem non probari. Rectè enim Grotius inquit, *omninò videri hanc legem tam accuratè distinguentem non solùm impunitatem induxisse, sed jus etiam naturale explicasse.* Quia scilicet naturæ jure privata vindicta licita est, & tantum non præcepta. Ita quoque in legibus 12. *Tab.* illud extat à legibus Atticis profectum. *Si nox furtum faxit, si im aliquis occisit, jure cæsus esto.* Accedit etiam in privato, qui sub Rep. vivit, specialis ratio, quæ eædem legitimare potest, quoniam scilicet occidens videtur hoc facere authoritate publica, non secus ac alius quis justitiæ communis executor. *Conf. Ziegler. ad h. cap. §. 14. verb. nisi in criminibus &c.* Neque ad rem facit objectio, in executione publica reum habere tempus resipiscendi. Respondeo ex Grotio, (a) *ipsi furi ante mortem posse ad pœnitentiam spatium supereſſe.* Sed neque in omni executione publica tale tempus semper conceditur aut attenditur, ut e.gr. in bellica. *Deinde morali judicio non videri æstimandum illud periculum, in quod ipsum se quis conjiciat, & unde se potest eximere.* Ad quæ verba ita commentatur Dn. Ziegl. *Vita spiritualis proximi anteponenda est vitæ corporali meæ, quando hæc necessaria est proximo ad suam beatitudinem & vitam spiritualem. Atque proximus nos impetens sine jactura vitæ nostræ corporalis suam potest habere & tueri vitam spiritualem.*

(a) L. 1. c. 3. thes. 3.

tualem. Dum igitur ex mera nequitia vitæ meæ insidiatur, & ipse nequiter nolendo desistere in periculum animæ se conjicit, non teneor ego nequitiæ illi vitam meam exponere, sed possum per moderamen inculpatæ tutelæ aggressorem repellere. Totidem verbis possem ego hoc meo applicare proposito. Vitam scilicet proximi spiritualem anteponendam nostris fortunæ bonis, quando necessaria essent ipsi ad eam consequendam. Jam cùm ex mera petulantia res nobis auferat, & beatus fiat absque ablatione rerum alienarum, me non teneri nequitiæ illius per meam jacturam consulere, sed, si res aliter recuperari nequeat, vel per mortem auferentis licitè eam adipisci: Et sibi ipsi furem imputaturum, qui maluit mortis subire periculum, quàm ablata abjiciendo sistere persecutionem domini. Nam hoc libenter concedo, si fur relictis rebus fugiat, privato, qui sub Rep. est, ulteriorem persecutionem denegandam, nisi quatenus potest tutò apprehendi, & ad pœnam Magistratui tradi. Video, quid hîc objici soleant. Inter vitam scilicet temporalem & alias res non esse æqualitatem. Respondeo, neque hoc principaliter considerari, sed potiùs plecti nequitiam raptoris. Sicuti neque inter suspendium furis & res furtivas est paritas, & tamen justitiam pœnæ sapientissimi quique propugnant. Deinde res quoque interdum tales auferuntur, sine quibus neque vita commodè duci potest, neque facilè aliæ recuperari: in harum itaque tuitione etiam vitam ipsam tutatam existimari.

§. 12. *Nec hoc nec illud.*] Imò hoc spectasse,

valdè probabile est. Nam neque in lege Hebræa neque Romana talis additur clausula, *si Dominus propter rerum suarum recuperationem adducatur in vitæ periculum.* Sed simpliciter permittitur furis nocturni occisio. Imò ex lege Romana expressè elicitur contrarium. Illa enim permittit quoque furem diurnum occidere, *si se telo* defenderit. Nocturnum verò indistinctim, sive se defenderit, sive non: quia enim hic faciliùs cum rebus ablatis evadere, & sic publicam Magistratus animadversionem evitare potest, data est persecutori facultas tanquam legitimè condemnatum supplicio afficere. Diurnus autem & nosci facilè, & per implorationem auxilii vicinorum capi potest, ut lex hîc non necesse habeat, privato extra ordinem permittere, quod secundùm ordinatam Reip. institutionem ad personas publicas pertinet.

Cum perfossorio instrumento.] Utut cùm tali occisus reperiatur instrumento, præsumendum potiùs, furem eo usum ad ædium cistarumque effractionem, quàm ad impugnationem persecutoris. Et non peccat in dictas leges, qui furem etiam omni instrumento, quo se defendi possit, destitutum interfecerit. Ut nunc taceam, furum instrumenta perfossoria communiter ita esse fabrefacta, ut propter exiguitatem non tam ad vim in homines faciendam, quàm aperienda recondita apta sint.

Præsumptio.] Hæc præsumptio ex lege non sequitur, sed ratio diversitatis est, ut dixi, quòd faciliùs nocturnus fur possit evadere.

Si parcere ei.] Hoc potiùs pro nobis est: occidi

occidi scilicet furem non tanquam sicarium, sed raptorem. Nam si occidi non potest, si ei parcere possumus sine periculo rei servandæ; Sequitur, ubi periculum rei amittendæ est, ipsum posse occidi propter rei ablationem, etiamsi se telo non defenderit.

Cum clamore.] Hoc non obstat, quò minùs dicamus furem propter ablationem rerum occidi. Clamor enim propterea requiritur, tum ut testes ciet legitimæ actionis, tum, ut si possibile sit, fur potiùs capiatur, quàm occidatur.

§. 13. *Nam si tunicam.]* Locum hunc explicavit *Dn. Ziegl. ad l. 1. c. 2.*

Et spes sit.] Non cohærent hæc, sicut etiam Dn. Ziegl. rectè observat. Dicit Grotius, si res recuperari sine cæde possit, rectè recuperari, sin periculum sit faciendæ cædis, omittendam potiùs. *Nisi* (hæc proponit per exceptionem) *fortè talis aliqua res sit, ex qua vita nostra & familia nostra pendeat, quæ, judicio recuperari nequeat, fortè quia fur sit ignotus.* Propter hanc igitur exceptionem expectabit lector assertum, posse tali casu furem occidi. Quare malè subjungitur, *& spes sit aliqua, rem sine cæde abituram.* Nam de hoc etiam antè dixerat, & non opus fuisset aliqua exceptione, quæ idem ponit cum regula.

§. 14. *Ut id ab omni culpa sit liberum.]* Legem Hebræorum Grotius *supr. l. 1. c. 3. thes. 2.* non solùm externam impunitatem, sed & internam animi puritatem tribuere asseruerat. Cum qua quia plenè convenit Romana lex, dicendum erit, non minùs subditum huic quàm illi le-

gi absque ulla conscientiæ læsione in furis occisione obsequi. Alias ἐν δέοντι verum est, non semper leges cum licentia externa ponere interiorem sanctitatem. *Dn. Ziegl. h.*

Lex jus necis non habet.] Non concedendum hoc Grotio est. Probavimus nos in superioribus, posse legislatorem quodvis crimen capitali pœna proscribere. Quare hîc actum agere nolumus. *Vid. not. nostr. ad l. i. c. 4. thes. 7.* Quæ si vera sunt, ut sunt verissima, valdè probabilis Scoti sententia non est, *fas non esse quenquam ad mortem damnare, nisi ob delicta, quæ lex per Mosen data morte punivit.* Quia sicut summus Deus legislator Reip. Israëliticæ vi suæ potestatis hæc vel illa crimina differenti pœna puniri voluit, ita etiam quilibet terrestris legum conditor in sua civitate jus ab ipso Deo, cujus vicarius est, concessum habet determinandi pœnas, cùm institutis Judaicis extra Judaismum neminem obligare Deus voluerit. Id quidem exinde deducitur, delinquentes debere puniri; quo verò supplicii genere, id cujusvis Principis arbitrio relictum est, extra illa crimina, quæ Deus universalissimo mandato ad certam pœnam determinavit, ut est homicidium.

§. 15. *Singularis dimicatio.*] Dn. Zieglerus ad hunc locum omnia duella improbat. Mihi longè aliter videtur. Primò enim sicut à Rebusp. justum piumque bellum geri potest, ita etiam à duobus privatis nullius imperio subditis ex iisdem causis non minùs rectè duellum suscipitur: quia quod juris Resp. habet in alium ad vindicandam injuriam, idem habet, (extra singulares

quos-

quosdam jurisg. effectus, privatus quoque, qui sui juris est, vel in alium privatum æquè liberum, vel Remp. Deinde si duæ summæ potestates inter se bello collidantur, remque sine promiscua cæde transigere velint, atque in hanc rem eligant ab utraque parte unum vel plures, qui vicem certaminis totius exercitus suscipientes inter se hac lege congrediuntur, ut victorem partem belli quoque sequatur victoria, hanc dimicationem singularem ab iis, qui pugnæ destinantur, piè subiri, & à bellum gerentibus bono jure proponi posse, electosque ad illam cogi tanquam ad justam pugnam, non est quod dubitemus. Imprimis verò hoc certaminis genus utile esse putatur, ubi dubium est, cui potissimùm parti justitia belli adscribenda, vel altera morali æstimatione longè inferior est suo hosti. *Vid. Grot. l. 2. c. 23. thes. 10.* Ita apud Livium controversias inter Tullium Metiumque composuere Horatii Curatiique. Memorabile etiam exemplum singularis dimicationis apud Guicciardinum, *Histor. l. 5.* legimus. Tredecim scilicet Itali, totidemque Galli cum consensu & authoritate Imperatorum suorum inter se certamen inivere: quod si potiùs ad bellum finiendum, quàm inanem virium ostentationem & utriusque nationis infructuosam gloriam fuisset susceptum, nollem illud admodùm improbare. Ex quibus constat, & omne duellum indistinctim non esse condemnandum, sed illud demum, quod fit inter eos, qui alienæ potestati subjecti sine hujus consensu lites hoc modo dirimunt, quas possent æquiùs coram judice disceptare: & pluribus quàm duobus

bus modis posse contingere, ut à privatis sin peccato susciptatur singularis dimicatio.

Si Rex aut Magistratus.] Ita uterque reu in alterum constituitur executor justitiæ su conditione, ut victori condonetur vita.

15. *Minùs rectè.*] Quoniam secundùr justitiæ rationem in utrumque æquè nocenter animadvertere debuisset; Et non facilè Magi stratus ex duobus, qui mortem meruere, unum eximere pœnæ debet, ut ludicrum fortè oculo rum inde spectaculum habeat.

Sorte eligi.] Non placet hoc Dn. Zieg *quòd sortitio in ultimis supplicijs non facilè ad mittenda sit, nisi ubi integra universitas punie enda fuerit.* Ego non video, ubi indubitatis te stimoniis constat, omnes ex universitate æquali ter delictum participi passe, cur tunc magis sorti tio justitiæ conveniat, quàm cùm inter paucos si peccati communicatio? Non enim jam quæri mus, quid magis utilé sit & consultum, sed qui justitiæ propiùs accedat, quæ vult æquè crimi nosos æquali affici pœna, quanquam hoc liben ter concedam, rarò admodùm omnes ex univer sitate indifferenter participare crimen.

§. 16. *Nam in privato bello.*] Neque ho de omni privato bello verum est. Patrisf. bellum in alium, quorum neuter superiorem agnosci Grotio publicum non est, & tamen jus in eo non est momentaneum, sed minorem tractum non habet, quàm illud, quod publicum vocatur. Ju igitur in bello, ut communiter capitur, momen taneum non reperitur, sed potiùs in legitima sui rerumque suarum defensione.

A

At publicæ potestates.] Non solùm hæ, sed quilibet alius, qui superiorem potestatem non recognoscit, ex jure naturæ & ulciscendi injurias & defendendi se suaque facultatem habet, ut Grotius *l. 2. c. 20.* explicabit.

Licet prævenire.] Præbet mihi Grotius his verbis occasionem inquirendi in celebrem illam quæstionem, meliùs ne sit & magis è Rep. hostem præveniendo in suo adoriri, an eundé expectare assilientem nos in nostro imperio ? quam in utramque partem ventilatam antiquitus & hodienum quoque rationes utrinque prægnantes cum exemplis admodùm faciunt dubiam. Illi, qui hostem expectandum censent, rationes suas adducunt & exempla. Istas, quòd aggressorem expectando tibi non contemnendam in belli statim principiis comparare possis boni eventus spem aditumque, dum præcipua tui regni loca munitionesque occupas, ad impediendum invadentem, ne victum pabulumque sufficiens per tuam terram ad exercitum suum devehat. Quæ sola interdum rerum necessariarum in alimenta inopia potentissimos dissolvit exercitus. Deinde in tua terra locorum situumque longè meliorem habebis cognitionem, qua duce facilè adversarium in insidias cladesque præcipitabis. Poteris interim minori cum difficultate & unire tuas vires, & ruptas profligatasque reparare in justum exercitum, quoniam pulsæ tutissimum à tergo habebunt receptaculum, in quod confugiant, cùm apud hostes quemlibet jure timere debeant. Neque huic sententiæ exempla deficiunt. Ita adducunt Athenienses, quibus domo-

domestica bella prospera evenere, in aliena egressis fuga exitiumque documento fuit infelicis ambitionis. Q. Fabius Maximus in celebri illa apud Livium (*a*) disceptatione cum Scipione Affric. ita de hoc exemplo & alio recentiori loquitur. *Dies me deficiat, si Reges Imperatoresque temerè in hostium terras transgressos cum maximis cladibus suis exercituumque suorum enumerare velim. Athenienses, prudentissima Civitas, bello domi relicto auctore aquè impigro ac nobili juvene magna classe in Siciliam transmissa una pugna navali florentem Remp. suam in perpetuum afflixerunt. Externa & nimis antiqua repeto. Affrica eadem ista & M. Attilius insigne utrimque fortunæ exemplum nobis documento sint.* Legimus etiam apud Justinum: (*b*) Tamirim, Scytarum Reginam, fortissimam fœminam, cùm prohibere Cyrum, bellum ei inferentem, *transitu Araxis fluminis posset, transire permisisse, & sibi faciliorem pugnam intra Regni sui terminos ratam, & hostibus objecto flu-minis fugam difficiliorem.* Pertinet hûc quoque antiqua Poëtarum fabula, qui Anteum, Libiæ Regem tantisper ab Hercule superari nequisse tradunt, quamdiu terram matrem suam corpore contingens in pristinum robur redire potuit. At ubi Hercules causam repetitæ sæpiùs potentiæ subodoratus strictissimè ambabus compressum in altum è terra sustulit, nullo negotio occlusis spirandi meatibus interemptum. Hac venusta parabola veterum sapientia monuit, bellum

(*a*) Lib. 28.

(*b*) L. 1. Histor. c. 8. Conf. Herod. Histor. l. 1.

lum in propria terra tanquam sua matre gerendum esse, quæ filias renovatis sæpiùs viribus instruere possit. Quicunque autem aliena ingrediuntur, eos velut parentibus orbos, consilii omnisque rei indigos cum abrupta potentia brevi interituros. Disceptatum quoque Florentiæ superioribus seculis super hac re fuit, cùm Philippus II. Lombardiæ Dux Reip. multis modis suspectus fieri inciperet. Suasitque Johannes Medices, *che quando bene si fusse certo della mala mente del Duca, era meglio aspettare, che ti assaltasse, che farsegli in contro con le forze. Perche in questo caso ci si era justificata la guerra nel conspetto de Principi di Italia dalla parte del Duca come dalla parte nostra. Ne si poteva animosamente dimandare quelli ajuti, che si potrebono, scoperta che fusse l' ambitione sua. Et con altro animo & con altre forze si diffenderebbono le cose sue che quelle d' altri i. e. Præstare omnino, etiamsi de malo in nos Ducis animo certi simus, assilientem expectare hostem, quàm ultrivibus armis prævenire adhuc quiescentem. Hoc enim modo causam belli in oculis Principum Italiæ ab utraq; nostra & Ducis parte justificamus. Neq; possumus tam confidenter petere ea auxilia, qua petemus, cùm ambitio ejus jam omnium odium incurrit. Alioq; sanè animo, aliisq; viribus defendi res suas, quam alienas.* (*a*) Rationes, quæ in hostili terra bellum geri volunt, sunt hæ. Primò, quòd ille exercitus, qui alterum assultat, non possit non confidentiori animo esse, quàm qui ambigua trementique spe molitiones adver-

(*a*) Machiavell. Histor. Flor. l. 4.

sas

sas excipit : ab erectis verò militum spiritibus quantum victoriæ momentum dependeat, nemo nescit. Deinde inferens bellum hosti multa emolumenta tollit, quibus aliàs uti posset. v. gr. quòd subditos spoliatos aut captos ampliùs bello adhibere nequeat, aut ab iis pecunias exigere, quibus præter vitam nihil ab hoste relictum est. Accedit, quòd Princeps, qui in defensionis manet terminis, subditos ultra modum gravare non audeat, ne & ipsi injuriis exacerbati ad nova inclinent animum, vel uno velut ictu exhausti bello sustinendo impares fiant, cùm altera pars haud exiguum alendi exercitus juvamen ex hostili capiat : quare in suprà allata Florentinorum consultatione adversa pars censuit, *che non era d' aspettare il nimico in casa, ma di andare a trovare lui, & che la fortuna e piu amica di chi assalta, che di chi si difende. Et con minori danni, quando fusse con maggiore spesa si fa la guerra in casa altri, che in casa sua. i. e. non esse exspectandum domi hostem, sed eundum contra : Fortunamq; ei magis amicam esse, qui assilire alium vult, quàm qui se defendit ab injuriis. Et cum minori damno, licèt interdum majoribus impensis, geri bellum in alieno, quàm domi.* Denique, quòd virtus roburque militum in hostico magis magisque excitetur, utpote quibus continua sollicitudine vigiliisque exercitatæ manus & arma erunt: cùm in tuo defides satis putaverint hostem arcuisse. Hæ potissimùm rationes sunt, quibus accedunt & exempla. Ita Crœsus suadebat Cyro, invadere potiùs Tamirim, quàm ut illam expectare

velit. Quippe quando succubuisset Rex, iturum regnum deperditum. At si extra fines infortunium acciderit, adhuc esse spatium virium colligendarum. Hannibalis perpetui juratique Romanorum hostis ab Antiocho de bello contra Romanos gerendo consulti *sententia una atque eadem semper erat. Ut in Italia bellum gereretur. Italiam & commeatus & militem præbituram externo hosti. Si nihil ibi moverentur, liceatq; populo Romano viribus & copiis Italiæ extra Italiam bellum gerere, neq; Regem neq; gentem ullam parem Romanis esse.* (a) Cùm finito bello Punico II. populus Romanus id in Philippum Macedoniæ Regem translatum cuperet, Sulpitius Consul occupandas censuit Regis molitiones, adducto & superiori bello Punico, quod maxima Romanorum clade in Italia gestum, & Pyrrhi Epirotarum Regis expeditione, quem majores eorum, cùm facilè in Græcia detinere potuissent, ultorem gravissimum infelicis socordiæ in Italiam admissum sensere. Scipio in Oratione, qua Fabio respondet dissuadenti bellum in Affrica habendum inter alia & hæc ponit. *Multum interest, alienos populere fines, an tuos uri excindiq; videas. Plus animi est inferentis periculum, quàm propulsantis.* Ipse Annibal milites suos contra Romanos pugnaturos ita animat. (b) *Inferimus bellum, infestisq; signis descendimus in Italiam, tantò audaciùs fortiùsq; pugnaturi, quantò major spes, majorq; animus est inferentis bellum, quam arcentis.* Agathocles sa-

(a) Liv. l. 34. c. 59.
(b) Liv. l. 21. c. 44.

nè Siciliarum Tyrannus, cùm domi Carthaginen
ses sustinere nequiret, translato in Affricam bell
victor domi forisque rediit. Et profectò ratione
quæ hostili terræ bellum transcribunt, fortiores
longèque utiliores esse videntur, neque deest
quod contraria sentientibus responderi possit
Quicunque enim in locorum munitorum defen
sione præsidium quærunt, haud considerant
quàm facili negotio munitiones istæ victori ce
dant, ubi justus exercitus alius non superest
Qui si adsit, nihil prohibet & sua muniri tutari
que, & in alienis belli sedem facere. Ingeniosis
simus Machiavellus in liberis de Rep. integr
capitulo demonstrat arcium atque fortalitiorum
in adversis infidelitatem. At verò alimenta host
deerunt? Quasi verò obfirmato pectore manu
que miles non sibi ipsi victum quærere, & ab in
vitis etiam extorquere didicerit, cùm victor
omnia in prono sint. Defectiones insuper subdi
torum, qui Status mutationem ex ingenita vulg
levitate cupiunt, planissimam invasori ad omni
viam aperiunt, quam primo intuitu major ubi
que ignotarum rerum terror velut inaccessam
ostendebat. Nunquam enim deerunt, qui præ
sentis regiminis pertæsi lætissimè te accipient
modò ipsis uno aut altero specimine bonam spem
animumque feceris. Ita Annibali vix Italiam in
gresso magna ejus pars accessit, & haud minore
populi Regulum atque Scipionem in Affrica se
cuti sunt. Locorum situumque incertitudine
indigenarum perfidia atque providentia ipsius
ducis, rerum gerendarum peritia stipata expli
cabit. Neque video majori labore reparatio
nem

nem virium constare in hostico, quàm tuo. Imò hoc facilior est, quòd non solùm integro regno utaris, semperque paratos possis habere in subsidium mittendos illis, qui foris pro Rep. militant: sed & deficientium ad te non exiguus numerus exercitum tuum certissimo juvet supplemento. Quod si autem hostis in tuo est, subditorum tuorum defectiones crebræ hosti emolumento erunt, tibi verò damno & quandoque exitio. Fuga tamen facilior & securior in patria terra? Dico primùm, non fugæ, sed victoriæ spe bellum geri. Deinde providens Imperator fortunæ facilè rem non committet, donec vel in castris, vel aliquibus expugnatis urbibus paraverit sibi præsidium, ubi si vel maximè adversi quid ingruat, facilè se tamdiu tutabitur, donec domino suo liceat auxiliorum summissione rem in integrum restituere, & victor interim detinebitur inclusi hostis obsidione, ne victoriam, ut convenit, prosequatur: Ut nunc taceam, per multos Imperatores fugientes jam milites adempta fugæ securitate consultò ad desperationem & victoriam acuisse. Machiavellus hoc argumentum integro *c. 12. l. 2. in discurs. supr. Liv.* tractat, & dissentientium authorum opiniones adhibita distinctione conciliare vult, dum putat utrosque ἐν μέρει aliquid rectè dixisse, sed neutros ὅλως sive ἁπλῶς. Interesse itaque ille existimat, an Rex habeat subditos ad arma, ut ita dicam, natos, adeò ut ex eorum delectu exercitum conscribere possit, an verò imbelli imperet multitudini, ut extraneo indigeat milite. Hoc casu putat foris bellum gerendum, *quia essendo la tua virtù nel danaio,*

nato, & non negli huomini, qualunche volta
e impedita la via di quella, tu sè spaciato. i.
cùm sit vis tua in nummis non hominibus: quan
docunque tibi illorum comparatio impeditur
ipse quoque manus victas dabis. Priori autem
consultius esse expectare hostes in patria quàm
occupare. *Perche questi corpi possono unire pi*
forze, & resistere ad uno impeto, che non poss
no ad assaltare altrui. *Quia corpora hæc po*
sunt unire magis vires suas, & resistere fortiu
qualicunque invasioni, id quod præstare neque
unt offensivè agendo. Induxisse videntur Ma
chiavellum in hanc sententiam, quæ scribit Li
vius *l. 9. c. 29. Adde quod Romanis ad manum*
domi supplementum esset, Alexandro, quod po
stea Annibali accidit, alieno in agro bellant
exercitus consenuisset. Putarem Machiavell
consilium hactenus utile esse, quando Princep
certissimam fiduciam in subditorum benevolen
tia ponere potest. At verò quando aliquo mod
suspecti erunt, omni nisu cavendum est, ne ho
stem admittamus in regnum, quem deinde mo
bilis & seditiosa infidelium subditorum turb
excipiat juvetque, hoc deteriori Principis condi
tione, quò ferocior atque exercitatior ad bellun
est. Illud etiam verum non puto, populum Ro
manum extra Italiam tribus ejusmodi cladibus
quales ab Annibale accepit in Italia, non potui
se mederi. Haud ferè enim minorem numerun
cum Imperatoribus Scipionibus amisit in Hispan
nia, & tamen invicto semper animo ingens vul
nus pertulit ac sanavit. Ita etiam, quod Liviun
attinet, Annibalis exercitus consenuit, non quòd
ip

Digitized by Google

ipſi ſupplementum mitti non potuiſſet, ſed quòd illud ſocordia Senatus Carthaginenſis ſemper procraſtinavit, & inimicorum ſuorum invidia impedivit. Nam Annibal ab Italia in auxilium Patriæ ſuæ, cui Scipio excidium minabatur, revocatus hæc indignabundus apud Livium (*a*) effert. *Jam non perplexè, ſed palàm revocant, qui vetando ſupplementum & pecuniam mitti jam pridem retrahebant. Vicit ergo Annibalem non populus Romanus, toties caſus fugatuſq́, ſed Senatus Carthaginenſis obtrectatione atq́ invidia.* Ad enervandam autem Machiavelli nimis generalem diſtinctionem omnino facit, quod de Hiſpannis documento Maurorum, quibus cum in patria ultra biennium ſatis dubiè bellabant, obſervavit Thuanus, (*b*) illos nimirum, utut foris ferè invictos, domi non ſine periculo hoſtem habituros eſſe: Et tamen quin Hiſpannica gens militari fortitudine atque prudentia à perpaucis vincatur, apud omnes in confeſſo eſt. Verba Thuani hæc ſunt. *Ut ex eo appareat, Hiſpanni, quorum virtus militaris & exacta extra fines patrios diſciplina à cæteris orbis nationibus præcipuè prædicatur, nullum majus periculum impendere poſſe, quàm ſi bellum domi ex quacunq́ occaſione habere cogantur.* Cujus ſententiæ accedit ipſo facto Annibal, qui Livio (*c*) teſte, *ſupplementum ex Affrica maximè jaculatorum levium armis petiit. Ut Affri in Hiſpannia, Hiſpanni in Affrica, melior procul à domo futurus uter-*

(*a*) Lib. 30. c. 20.
(*b*) Hiſtor. lib. 48. circ. fin.
(*c*) Hiſtor. l. 21. c. 21.

que miles, velut mutuis pignoribus obligati, stipendia facerent. Nam exempla ubivis obvia docent, extra patriam disciplinam militarem meliùs servari posse: Ubi verò domi militaveris, periculum esse, ne livore, pravis æmulationibus, invidiâ, obtrectationibus, privatis denique odiis miles corruptus neque fidem neque disciplinam ullam habeat. Concludo itaque, meliorem semper esse inferenti bellum quàm arcentis conditionem, nisi vel specialissimæ circumstantiæ vel imbellis læsæ partis status contrarium suadeant, ut melius sit pactis & pecuniâ transigere, quàm fortiorem lacessendo hostem in præsentissimum se præcipitare exitium.

§. 17. *Ita vita humana est.*] Apprimè huc facit locus apud Gellium (*a*) ex Panætii Philosophi *libro 2. de offic.* sumptus, quem integrum hîc transcribere placuit. *Vita hominum, qui aetatem in medio rerum agunt, ac sibi suisq; esse usui volunt, negotia periculaq; ex improviso assidua & propè quotidiana fert. Ad ea cavenda atq; declinanda proinde esse oportet animo semper prompto atq; intento, ut sunt Athletarum, qui Pancratiæ vocantur. Nam sicut illi ad certandum vocati projectis altè brachiis consistunt, caputq; & os suum manibus oppositis quasi vallo præmæniunt, membraq; eorum omnia, priusquam pugna mota est, aut ad vitandos ictus cauta sunt, aut ad faciendos parata. Ita animus & mens viri prudentis adversùs vim & petulantias injuriarum omni in loco atq; in tempore prospiciens, debet esse erecta, ardua, septa solidè, expedita, nunquam connivens, nusquam aciem*

(*a*) Lib. 13. Noct. Att. c. 27.

suam

ſuam flectens, conſilia cogitationesq; contra fortunæ verbera contraq; inſidias iniquorum quaſi brachia & manus protendens, ne qua in re adverſa & repentina incurſio imparatis improtectiſq; nobis oboriatur.

A divina providentia.] Item, ut quis ſe omni ratione ad modum incertæ defenſionis præparet, conſcribendo exercitandoque milites, extruendo arces & munimenta, quæ invaſorem & deterrere à meditata violentia, & arcere vim ingruentem poſſint. Actus enim hi omnes liciti ſunt, nec ulli gentium injuriam facio, ſi me in omnem eventum paratum habeam, ad excipiendas aliorum injuſtas cupiditates.

Innoxia cautio.] Ita ſæpiſſimè noſtra quoque ætate vicini Principes legatos mittunt ad eum, quem propter inſolitas & occultas molitiones ſuſpectum habent, ſciſcitatum, quorſum talia tendant, & ut ſibi legitimè caveatur.

§. 18. *Debet primum ei, quem &c.]* Quærit hîc Dn. Ziegl. quid dicendum, *ſi ſatisfactio offeratur tum demum, quando jam ad conflictum ventum eſt, & jam aliqui ceciderunt ex numero ejus, qui juſtum bellum gerit, anne hic oblatam ſatisfactionem acceptare & bello deſiſtere teneatur?* Ego, ſi pleniſſima offeratur ſatisfactio, ceſſandum à bello non dubito, quoniam nihil læſa pars habet, quod conqueratur. Verùm ad illam ſatisfactionem ſpectabit non ſolùm intereſſe principale & primarium, ſed & quod poſtea ſupervenit. V. gr. æſtimatio moralis occiſorum, & impenſæ in bellum juſtitiæ conſequendæ causâ factæ, damna item & ceſſantia lucra, quæ

ex postfacto evenerunt, cautionesque de amplius non offendendo & cætera, quæ propter negotiorum diversitatem impossibile est omnia enumerare. *Conf. Grot. l. 3. c. 1.* Neque enim verum puto, quod vult Laymannus, justitiam vindicativam requirere, ut totus exercitus, qui bellum justum gerenti injustè se opposuerat, interneccione pereat; quoniam in illo exercitu non pauci esse possunt, qui de utriusque partis justitia non satis informati in dubio adhuc practico hærent, & quos ad bellum legitimum Principis imperium coëgit. Hos sanè erroris certiores factos, deprecantesque veniam delicti cum oblatione plenissimæ satisfactionis nolle admittere in gratiam, contra justitiam ipsam esse videtur. Licèt non minùs quoque interdum consilii sit, clementiâ refocillare pœnitentes, quàm rigidæ victæ aculeo exagitare ad desperationem, quum non rarò jam victores per victos malè multavi. Si enim, ut dixisse fertur Pyrrhus, hostibus fugientibus pons aureus est struendus, quantò magis cum exercitu integris adhuc viribus animato pugnare & existimatione tua transigendum est, quàm incertos belli & fortunæ expectare casus.

Ac tum demum.] Omne bellum pacis causâ suscipiendum est. Pacem autem tum fieri convenit, quando pars, quæ justum bellum gerit, adversarium coëgit ad satisfactionem: Quam si offerat boni viri arbitratu, etiam antequam congrediantur, nihil ulteriùs habet, de quo conqueratur. Et si nolit accipere satisfactionem, corrumpit per injustam intentionem prioris causæ justitiam, & ille, qui obtulit, omni bono jure de

fensi

Digitized by Google

fensionem habet contra immoderatam adversarii avaritiam, qui debita vindicta non contentus non meliori jure quàm latro grassatur. Si itaque sufficiens fuit Samnitium satisfactio, malè illam Romanus populus rejecit, & haud dubiè bona causa ab his ad illos transivit, de qua tam magnificè sibi apud Livium Pontius Samnis gratulatur.

CAPUT II.

DE HIS, QUÆ HOMINIBUS COMMUNITER COMPETUNT.

§. 1.

Ut vacuæ sunt à proprietate.] Vellicat hoc Dn. Ziegl. quia res, quæ communitati competunt, vacuæ à proprietate non sunt, sed patrimonium earum pertinet ad totam universitatem. Verùm primò non videtur illa res esse propria, quæ est communis omnibus in mundo hominibus, de hac enim communi re loquitur Grotius, non de illa, quæ certæ societati aut universitati in individuo competit. Ita in jure Romano dicitur mare esse extra patrimonium, quòd ejus usus ad omnes indistinctim homines pertinet, proprietas verò nullius est. Si itaque proprietas nullius est, res vacua omninò à proprietate erit, quoniam hæc, ceu jus incorporale certum requirit subjectum, cui inhæreat. Deinde non tam verba Grotii, quàm ejus mens inspicienda; Quo sensu enim dixerit res communes vacuas à proprietate, declarat oppositio rerum communium, quas proprietas afficit, de quibus agit *in* §. 6. Scilicet

licet ex sua hypothesi putat res communes à proprietate vacuas esse, quæ post sublatam universalem illam communionem in prima dominii introductione mansere indivisæ & vacuæ ab occupatione, ita ut nemo sibi eas appropriarit. Quæ verò propriæ aliquorum factæ sunt, nihilominus quibusdam casibus & certo respectu communes esse.

§. 2. *Jus in res.*] Jure naturæ omnia communia fuisse, & sublecuto gentium jure dominia demum introducta, non solùm Grotius, sed jus quoque nostrum, & cum eo JCti loquuntur. Imò clarissimus Hahnius (*a*) ausus est dicere, dominiorum distinctionem jure gentium introductam, *non quòd hac per se bona & pulchra esset, sed quia conditione & statu hominis tunc exigẽte necessaria fuit ad dissensiones vitandas.* Quam sententiam quò diligentiùs examinamus, hoc minùs nobis probatur. Nam & Romana jurisprudentia, quæ juri naturæ communitatem adscribit, eodem jure quarundã rerum dominia singulos nanciscì dictitat, contrario asserto, nisi ambiguitas vocabuli excuset aliqua parte socordem repugnantiam: Ullo autem unquam tempore omnia omnibus fuisse communia tam contra historiam est, quàm rationes. Nos dominiorum originem referimus ad mundi primordia, & gratuitam benignissimi Numinis concessionem laudamus causam introductæ proprietatis, hactenus securi, quicquid DD. de jure naturæ & gentium sæpiùs cum lectoris indignatione crepant. Ita enim nos sacræ literæ instruunt, homini condito à Conditore

(*a*) Observat. ad Wes. de A. R. D. n. 1.

tore in res inferiores attributum esse Dominium hac expressa formula. *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam vobis, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* (a) Atque hoc dominium postea orbi per diluvium purgato ita confirmatum fuit. *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum universis, quæ moventur super terram. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sint, & omne, quod movetur & vivit, erit vobis in cibum.* (b) Hoc modo videmus dominium, quod antè Creatori soli in sua creata competierat, ex indulgentissima liberalitate nobis hominibus ad imaginem Dei creatis communicatum esse, ita tamen, ut se illo Deus non abdicaret, sed retineret adhuc superius quoddam atque eminentius, à quo illud hominum dependeat, ex divina voluntate moderandum vel auferendum: Hac ipsâ insuper dominii concessione animalibus cæteris nova quædâ qualitas accessit, ut potestatè hominis metuerent fugerentque, quò pertinent illa, quæ in sacris literis de tremore animalium dicuntur: Atq; hic metus & ingenita fuga, utut omniũ animalium cordibus inscripta sit, in majoribꝰ tamen hoc magis elucet, quò talia minùs causæ habent, cur homines metuant, quibus vel corporis robore, vel cornuum dentiumque fiducia, vel feritate unguium, aut aliorum armorum, quæ naturâ habent, ope, immane quantum præstant. Continuò hîc nobis aliquis

(a) Gen. 1, 28. & 29.
(b) Gen. 9, 2.

aliquis occurret, regerendo, si omnibus homi
bus in res omnes dominium concessum, sec
profectò, quemlibet hominem omnis rei dor
num esse, quo ipso deinde dominium destru
quippe quod domino tribuat prælationem mo
lem in usu rei, quam possidet. Nam si alius
à me possessæ dominus est, ego dominus non e
quia plura dominia nisi subordinata unam re
nequeunt afficere, sed unum necessariò per al
rum destruitur. Rursus dum ego in aliorum b
na plenissimam potestatem habeo, res detento
non erit; Verùm decipula hæc nos non decip
Sciendum itaque, quando in divino Codice
definitè legimus, *hominibus in res & terram*
minium permissum esse, intelligi id debere *n*
tam de dominio actu concesso, quàm de jure
facultate ad dominium acquirendum compete
te. Scilicet optimus Deus dedit hominibus p
testatem, per occupationem se quarumlibet r
rum efficiendi dominos, non autem tribuit dom
nium in actu absque ullo prævio illud acquire
di modo: neque enim quicquam ab homine si
labore acquiri voluit Conditor, qui panem in
dore ejus faciei parandum præcepit. Illa aute
ad dominium potentialis facultas omnibus inc
stinctim hominibus competiit, ut se potueri
dominos reddere rei à dominio vacuæ, qua
ubi semel sibi propriam fecere, non licuit dein
propter naturam dominii eam alii eripere po
fessori, qui sibi prælationem moralem ipsa occ
patione dudum quæsiverat. Quam in rem clar
simè facit verbum *Gen. 1, 28.* signatè admodù
positum, *SUBJICITE vobis terram.* Quo
n

Digitized by Google

me hercules, arguit *terram dominio nondum subjectam, aptam tamen & habilem ea promissione factam, ut subjici hominibus posset.* Quomodo etiam rectè concludit *Clariss. Dn Horn. de Civit. l. 2. c. 3. thes. 3.* Non itaque verum puto, quod scribit *Dn. Ziegl.* Vi *hujus donationis Adamum dominum totius orbis terrarum fuisse, quem ipsum etiam totum simul & semel possidere tellico incepisse.* Ego Adamo plus, quàm quod occupavit, non attribuerim, quia, ut diximus, res sine occupatione in sua libertate naturali permanebant, ab omni dominio vacuæ. Neque me movet ratio Ziegleri, *quòd non opus sit, ut, qui fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet, sed quod sufficiat, quamlibet partem ejus fundi introire, dum aliquis mente & cogitatione hac sit, ut totum fundum usq; ad terminum velit possidere.* Primò enim hoc saltem verum esse videtur de rebus jam occupatis, & per translativum dominii titulum secundaria acquisitione ab alio acquirendis, non verò quæ omni tam possessione quàm proprietate vacant. Has enim non ulteriùs acquiri, quàm quatenus occupantur, dicendum puto, quoniam aliàs quis se posset sola cogitatione omnium insularum desertarum, aliorumque locorum incultorum dominum facere, quòd terræ, quam inhabito, pars sint. Deinde plus videtur requiri ad dominium acquirendum, quàm possessionem, nam *l. 13. §. 1. ff. de A. vel A. P.* loquitur non de dominio, sed possessione separata ab hoc, ut ita nihil contra nos probet. Denique etiam quis meritò dubitaverit, an unquam Adamo in mentem venerit,

ut

ut totum orbem possidere vellet, quem quantus fuerit, ignoravit. Stultitia enim esset, velle possidere, quod totum morali judicio nequeas tenere. Nondum illo tempore generosum vitium, ambitio, natum erat, sed hominis desideria explebat victus & amictus sufficientissima copia, quam utentium penuria in nullum pretium deduxerat. Quare etiam nemo feciſſet injuriam Adamo, si occupasset ea, quæ à nostro primo parente libertati suæ relicta erant. Videamus nunc, quid ingenii habeant Grotii aliorumque somnia, fictitium ex jure vel naturæ vel gentium originem fabricantium. Qui jure naturali dominia cepisse dicunt, vix cogitant, quid loquantur, si de jure naturæ præceptivo intelligunt. Quicquid potestatem sapit, diversissimam indolem à juris genio, efficacia & objecto habet. Omne jus est regula quædam actionum humanarum, & objectum juris naturæ sunt actiones honestæ vel turpes. Dominium neque turpitudinem neque bonitatem moralem continet, imò ne actio quidem est, quare nec objectum juris naturalis. Quamobrem quicunque leget in Romani juris opere, naturali jure dominia constituta esse, oppidò caveat, ut aliter accipere velit quàm de permissione hoc sensu, quod naturæ lex non repugnet dominiis, sed neque tamen illa præcipiat. Non melioris notæ est sententia juri gentium dominiorum incunabula assignantium; Hi plerique dicunt, jure naturali omnia communia fuisse, jure demum gentium introductas dominiorum distinctiones, quo asserto sibi ipsis validissimè adversantur. Si jus enim naturale præcipit communio-

munionem omnium rerum, ſceleſtiſſimo auſu gentes proprietatem induxere, quoniam præcepta juris naturæ immutabilia ſunt, & omnes homines obligant, ut ſine maximo peccato eisdem contravenire non poſſint. Porrò, hoc quoque gentium jus cum alio omni jure participat, ut ſit regula actionum, non principium aliquod effectivum ullius poteſtatis. Apud omnes quidem populos dominia obſervantur, verùm illa non introduxit gentium jus, quod circa actus gentium publicos occupatum eſt. Quicunque etiam affirmaverit, gentes demum poſt diluvium cepiſſe, ille ſimul ad hoc tempus communionem rerũ protrahere debet, quia jus gentium ipſas gentes origine non poteſt antevertere. Quare nullum unquam placitum inter gentes factum eſt, ut à communione recedatur, quæ nunquam fuit, ſed naturalis ſtatus ratio primævis continuò hominibus commendavit diſtinctam rerum proprietatem. Propugnat hanc noſtram ſententiam eruditiſſimus *Struvius in Synt. Feud. c. 1. theſ. 1.* ubi inter alia & hæc habet. *Hoc igitur modo ſecundùm ipſius rationis naturalis faciliorem, commodiorem & ſuaviorem rerum uſum in ſocietate civili reſpicientis dictamen non ſolùm inter primævos ſtatim homines res ſunt diſtinctæ, ſed etiam porrò inter gentes & ſingulos de gente, dictamen illud commune ſequentes.* Et paulò pòſt. *Neq; verò omnino illis conſentire poſſumus, qui nudo ac libero conſenſui aut pacto hominum ac populorum rerum diviſionem adſcribunt; Concedendum quidem, quod animus res tenendi ut proprias, expreſſius fuerit per factum*

ctum occupationis, ac insequentem particularem rei ad proprium usum curam & culturam. Verùm pactum aliquod ut hinc inducamus, & ad illud tanquam fundamentum rerum divisionem referamus, non videtur opus, neq; etiam rei veritati congruere, cùm ipsa occupatio concessa sit jure in res à Deo conc esso, cujus juris vi res sunt occupatæ, cuilibet occupanti commodè in societate civili degendi propositum habenti ipsa ratione naturali commodius occupandi genus exposito modo præscribente. Tandem ex prædictis colligere licet, quo sensu verum sit, à principio communionem fuisse, scilicet non alio, quàm quòd quilibet legitimam facultatem habuerit per occupationem res sibi appropriandi. Commune itaque, sano tamen sensu, hominibus fuit jus ad dominium acquirendum, non verò dominium ipsum.

Erant omnia communia.] Rectissimè hæc verba explicat Dn. Struvius *d. l. non quidem, quòd unquam communio fuerit, vel esse debuerit, sed quòd actu nemo universas res, quarum proprietas homini universim tributa, occupaverit, omnium tamen occupationi illæ, cùm quasi cunctis patrimonium essent, patuerint.*

Talis usus universalis juris.] Verùm talis usus omnibus omnino rebus non convenit. Consumptibilibus enim, sive quæ ipso usu consumuntur, uti absque earum proprietate non possumus: illas enim res usu consumimus destruimusque, quod est agere in illarum substantiam, hoc ipsum verò fieri sine proprietate nequit. *Vid. Dn. Ziegl. h.* Quare cùm ususfructus propriè sic dictus

dictus non sit nisi earum rerum, quæ usui supersunt, Senatus quoque effecit quasi usumfructum rerum consumptibilium, transferendo proprietatem ad usumfructuarium, qui cautionem de restituenda simili re in casum caducitatis interponere debuit.

Id ei eripere.] Hæc verba satis clarè proprietatem occupantibus constituunt, communionemque omnimodam & talem, quæ proprietatem excludat, nec fuisse nec esse potuisse ostendunt. Dominii enim unica vis & virtus consistit in prælatione usus rei, ita ut dominus cæteris aliis omnibus præferatur; Si itaque, quod quisque arripuit, id ei alter eripere nisi per injuriam non potuit, sequitur, quòd possessor in re possessa habuerit proprietatem. Neque etiam similitudo hûc satis quadrat: quia non eo sensu theatrum commune dicitur, quo res in primævo statu. Theatrum commune est, quia proprietas ejus non spectat ad solum aliquem privatum, sed Remp. at verò res communes dicit Grotius cum exclusione omnis dominii.

Si aut in magna.] Corrupta per lapsum hominis natura utramque hanc conditionem respuit, ut ne tale quidem ampliùs cogitari posse experientia docuerit. *Dn. Ziegl. h.*

In quibusdam Americæ populis.] Respondet Dn. Ziegl. à natione fera & barbara argumentari esse idem ac argumentari à bestiis ad homines. Dicerem quoque ego, Exempla de Americæ populis, de Essenis, de primis Christianis egregiè fallere incautos, apud quos omnes non defuit dominium & proprietas, sed partim con-

fusa nec bene ordinata dominii ratio obtinuit, partim imago communionis, non communio, quatenus, sc. proprietas excluditur, observata est. Ita e. gr. valdè absurdus fuerit, qui propterea, quod familiares in una familia participant, nullum esse in familia dominium inferat.

Ignoratio magis vitiorum.] Deum hominem ad sui imaginem creavisse, docemur ex sacris literis, quæ imago quibus absolvebatur, suprà *l. 1.* diximus. Præcipuæ ejus partes erant perfecta intellectus sapientia & integerrima voluntatis sanctitas, utraque æmula sapientiæ atque sanctitati divinæ. Falsum itaq; est & inconsideratum asserere, hominem perfecta rerum prudentia præditum cognitionem virtutis nullam habuisse; Imò ipsi nostri primi parentes ante lapsum in omni sanctitate & virtutum exercitio vivebant, quasi ignorassent, quomodo potuissent exercere? Sed & non minùs novere malum, sed theoreticè saltim, id est, intelligebant hujus pravitatem & discrepantiam cum voluntate Dei: appetitus autem illorum adhuc adeò voluntati morigér erat, ut nullo negotio redigebatur in ordinem. Per esum verò pomi depravatus, sicut totus homo excussit obedientiam erga Deum, ita ex lege talionis voluntati quoque debitum obsequium appetitus denegavit, & adhuc ubique boni spiritus motibus adversatur, nec non nisi ægerrimè in officio continetur.

Vetustissimi mortalium.] Hypotheses gentilium Grotius ex *libro 3. Annal. Tac. cap. 26.* Virgilio, Ovidio, aliisque mendacissimis Poëtis incauta temeritate pro veris atripuit, quæ ex igno-

ignorantia primævi temporis natæ à verbo divino falsitatis satis arguuntur. Nam continuò post lapsum & malas libidines & scelera cepisse homines, vel solum Caini parricidium nos docet. At Ethnici ignari & originis primorum hominum & vitæ illorum, tale quid sibi finxerunt, quod nunquam extitit: Unde nata illa de quatuor ætatum differentiis apud Poëtas fabula: de qua latè *Hesiod. ab init. oper. & dier. & Ovid. Metam. l. 1.*

Arbor vitæ. Hæc longè meliùs *à Dn. Ziegl. ad h. l.* explicata videas.

I. e. simplicem.] Malè, sed potiùs sapientem, de rebus divinis & naturalibus, ad hominis usum bonumque conditis; tum & justum atque sanctum cum appetitus obsequio & cæterarum virium rectitudine. *Conf. Dn. Ziegl. h.*

Nisi sponte natis.] Quod hîc de antiquorum hominum vita, cibo sponte nato, de antris loco ædium, de nuditate corporum, de vestitu incondito, &c. memorat, si de genere humano accipiuntur, ἀπροσωπία mera est: Si de paucis barbaris & incultis gentibus, aliena sunt ab argumento, quod tractat, in quo juris rationem habet, & probationem non unius alteriùsve populi inconditus mos, sed plurium & cultiorum gentium, i. e. recta utentium ratione, instituta, consuetudinem faciunt. Homines ullo tempore sponte natis cibis usos, liber Geneseos negat, qui Cainum à primis mundi incunabulis agricolam fuisse ostendit, quem deinde quoque non antra habitasse, sed ædificasse urbem memorat. Neque magis verum, homines post lapsum nudo corpo-

re vixisse, sed Deus lapsis continuò vestimenta ex pellibus consuit: Habuerunt Poëtæ ex sacris Bibliis, sed incondita & corrupta omnia, quibus nimis admodùm author noster credit, quem meliùs potuisset sacra historia instruere.

Sed pacto quodam.] Ullo unquam tempore omnes res inter omnes fuisse communes, suprà rejecimus, quo ipso quoque falsum fit, communionem displicuisse, quæ nunquam fuit. Multò minùs credimus, pacto quodam à communione discessum, cautumque, ut, quod quisque occupasset, id sibi haberet. Nam jus occupandi & rem sibi faciendi propriam homo non habet ex pacto quodam sive tacito sive expresso, sed benignissima supremi Numinis concessione, qui homini creato talem in res inferiores dedit facultatem. Neque verum est, quod dicit Dn. Ziegl. *Si quæ in divisionem non venerunt, eorum mansisse pariter universos tum temporis viventes pro indiviso dominos*, quoniam divisio non potuit tribuere aliquod dominium nisi in re jam occupata. Si itaque inter posteros conventum, ut alii alias terras habitandas irent, earum, quæ nondum occupatæ vel habitatæ fuerunt, terrarum dominium nemo sibi priùs quærere poterat, quàm actuali occupatione illas fecerit suas. Occupatas verò per divisionem & juris constituti cessionem in alios potuisse transferri non repugno, ac sic hactenus bene dicit Grotius, §. 3. *quæ communia omnium fuerunt, & in prima divisione divisa non sunt, ea non jam divisione sed occupatione transire in jus proprium, nec dividi nisi postquam jam propria esse ceperunt.*

Quare

Quare non neceſſe eſt, ut ad occupationis juſtitiam fingamus cum *Ziegl. tacitam quandam renunciationem juris competentis, aut pactum vel conventionem quandam, quibus id actum, ut quæ in diviſionem non veniſſent, velut pro derelictis haberentur, & occupantis in poſterum fierent.* Quia principium hujus ſententiæ, quod præſupponit, Adamum ſine actuali occupatione totius mundi dominum fuiſſe, ſuprà falſitatis arguimus. Illud verum eſt, ea, quæ occupata ſunt, ab alio ſine ceſſione juris aliemi aut derelictione non potuiſſe acquiri. Reliqua autem in ſua naturali libertate relinquebantur, ut paterent cuique obvio, neque opus erat renunciatione juris tertii, quod præter potentialem habitudinem ad rem occupandam nihil ponit, quæ ſanè impedimento eſſe nequit, quò minùs alius res vacuas ab omni jure poſſit occupare. Ita multò minùs, quo colore ſequentia excuſem habeo, *occupationem non eſſe legitimum acquiſitionis titulum, nec quemquam dominii ſui ſecurum eſſe poſſe, niſi tale ſupponamus pactum tacitum.* Securitatem dominio noſtro ſatis conciliat conceſſio divina, quæ nobis permittit orbem terrarum *ſubjicere*, quod alio modo fieri non poterat, quàm per occupationem ex Dei voluntate homini conceſſam, quæ quò minùs ſit juſtiſſimus acquiſitionis dominii titulus, nullum video dubium. Nam jus illud potentiale, quod quilibet homo habet ad rem occupandam, non impedit actualem cujuſque occupationem, ſed præventioni locus eſt, & facto in actum deducí debet, quod potentiâ competit. V. gr. quilibet ad rem venalem emen-

dam jus emendi habet, & tamen non ideo mi
Titius eam etiam sine renunciatione hujus ju
quod dixi, rectè emere potest: Quæso enim n
ne insignis error est, benignitatem divinam, q
nobis dominium in res quasvis per occupa
nem ceu subjiciendi modum acquirendum
gita est, ad humanam renunciationem alligar
titulum occupationis ab ipso Deo justificatu
nobisque hominibus ingentis gratiæ loco c
donatum, arguere injustitiæ, nisi juri fictiti
nullo in res omnes priùs renunciatum fuerit

§. 3. *Aut sub ratione integri &c.]* Sign
ita loquitur noster Author, quia ipse non re
gnat, partem maris, quatenus sc. ditionem
quam alluit, pro modo ipsius territorii occup
posse. *Vid. §. 13. h. & c. 3. seq. §. 10.* Et tradu
communiter DD. mare internum, id est, qu
interiora terrarum ingreditur, pertinere ad ju
dictionem & dominium ejus, qui in terra im
rium habet, in quantum se extendit territori
prope mare, & quidem usq; ad centum millia
à littore. *Vid. Struv. Syntagm. Feud. c. 6. thes
n. 1. & ibid. all.* Pari modo usus & fructus in
rioris maris illius augebunt fiscum, cujus es
psum mare: Sic hodienum succinum in Bor
sia non cuivis legere licet, & ejus reditus sibi v
dicat potentissimus Elector Brandenburgic
Insulas quoque marinas, quæ non procul à litt
re absunt, ad regalia, ut loquuntur, spectant. N
que obstat, quòd jus Romanum hæc omnia om
bus indistinctim communia esse voluerit; Na
quicquid de ea re apud Romanos olim constit
tum est, meri juris positivi fuit, ut illud sine u

li

lius hominis injuria Principes αὐτόνομοι in suis territoriis ad se trahere & ad Reip. sustentationem adhibere rectè potuerint: non sunt ex jure naturali præceptivo, sed saltem hoc jure non repugnante vel sic vel aliter introducuntur. *Lex enim civilis* ait *Grotius*, §. 5. *quanquam nihil potest præcipere, quod jus naturæ prohibet, aut prohibere, quod præcipit, potest tamen libertatem naturalem circumscribere, & vetare, quod naturaliter licebat.* De mari externo sive magno Oceano majus dubium est, & hoc Grotius noster occupari posse negat, cum quo tamen non facimus. Primò itaque falsum est, & rectè rejicitur à Domino Zieglero, quòd putat inexhaustam rei magnitudinem repugnare proprietati; Nam illæ demum res sui communionem suadent, quæ divisæ nemini sociorum sufficere possunt. At verò si tanta est magnitudo maris, ut ad quemvis usum omnibus populis sufficiat, quid impediet illius divisionem & occupationem? Ita non minùs terræ quoad sufficientiam magnitudo est, & tamen commodè dividitur. Verùm deflexit Grotium ad hanc opinionem falsa hypothesis, quasi in primævo statu omnia fuerint communia & demum aucto humano genere divisio sit instituta: illas autem solùm res divisas fuisse opinatur, quæ videbantur ob curam & culturam sine rixa ac æmulatione non pati ulteriorem societatem; Jam verò cùm mare non solùm omnibus sufficiat, sed & peculiari hominum cura non habeat opus, probabile esse, noluisse gentes consentire in maris divisionem, quia causa, ob quam divisio introducta est, ut diximus, hic cessat.

ceſſat. Videtur itaque mihi Grotius hoc vel
non tam inexhauſtam rei magnitudinem rep
gnare proprietati, quàm non opus eſſe, ut ſing
li partes in ea ſuas faciant. Verùm nos ſup
oſtendimus ex impoſſibilitate morali, fictione
eſſe illam communionem, quo unà ſufflamin
tur ſententia Grotii, quæ tali hypotheſi ſup
ſtruitur. Deus generaliter dedit homini facul
tem dominandi volatilibus cœli, animalibus t
ræ, & piſcibus maris; Si in piſces maris poſſum
dominium acquirere, quidni etiam in mar
pſum, quod ſæpiùs ob piſcationem occupatu
volumus? Deinde, quod dicit Grotius, tant
maris magnitudinem eſſe, ut ad quemvis uſ
populis ſufficiat, id non concludit ad impoſſi
litatem occupationis, ſed ſi vis huic argume
ſubeſt, illa certè erit, ut inferat, occupation
maris non eſſe neceſſariam, quod tamen ne
pſum ſatis ſibi conſtat. *Neceſſitas namq; ſalt
moralis aliquando ſubeſſe poteſt, exigens ut g
præſertim accolens mare illud occupet.* Ut re
Dn. Struv. d. l. n. 2. Denique, quod dicit, om
bus populis mare ſufficere, de eo meritò dub
re licet. Nam mare non minùs, quàm met
fodinæ, quæ ſuos ferunt fructus, commoda ex
de percipiendo minuitur & redditur deteriu
iis præſertim locis, ubi uniones, corallium, f
cinum & multa ejuſmodi alia eruuntur. Se
piſcatione, præſertim balenarum maris ab
dantiam exhauriri dicimus. Sequitur ex hi
mare occupari poteſt, nemini populorum f
injuriam, à quocunque illud nondum occu
tum occupetur, quoniam facultati morali
faci

Digitized by Google

faciendo propriam res tamdiu subjacet, quamdiu ab alio facta propria non est. Quod verò mare multis ab orbe condito seculis in dominium non abiverit, ejus rei causa non illa est, quasi inhabile sua naturâ fuerit ad occupandum, sed quòd homines usus & peritia navigiorum tunc destituerit, ut non potuerint occupare, quod justè occupare licet. *Dn. Struv. d. l. n. 2.*

De aëre.] Non existimamus, aërem quoque tanquam mare occupari posse, cùm hujus dominii nulla planè in toto genere sit utilitas. Neque multum dubii mihi Ziegleri facit objectio, *quasi possim jure servitutis constituta prohibere, ne ædes altiùs tollas, ne luminibus officias.* Nam ita quidem aërem ædibus meis conterminum liberum habeo, sed non in dominio. Nullum jus hac servitutis constitutione in aërem quæritur, sed impeditur saltem is, qui servitutem debet, ne altiùs ædificando, quod ipsi naturaliter facere licet, luminibus meis officiat. Si jus in aërem intermedium per servitutem esset acquisitum, acquiretur illud à prædio dominante per traditionem, seu patientiam prædii servientis, quod antea jus in aërem aliquod habuisset, & sic pacto transtulisset in alium. Nemo enim plus juris, quàm ipse habet, potest in alium conferre. At nulla est ratio, cur aër ædibus meis conterminus magis vicini mei sit, ita ut demum per pactum meus fieri debet, quàm oppidò meus ante omnem etiam conventionem. Multò verò minùs illud officit, quod quidam dicunt, aves partem aëris esse, sicut pisces maris. Aves autem occupari posse, ergo & aërem ipsum. Falsissi-

mum enim eſt majus enunciatum, neque ego unquam aves partem aëris dixerim, ſicut piſces partem aut potiùs fructum maris, quoniam aves & ex terra aluntur, & in eadem gignunt gignunturque, ut ad terram magis quàm aërem pertineant. Utrumq; in piſcibus alio modo ſe habet, qui in & per aquam vivunt, atque extra illam diutiùs perdurare nequeunt, & denique in eadem generantur, adeò ut eorum ſemina aqua tanquam uterus ſolis calore animatus coquat ac animet. Exiſtimat *Gryph. de Inf.* dominium aëris inde rectè aſſeri, quòd qui vult habere molendina pneumatica, cogatur uſum aëris redimere à Principe: ſed non minùs fallitur, quippe non redemptio aëris, ſed longè alia hujus conceſſionis impetrandæ ratio eſt. Scilicet quia molendinorum ordinata inſtitutio ad civitatis curam pertinet, ne excedens numerus impediat facultatem commodè habendi & exercendi molas, & exinde Resp. capiat aliquod detrimentum. Sed & molendina illa pneumatica in terra fundamentum ſuum habent, cui & jure accenſeri poſſunt. Longè abſurdius illud ne reſponſione quidem dignamur, quòd Maſcardus aëris dominium inde probat, quia ſuſpenſi pendent in aëre.

Nec aliud cenſendum de fyrtibus.] Imò verò potiùs contrarium, inexhauſtum arenarum cumulum non officere proprietati.

Quia per ſe non terminantur.] Nihil facit continens ad naturam contenti, & poteſt lac vel vinum eſſe meum, etiamſi non ſit in meo, ſed alieno vaſe. Quin quòd mare etiam omnes omninò terminos non reſpuat. *Scopulos*, inquit *Clariſſ.*

riſſ. Seldenus, (a) eminentes, brevia, adverſa invicem promontoria, inſulas hinc inde ſparſas habemus, è quibus linearum rigores, verſuræ, coxæ, gammata ſumantur ad territorium marinum terminandum. Numerantur item veteribus orbis terrarum maria non aliter ac oppida, flumina, inſulæ, montes, veluti non minus invicem diſterminata. Accedit egregia nauticæ pixidis & graduum cæleſtium ſive longitudinis, ſive latitudinis, atq; ex his triangulorum auxilium. Tropicus item cancri & æquator in mari fuere termini, quibus finiri voluere aliqui fœdus inter Ordines Belgiæ fœderatos & Auſtriacos, anno 1608. contrahendum. Et in fœdere inter Magnæ Britanniæ & Hiſpanniarum Reges æquator eſt in mari terminus. Sic & *Hieron. de Mont.* ſcribit *tract. de fin. reg. c. 1. Termini in cœlo & aëre poſiti ſunt tempore Alexandri Papæ VI. inter Luſitanos ſive Portugalenſes & Caſtellanos, dividendo inſulas Indiæ tunc noviter repertas per lineas graduum cœli.* Illud quoque ſatis certum non eſt, mare terrâ non contineri. Quin potiùs propter littora, quibus mare ubique includitur, ego dixerim, terram ambire mare, & littora eſſe terminos, quibus mare continetur, terram autem velut quendam magnum alveum ipſius maris. *Selden. Mar. clauſ. l. 1. c. 22.*

§. 4. *Manet enim in dominio.*] Sed & quod ſemel ſubditis aſſignatum eſt, eisdem ratione & uſu Reip. ſic ſuadente auferri poteſt jure ſupereminentis dominii; Sic Romana jurisprudentia omni-

(a) de Mar. Clauſ. l. 1. c. 22.

omnibus omninò hominibus concessit facultatem piscandi & navigandi in mari, capiendi feras, volucres, &c. Voluit communem esse usum littorum atque riparum. Quæ pleraque à nostris Principibus in Imperio Germanico abrogata sunt sine ulla subditorum injuria, & ad necessitates fructusque Reip. translata, quò faciliori negotio ratio totius Civitatis in expensis & acceptis sibi constet.

Ii conformes reddant.] Hoc in omni extero præsumitur, adeò ut contraveniens institutis alienæ Reip. ex delicto suo forum sortiatur, & puniatur ex præsumpta voluntate sua, quâ se supplicio dignum voluisse censetur, lædendo ordinatam publicæ rei compagem: qua de re alibi.

§. 5. *Quod saltè in jure Romano.*] De venatione subditis adempta egimus suprà *in l. 1. c. 1.* qui vult conferat *Joh. Frid. Horn. de Civit. l. 2. c. 4. thes. 3.* Nos illud saltem addimus, juris Romani in hac rerum indifferenti concessione constitutiones non tam leges esse, quàm permissiones benevolas, quæ subditis nullum jus conferunt, sed illud saltem, quod naturaliter competit, in sua relinquunt libertate, non adempta interim successori potestate mutandi & circumscribendi indeterminatam subditorum libertatem, quemadmodum & alia multa in civitate libertatem naturalem limitant ob publicam universorum salutem & fructuosam totius Reip. quietem.

Et capiendo acquirere.] Existimat Dn. Ziegl. Majestatem quidem prohibere posse, ne feræ capiantur, sed ne capiendo acquirantur, hoc

hoc verò non posse, cùm talis acquisitio procedat ex jure gentium. Mihi tamen indubitatum est, utrumque, & ne feræ capiantur, & ne captæ acquirantur, Principem efficaciter edicturum. Scrutanda hæc res est ex altiori imperii dominiúque in personas & res subditorum indagatione. Si Princeps absolutissimum in personam subditi imperium habet, in res verò ejus proprias eminens dominium, adeò ut & voluntas civis voluntati Imperantis in vicem instrumenti & passivè subjaceat, res verò ejus & bona possint eidem auferri ob salutem publicam, quod fit per extinctionem privati & exercitium supereminentis dominii; quidni liceat Principi rem, quæ subditi adhuc non est, prohibitorio edicto ita munire, ut nullo modo ejus fieri possit, quasi in respectu ad subditos non esset in commercio, ita ferè, sicut fundus dotalis prohibetur alienari, qui tamen suâ naturâ nullam alienationem respuit. Deinde illæ feræ & bestiæ, quæ in territorio Principis sylvisque versantur publicis, non tam nullius quàm ipsius Principis esse videntur, quamdiu scilicet in ejus ditione permanent, & terræ arborumque fructibus pascuntur, in tantum, ut rem ipsam habere censeatur, qui jus potestatemque habet illas omni hora & momento capiendi, & revera redigendi in manus suas, quæ morali æstimatione jam illius erant. Quod ut pleniùs intelligatur, repetendum est, quod suprà diximus: Cùm multitudo hominum sibi Principem vel Regem constituit, huic immediatè à Deo conceditur majestas, cujus præcipuum jus est imperium in personam, & hujus consequens dominium

um in territorium, atque ex his conjunctis exoritur regimen universi, quibus totus majestatis complexus absolvitur. Quemadmodum enim Deus in homines imperium, in cætera verò creata absolutum habet dominium, & hujus universi plenissimum regimen; ita quoque vicario suo, quem quasi partialem in certa orbis portione Deum constituit, (vocantur enim summi Magistratus sæpiùs in sacris literis Dii) hæc omnia tribuit. Primum & tertium ad nostrum propositum valdè non spectat. Dominium verò in territorium quod habet, iterum dispescitur in duas partes, quarum altera subditis cedit, reservata Principi superiori potestate; altera autem manet in possessione imperantis, & venit nomine bonorum publicorum: quæ bona publica deinde commodè distribuuntur vel quatenus ad terram pertinent, vel aquam. Inter ea, quæ respectu terræ habentur, est etiam plerunque jus sylvarum atque foresti, omni sylvarum commodo in ærarium publicum redundante. Hac occasione oritur jus venandi; Nam quoniam dominium in sylvas soli Principi competit, potest ille quemlibet privatum exterumque arcere, ne se invito per sua transeant; quoniam verò hac prohibitione multæ intercideren utilitates, & fierent viarum difficillimæ ambages, hactenus per ejusmodi sylvas conceditur transitus, sed ne quid attrectet aut capiat viator, sive civis sive extraneus, severissima sancitur lege, quoniam & omne solum, & innascentes eidem arbores, & quicquid fructibus sylvarum pascitur, commerciis aliorum exemptum ad Principis fiscum spectat atque voluptatem.

tem. Nullam itaque rationem video, cur non possit subditis occupatio inhiberi, ne effectum sortiatur naturalem illum acquisitionis, in illis, quæ nunquam ejus fuerunt, cùm non rarò extinguatur subditi dominium in re jam sibi acquisita. Accedit, quòd illæ feræ, ut dixi, certo modo jam sint in patrimonio Principis, & ab illo quasi jam occupatæ, ut alterius occupationi ampliùs non subjaceant; Quin & illud intrepidè asseveraverim, etiamsi sylva ad privatum spectaret, venationem tamen & prohiberi, &, ne per capturam dominium acquirant subditi, lege caveri posse, ob ingentem majestatis virtutem atque efficaciam, quæ subditorum voluntatem actionesque in indifferentibus adeò dispositioni atque voluntati Principis subjicit, ut quæcunque contra illam fiant, ipso jure nulla & irrita habeantur. Neque me movent rationes Domini Ziegleri, *quòd occupatio sit ex jure gentium.* Hoc enim falsissimum esse ex vera juris gentium natura atque indole, quam suprà explicavimus, facillimè colligitur. Venatio enim non est actus quidam publicus, qui gentibus intercedit, quà gens sunt; Quin si quis crederet, gentes aliquando mutuo consensu de quibusdam rebus convenisse, non tamen credibile fit, illas unquam de venatione subditorum prohibenda vel non prohibenda deliberasse, cùm hoc negotium neque quietem publicam gentium contingat, neque etiam tanti momenti sit atque ponderis, ut necesse fuerit de eo consensu omnium populorum aliquid statuere: quilibet enim in sua civitate imperans hæc ita vel aliter definire potuisset, &

perti-

pertinet magis hæc res ad Reip. cujuslibet dispositionem, quàm ad aliórum tranquillitatem. Decepit Zieglerum locutio Jurisprudentiæ Romanæ planè irregularis & incongrua, ubi multa juri gentium adscribuntur, quæ ad nihil minùs quàm hoc ipsum spectant. Pari ratione decepit Ziegl. illa inter JCtos agitata quæstio, an privatus contra prohibitionem privati fundum ingrediens captam feram suam faciat? de quo adhuc nondum sibi satis conveniunt, & non infimi nominis JCti tenent, non acquiri. Sed concesso, quòd acquiratur, (quæ etiam in legibus nostris verior sententia est,) exinde statim non conficiemus, Principem quoque in sua Rep. non posse prohibere acquisitionem dominii in feras, quas non privatorum occupationibus, sed suis utilitatibus reservatas voluit. Multa Princeps potest, quæ efficere privatus nequit, id quod cuivis facilè constat. Ita quod adjungit in fine, planè impertinens est, & ex parte falsum. *Quemadmodum enim*, inquit, *majestas facere nequit, ut alicujus sint, quæ nullius sunt, aut ut possidentur, quæ non possidentur: ita nec prohibere potest acquisitionem & facere, ut quæ acquisita jam sunt, non sint acquisita.* Nam primò negamus, non posse facere Principem, ut, quæ nullius sunt, sint alterius. Ego non dubito, res sacras, sanctas atque religiosas, quæ in jure nostro nullius esse dicuntur, alicui in patrimonium rectè à Principe tradi, ratione Reip. ita exigente. Nam has res non ita intrinsecè comparatas, ut planè nullius fieri queant, vel inde constat, quòd certis casibus alienentur. Exemptæ sunt privatorum dispo-

sitio-

fitionibus, nihilominus tamen arbitrio & manui Principis subsunt, quod infrà videbimus. Sic etiam, quæ non possidentur, ut possideantur absque manuali apprehensione ipso jure æquè firmiter lege sancitur, quemadmodum Hahnius refert, multis locis usu servari, ut, sicut hæreditatis aut aliarum rerum dominium ipso jure transit ad successores, ita quoque ad possessionem adipiscendam speciali apprehensione non opus sit, sed hæc æquè ac dominium ipso jure transferatur. Deinde quoque nihil concludit ad nostram thesin, dicere, non posse Principem facere, ut, quæ jam acquisita sunt, non sint acquisita. Hoc enim in quæstione non erat, sed potiùs illud, num antecedenter effectus ille occupationis, qui naturaliter cuique competit, scilicet acquisitio dominii, possit speciali lege inhiberi & extingui? id quod affirmamus, non ut factum reddatur infectum.

§. 6. *Qui primi dominia singularia introduxerunt.]* Cùm nullo unquam tempore omnia fuerint communia, ideoque frustra explorabitur mens eorum, qui primi dominia singularia introduxere. Sanè eorum mens, qui primi per modum occupationis res suas fecere, alia esse non potuit, quàm ut illas sibi habeant sine alterius concursu, & in earum usu omnibus aliis præferantur, neque sine juris acquisiti cessione vel communes vel propriæ tertio fierent.

Ut in navigatione.] Hoc ideo fit, quia existimantur, qui in una navi navigant, tali casu in collationem commestibilium in commune consensisse ad obtinendum navigationis finem. Nam

si illi, qui nihil habent cibariorum, morirentur fame, reliquos premeret penuria hominum, & sic impediretur gubernatio navis, ut tandem superstites fluctuante sine remigibus navi in easdem difficultates sint delapsuri, quibus priores periere. Vitandis igitur his periculis tacitus omnium navigantium de sublevandis aliorum necessitatibus consensus præsumitur ex fine navigationis. Sed & in hac rerum inopia quilibet in commune confert pro modo facultatum, non singulis indulgetur, ut suo arbitratu auferant, quod ipsis deest, aliis superat. *Dn. Ziegl. h.*

Dissipare possum.] Quia scilicet aliàs erant combustura ædificia, ego verò per eorum destructionem mea & vicinorum servare possum. At quòd interdum in gravissimo incendio tota sæpiùs plurium ædium structura diruitur, ut necesse habeat ignis ibidem cessare ob defectum alimenti, sicut factum Lugduni ante paucos annos novimus, hoc procedit ex pari ratione, quòd aliàs essent perituræ: Et Princeps vi dominii eminentis subtrahit subditis proprietatem propter communem totius civitatis salutem ac incolumitatem conservandam, cujus dominii executores facit privatos, qui demolitiones suscipiunt ex jussu Principis, quandoque expresso, interdum etiam præsumpto, non privata lubidine. Funes autem & retia, in quæ navis mea delata est, si aliter explicari nequit, ideo discindere mihi licet, quoniam mihi nihil imputari potest, qui ventorum vi atque impetu in retia impulsus, idque nullâ meâ culpâ, de vita quocunque modo servanda cogito. Quod si enim licitum est vitam

tueri

tueri per interfectionem eorum, qui fugæ obsistunt, ut quidam volunt, quantò magis corruptione rerum vilissimarum. Si culpâ nautarum in casses illas incidi, tenemur de L. Aquilia ad damnum, *d. l. 29. §. 3. ff. ad L. Aquil.* non tam propter reviviscentiam juris communis, quàm ipsam æquitatem, quâ legislator motus id juris esse voluit.

Eum furtum non committere.] Sed & hoc mihi satis non probatur. Primò enim à Dn. Zieglero & aliis eruditissimis viris ostenditur, gravissimam ejusmodi necessitatem haud posse contingere. *Aut enim in extrema necessitate constitutus adhuc valet robusto corpore, aut infirmus decumbit. Si hoc, physicè impeditur rem auferre alienam: Si illud, impeditur moraliter, cùm nulla tanta famis necessitas sit, quin possit vel labore vel emigratione & mutatione soli aut levari aut evitari.* Deinde utut concesserim, leniùs quodammodo ita peccari, omnis tamen dolus & fraus lucri faciendi non abest, ubi quis invito domino sine decreto Magistratus rem alterius contrectat, neque necessitatis prætextus bono viro tantam vim inferet, ut id, quod moraliter malum est, sicut est furtum, legitimet: præsertim cùm non tam turpe sit fame mori, sicuti est turpe furari. Porrò satis ab adversæ sententiæ patronis demonstratum nondum est, necessitati eam adhærere virtutem, quæ jus det in aliena, & ita latissimam rapinis ac cædibus viam præperet, dum perditissimus quivis turpissimo facto vivendi necessitatem prætendere non erubescit, ad declinandam criminis infamiam. Illud

etiam non extra omnem considerationem ponendum, quale jus illud necessitatis sit, cujus administratio à Magistratu legitimo nulla actione peti potest. Denique ipsæ sacræ literæ (*a*) furti hominem coarguunt, qui levandæ famis causâ aliena furatus est, & ad septupli pœnam condemnant. Quæ verò major fingi potest necessitas, quàm cùm homo intolerabili fame ardens per ablationem alienarum rerum sibi quærit levamen, quod factum tamen damnat hominum Sapientissimus.

Respondissent.] Imò potiùs respondissent, quòd petenti egeno teneatur locuples rei dominus ob mutuam inter homines caritatem & necessitudinem rem suam communicare. *Dn. Ziegl. h.*

§. 7. *Precibus.*] Sed rectè hîc Dn. Zieglerus objicit, si jure quis alienam rem capere potest, non opus esse precibus. Ita quoque, quod in §. 9. de restitutione dicit, non satis cum sua cohæret hypothesi; ille enim demum tenetur ad restitutionem, qui alteri injuriam vel damnum dedit, non qui jure suo utitur. Quare nec dominus navis per tempestatem injectæ in retia vel laqueos, si eos ruperit, tenetur de damno, nisi ipsi aliqua culpa imputari possit, *d. l. 29. §. 3. ff. ad L. Aquil.*

§. 10. *Licent locum occupare.*] Ad urbem aliquam vel provinciam aut alium munitum locum invito domino occupandum justitia & naturalis æquitas omninò requirit, ut cum eo, cujus locus occupatur, justum piumque geratur bellum.

(*a*) Vid. Proverb. 6, 31.

bellum. Quare vis illata ei, qui inter utramque partem, quæ invicem bellum habent, quietus ſedet, neque juri naturali, neque rerum proprietati convenit, & nullo neceſſitatis prætextu penitus ab injuſtitia purgabitur. Nam unde occupans tam certus eſſe poterit, iſtum locum ab hoſte ſuo occupatum iri? Deinde fac hoc de conſilio certiſſimum, ſatius tamen erit per extructionem adverſorum munimentorum aut aliarum molitionum ingruens prævertere periculum, quàm per injuriam amici rebus ſuis conſulere. Nunquam neceſſitas, quamvis maxima, tertio jus dare poteſt in res meas, & vir bonus ſemper præfert affici injuriâ, quàm illam inferre. Sed & illi, cujus occupatur locus, invidia maxima conciliatur per violentam iſtam poſſeſſionis invaſionem, dum adverſæ parti ingens ſanè colluſionis ſuſpicio ſubolebit, quaſi occupans, & is, cujus res occupata eſt, occultis invicem conſiliis viribusque conſpirent ad ſe deprimendum, atque hoc modo ſæpiùs belli ſedes transferretur in pacatum ſolum, quandò uterque opportuni loci tutelam ſibi vindicare cupit. Sine dubio enim hoſtis ei, qui locum occupavit, quietum habere non permittet, quem ſibi adverſum eſſe comperit. Nemo eſt, qui rebus ſuis tutandis, præſertim propugnaculis non ſibi ſufficere videatur, quod jus tutelæ ipſi meritò relinquendum eſt, nec ſub prætextu infirmitatis ei res auferenda. Sine dubio enim dominus loci non continuò cedet, ſed quantum poterit, invaſori reſiſtet, & quoniam is tam hoſtili facto ſe hoſtem declaravit, alios ipſe etiam advocabit in auxili-

um: atque sic oppugnabuntur oppida & urbes non jure communionis revivíscentis, sed jure belli. Cautelas, quas Grotius addit, speculativè magis, quàm practicè se habent. Quis enim præsidiariorum ferociam ita compescuerit, ut neminem contumeliâ aut damno afficiant, præsertim in urbe, ubi militaris disciplina nunquam tam rigidè, quàm in castris servari potest. Ingeniosissimus profectò Lipsius,(*a*) qui ubique non adeò bonus justitiæ observator est, quin interdum aliquid utilitati concedat, hoc tamen casu timidè admodùm incedit, & magis negativam tenet. Equidem permittit in gravissima necessitate tale quid Principi suo, sed ita, ut illum apud homines, non verò Deum excusatum habeat, *qui igneo isto spiritu omnes istas humanas argutiolas diffiat, quasi ventus folia aut periculum tectorium.* Sicut loquitur ex Plauto, *4. Polit. 14.* Tandem etiamsi hæc sententiæ aliquid æquitatis haberet, ut nihil habet, satius tamen foret, eandem in Principum ambitiosorum animos non divulgare, quæ calumniis januam aperit, & improbis cupiditatibus tam magnificè opitulatur. Nemo inter belligerantes positus securus esse posset, & quilibet eorum, qui bellum gerunt, necessitatem prætenderet atque metum, ne fortè adversarius, nisi à se præveniatur, in alieno hunc vel illum locum opportunum occupatum velit, vigilandum itaque sibi esse, ne res suæ detrimentum aliquod capiant. Quod si sub hoc prætextu potitus loco fuerit, simplicitatem veteris domini & Grotii cautelas ingenti oris diductione ride-

(*a*) 4. Polit. 13.

ridebit. Quàm difficulter enim istiusmodi aves, si semel nidos fecerint, dimoveantur, Gallorum atque Suecorum in Germaniam expeditiones testantur, qui superiori tricennali bello occasione capta non contemnendas Provincias aut penitus ab Imperio nostro avulserunt, aut coacto feudali nexu ab eodem recognoscunt. Hoc etiam velo quondam Julius II. Pontifex Romanus, suam dominandi libidinem texit: Cùm enim Mirandolam oppugnare cepisset, quod oppidum habebat Dominos filios Comitis Ludovici Pici & tenebatur à matre filiorum tutrice, atque paulò antè ab ipso Julio in tutelam susceptum fuerat, rei invidiam meritò veritus, *si si usava, che le conditioni di tempi presenti lo constringnevano a procurare, che quelle terre non fussero tenute da persone sospette a se, offerendo, si volontariamente gli erano concedute, di restituirle, come prima havesse acquistata Ferrara, i. e. Excusabat se, quod ob necessitates temporum sibi curæ esse debeat, ne loca ista ab hominibus suspectis possideantur: Simulq; paratum se ostendebat ad restituenda ea, quamprimum occupavisset Ferrariam. Teste Guicciard. Histor. l. 9.*

Enna.] Enna illustrandæ huic rei idoneum exemplum non est, quoniam hîc quærimus de occupando loco tertii, qui neutri partium adhæret. Enna verò in devotione populi Romani erat, & valido tenebatur præsidio, quod trucidare, urbemque Carthaginensibus tradere intendebant Ennenses; quo ipso facto se hostes populi Romani fecerunt, & eo jure cæsi sunt, quod in hostes competit.

Navibus omninò opus haberent.] Notat hîc Dn. Ziegl. naves alienas à Principe ad suos usus adhiberi non jure revivisentis communionis, sed imperii. Ego hoc facilè in subditis concesserim, qui civile Principis imperium agnoscunt. Hos enim ipsos cum bello vel aliis negotiis publicis à privatis suis rebus abstractos rectè admoveret, tum magis res eorum destinare potest publicis commodis. Sed extraneos quod nam imperium coget, quod non agnoscunt. Horum sanè vix putaverim cum consensu Principis in territorio ejus navigantium, & solita exsolventium portoria absque impetrata venia naves ex justitia retineri posse: nisi summa necessitas excuset factum, quasi sub tacita hac conditione admissi in regnum sint.

§. 11. *Utilitatis innoxiæ.*] Procedit hoc non ex jure aliquo in res alienas, sed communi, quæ est inter nos homines, affinitate & consuetudine. Socialis enim ratio homini hominem utilem esse voluit.

§. 12. *Commune mansit.*] In jure Romano. In alia Rep. poterit legislator exteros arcere ab hausu aquæ ex fluminibus, præsertim si aliqua civilis ratio cooperetur, fortè quòd nolit cum peregrinis civibus suis commercia esse.

§ 13. *Patere debet his, qui transitu opus habent.*] Ego contra Grotium sic statuto. Regum aut eorum, qui τὸ κύριον habent, neminem, ullo jure teneri, ut patiatur quemlibet per suum territorium iter facere, sive fiat illud terra, sive aqua, imprimis ubi justa negandi transitus causa suppetit. Quod si enim privatus, ut per suum

fundum

Digitized by Google

fundum iter vel actum concedat, ab alio æquè privato non potest cogi, quantò minùs Princeps obligatus erit extraneum populum, à quo sæpiùs periculum est, in regnum admittere, quia, ut rectè ait Dn. Ziegl. *servile hoc est, & libero quovis homine indignum, ab altero ad injurias nudari, & inevitabili necessitate cogi, ut metuat.* Quandoquidem nunquam vel armatam vel aliam multitudinem Dominus territorii transire patietur, quæ eum non in impensas & metum justissimum præcipitabit, cùm nullus possit de animo alterius esse certus, &, ut dici solet, occasio furem faciat. Solo itaque metu absque aliis specialioribus causis allegato desistere debet, qui admitti vult, nec armis vindicare negatum iter, quoniam tertio nullum jus est in meo me invito quicquam vel postulandi vel exigendi. Injuria enim hoc colore Ferdinandus Hispanniarum Rex Johannem Labretanum Navarræ Regem regno exuit, quòd ipsi noluerat concedere transitum in Galliam propter amicitiam, quæ Navarro cum Gallo intercedebat. (*a*) Populus verò Israëliticus cùm in deserto hinc inde Deo duce exularet, ad confinia Idumæorum delatus transitum petivit. Quo negato vim non adhibuit, sed discessit placidè, quòd Edomitas jure suo usos sciviſſet. (*b*) Consultius tamen est negati transitus speciales exponere rationes, & sic ingressurum avertere humanitate, quàm rigida justitiæ usurpatione exasperare ad violentiam.

In Mosis historia.] Accedimus Gerhardo, qui

(*a*) Thuan. Hist. lib. 1.
(*b*) Num. 20, 18. &c.

qui idcircò Mosis bellum in Amorrhæos justum fuisse dicit, quòd Rex eorum cum exercitu occurrerit ad vim inferendam, non arcendam, sicut antea Edomitæ. Populus igitur Israëliticus mansit in defensionis terminis. Accedit in hoc exemplo expressum Dei mandatum, qui Amorrhæos cum Basanitis deletos voluit, & eorum terram populo suo in hæreditatem datam.

Neq; rectè excipiat.] Imò hæc est justissima exceptio, cui is, qui admitti petit, acquiescere debet, neque tenetur Dominus oblatas accipere cautiones, quamvis nec facilè recusandas prudentia rectoria moneat.

Jus enim meum.] Quod nam verò hoc jus est? sanè destructo fundamento communionis naturalis facilè exspirat jus eundi per alienam regionem invito domino.

Sibi præsidia idonea.] Vix hanc cautionem praxis admittet. cùm multum temporis ad idonea præsidia conducenda requiratur, illius verò, qui transire vult, negotia requirant plerunque celeritatem itineris, qui insuper non facilè suis impensis alienas vires augeri patietur.

Ad negandum transitum non valet.] Quidni valeat? quoniam facilè ita in suspiciones & damna incidere possum. Et quid si alter minetur, si concessero transitum, velle se transgressuro in meo cum exercitu occurrere, atque ibidem constituere belli sedem. An ego teneor cum periculo proprio consulere alienis commodis? Non opinor.

Impediendi nemini jus est.] Imò est, si meum interest, commercia ab aliis per ditionem meam

meam non exerceri: fortè quia ego ipse in eadem regione commercia habeo, quæ alter nunc mihi erepturus aut impediturus est. Quanquam enim liberum commerciorum usum cum quacunque gente nemini prohibere possum, possum tamen ex hac causa denegare transitum, ita ut vel planè non vel nō tam commodè negotiari queat, quia jus in meo propter incommoda alterius non tollitur, & quod dicitur de libertate transitus usuque viarum publico, intelligendum ita est, ut semper tamen Reip. causa habeatur potior, qua invita nemo in ejus res vel bona jus aliquod habet. Est etiam sufficiens negandi transitus causa, si quis opinetur, subditos ad transeuntem defecturos, vel iri corruptum à moribus ac vitiis exterorum, qui transitum postulant.

§. 14. *Aut ad præstandam securitatem.*] Vel etiam ob hoc solum, quòd quis mercibus per suum territorium concedit viam, ut commodè transvehantur. *Add. Dn. Ziegl.*

§. 15. *Morari quoq.*] Nos hoc ita demum concedimus, quando voluntate Principis vel tacita consuetudine recepti sunt: tunc enim etiam innoxia mora, quæ justas causas habet, simul concessa intelligitur.

§. 16. *Sed & perpetua habitatio.*] Jus hîc separandum censemus à consilio. Secundùm justitiam neminem teneri invitum in suam ditionem quenquam recipere existimo, quia hæc res est arbitrii utrinque liberi; Quemadmodum enim qui superiorem neminem agnoscit, cogi nequit, ut alterius accedat imperio, nisi hoc faciat sua sponte, ita multò minùs Impe-

Imperans obligatus erit quoslibet accipere advenas, qui sedibus pulsi alienas terras quærunt, cùm talis receptio soleat interdum esse periculosa. Dido sanè cum exigua familia ab Affris recepta, temporis progressu sibi in receptores suos dominatum quæsivit, & Æneæ in Italiam adventus Romanis orbis tandem dominis initium fecit: Consilii tamen quandoque erit suppliciter petentes inculta loca ad vitæ humanæ necessitates, inutili repulsa non exasperare ad desperationem. Accedent imperio tuo, & fient sicut alii subditi incrementum potentiæ: quos si rigidè repuleris, ad bellum certissimum res est deventura, cujus exitus periculosi & incerti, ita ut omni ævo legamus, indigenas sæpiùs à peregrina multitudine sedibus expulsos & internecione cæsos esse.

§. 17. *Quia occupatum censeri non debet.*] Falsum hoc est. Nam quod semel quis occupavit, id non excolendo non cesetur dereliquisse; animus ejus & intima voluntas spectanda est, qui in dubio & extra juris civilis adsistentiam non præsumitur. Quin & per germanicum bellum multas ditiones exhaustas desertasque fuisse novimus, quæ tamen occupanti non cedebant, sed impetranda erat à Principe venia, ut liceret illas excolere. Ipse Grotius concedendo imperium veteri populo salvum manere dominio nihil relinquit, quia in quod imperium habeo, in illud & dominium imperii necessarium consequens. Interest etiam quandoque Principis, ne sibi invito agnascatur civis: posset enim ejusmodi populus desertorum culturam petere, quæ Reip. magis

gis esset damno quàm emolumento: ut quando loca virgultis vepribusque obsita propugnaculum arcendis ab illa parte hostibus præbent. Et tamen si jus petitori in rem incultam est, nemo poterit repelli sub civili aliqua ratione. Itaque quicquid inculti & deserti soli in regno invenitur, id omne arbitrium superioris expectat, cui id velit addictum, ut non occupatione, sed assignatione possessoribus acquiratur.

§. 18. *Domino.*] Ejus enim, qui rem venalem exposuit, non multum interest, cui vendat, modò pretium, quod petit, tam facilè & probè ab extraneo habeat, quàm cive. Quod si autem imperans subditis suis interdicit commercium cum aliis, tunc illi tenentur voluntati Principis obtemperare.

§. 19. *Jus esse omnibus hominibus.*] Quod jus tamen ego nequaquam, ut facit Grotius, explicaverim, quasi omnibus hominibus facultas quædam sit cogendi possessorem, ut quod ipsi superat, sibi egenis vendere velit. Nam sicut dominus rei suæ in ejus usu omnibus aliis præfertur, ita etiam eidem liberum est apud se statuere, venditum cupiat nec ne, quod in familia abundat, an per retentionem accrescere divitias. Et quod de privato dicitur, hoc etiam ad populum aliquem rectè extenditur, ut scilicet cogi nequeat ad vendenda ea, quæ vendere noluerit. Sed & ampliùs, ubi rem venalem semel exposuit, ut cuivis licitanti vendat, nullum jus eum cogit. *Dn. Ziegl. & ab eo alleg. Carpz. l. 1. resp. 58. n. 14.* nam licèt commercia eum imprimis finem habeant, ut inopiæ tertii succurratur,

nemo

nemo tamen indigens ex eo fine jus habet, ſed erit volunsatis & electionis domini rei. Quin & Principi licebit planè omne commercium ſubditis ſuis cum aliqua gente extera prohibere, aut etiam edicere, ne certa fructuum genera alienis, quamvis eorum indigis, divendant, ubi uſus & Reip. neceſſitas hoc poſtulat. Jus itaque ad aliena redimenda nemini proprie & ſtrictè ſic dictum eſt, ſed eatenus tantùm, quatenus unicuique, qui non ſpecialiter arcetur, licet venditorem adire rogatum de pretio rei vendendæ, quam deinde ut roganti vendat, in poteſtate venditoris eſt.

Expelli poſſe.] Quidni? ſi ante neceſſitatem advenerint, Resp. verò ſuos fructus alendis civibus vix ſuffecturos [illegible]at, imprimis ubi ſine vitæ periculo in alienas terras emigrare poſſunt liberiorem vitam quæſitum. Quin & in urbis alicujus obſidione inermem turmam emittere licere ad fugiendam famem, ſi eam hoſtis dimittat, exiſtimo, recipiendam tamen, ubi quod ſæpiùs accidit, obſeſſor abſceſſum non concedat, neque tamen alimenta largiatur.

§. 20. *Cuilibet liberum eſt ſtatuere.]* Si cuilibet liberum eſt ſtatuere, quid acquirere velit vel non, erit etiam cuilibet liberum, quid velit vendere, propter relativam emptionis & venditionis naturam. Aliàs venditoris conditio longè deterior eſſet, quàm emptoris, cùm hic cogere poſſit venditorem, ut ſibi vendat, ille verò emptorem re opus habentem cogere nequeat, ut à ſe potiùs emat, quàm alio, id quod bona fides contractus, quæ utrinque liberam voluntatem requirit, admittere non videtur. §. 21.

Digitized by Google

§. 21. *Facultas comparandi uxores.*] Annotat hic Dn. Zieglerus, ſicuti jure interdici poteſt, ne nubat Titio, *l. 63. & 64. ff. de condit. & demonſtr.* it. ne mercatori aut Doctori, ſic populum interdicere poſſe, ne filiæ ſuæ nubant huic vel illi genti. Quod ego hactenus concedo, in quantum is, qui connubia ambit, aliunde copiam ducendi uxorem habet. Quod ſi verò unanimi vicinorum conſpiratione extinguendo generi ambientium id fieret, eo ſanè caſu excuſarem raptum mulierum, quas inhumanitas amicæ petitioni denegavit, ſicuti plerique, qui raptas Sabinas commentantur, benigniùs reſpondent pro raptoribus; Quæ cùm ita ſe habeant, quantò magis Princeps filias ſubditorum ſuorum in matrimonium vicinæ genti dare poterit, qui ingens illud in perſonas imperium habet. Quin & fœdus nihil impietatis aut moralis mali habere dico, quod populo confirmat facultatem ambiendi connubia, quam jam antè ex naturali habebat libertate. *Conf. Horn. de Civit. l. 2. cap. 2. theſ. 20.*

Fœminarum copia ſuppeteret.] Tali caſu nos quoque libera eſſe conjugia volumus, nec rapiendas virgines, quas ab alio bonâ veniâ impetraveris.

§. 22. *Ei fit injuria.*] Non exiſtimo. Nam ſi omnibus populis actus ejusmodi prohiberi poſſunt, ut venatio, piſcatio & alii libertate naturali competentes, quid obſtabit, uni alterive genti hæc concedere in formam beneficii, cùm alius ex mente Grotii conqueri nequeat, ſi omnes prohiberem. At quid intereſt ejus, quem

jure

jure prohibere possum, si alium admittam. Magis enim hæc concessio beneficii sapit speciem, quàm indolem exercitii naturalis libertatis.

§. 24. *Licitè prævertere potest.]* Priusquam scilicet tertio jus aliquod quæsitum est. Nam si alii quoque populi cum illa gente exercuissent commercia, & fœderibus se invicem mercatuum causâ initis devinxissent, malè præriperet alter, quod tempore priores usu jam possidebant. Hactenus itaque lucri præventio procedit, ut orbe novo vel alia incognita insula detecta primo inventori jus fuerit vi pacti sibi cavere de rebus aliis, qui superventuri sunt, non vendendis, quas res ipse in nostras terras deferre & æquo pretio venales exponere cupit.

Legibus civilibus prohiberi.] Sic refert Aristoteles, (a) quendam in Sicilia deposita apud ipsum pecunia omne in tota insula ferrum coëmisse, quod deinde mercatoribus divendiderit modico adjecto, ita tamen, ut semper ex quinquaginta talentis receperit centum. Verùm Dionysius Siciliæ Rex re cognita, pecuniam quidem eum, qui hoc monopolium habuit, retinere voluit, insula tamen sua ac regno excedere, quòd tales diteſcendi modos cognoverit τοῖς ἐαυτοῦ πράγμασιν ἀσυμφόρους, *i. e. suis rebus, sive rationi status adversos.* Dionysius enim ut Tyrannus nolebat, ut subditi sui ad multas adspirarent divitias, quoniam pecunia ut belli nervus & omnis pecuniæ instrumentum viam sternit oppressioni Tyrannorum, qui ideo cives rerum vexant inopia, ne ea, quæ ingenuos decent, possint cogitare, dome-

(a) 1. Polit. 7.

domesticis impliciti curis: deinde, quòd monopolia Dionysius sibi reservavit, quam ob rem ægrè tulit ab alio sibi præripi pecunias, quas ipse esset interversurus. Sicut duas has rationes conficit *Piccard. ad Polit. Aristot. d. l.*

CAPUT III.

DE ACQUISITIONE ORIGINARIA RERUM. UBI DE MARI ET FLUMINIBUS.

§. 1.

Per divisionem.] Quoniam hoc assertum præsupponit, communionem rerum in mundi primordiis usitatam fuisse, & hac demum antiquatâ, per divisionem etiam quasdam acquisita, quod suprà rejecimus, ideo negamus, ullo unquam tempore originariè aliquid per divisionem acquisitum; originariè inquam, nam de acquisitione derivativa non loquor. Frustra enim id divisum esset, in quod nemini citra occupationem jus competebat, nisi in potentia, sicuti *præc. cap.* satis explicavimus. Quare priùs necesse erat per occupationem res facere proprias, quas deinde in alios dividere domino licebat. Est igitur originarius acquirendi modus præter occupationem omninò nullus, quoniam Deus hominibus non continuò ipsarum rerum dominia, sed facultatem illas sibi appropriandi concessit.

Nunc per occupationem.] Corrigit hoc Dominus Ziegl. & putat dari casum, quo & per divisionem originariè etiam hodiè aliquid acqui-

ratur, *quatenus ſ. nova poſſunt occupari terra & ſingulis ea deinceps dividi per aſſignationem. Etſi enim diviſio iſta ab occupatione prævia dependere videatur, quatenus dominium jam occupatum in ſingulos transfertur, eſt tamen ea ſaltem iſtorum ſingulorum & dominii privati reſpectu modus originarius.* Quod tamen exemplum huc eximiè non pertinere arbitror. Loquitur enim Grotius de acquiſitione rerum ab omni poſſeſſione ac dominio vacuarum, eamque vocat acquiſitionem originariam, ubi quis rem vel nullo unquam tempore occupatam, vel per derelictionem libertati priſtinæ reſtitutam ſibi acquirit; id quod ſanè de caſu Domini Ziegleri dici nequit, in quo univerſitas territorium jam occupatum ſingulis aſſignat, & non magis iſta diviſio reſpectu ſingulorum originaria acquiſitio eſt, quàm cùm parens dividit inter liberos bona, quæ liberorum non fuerunt, ſed parentis.

§. 2. *Inerat in dominio.]* Non formaliter, ut quispiam in ſua re haberet formalem hypothecam aut ſervitutem, ſed virtute, quatenus domino facultas eſt vel ipſam rem alienandi, vel jus aliquod conſtituendi in re.

§. 4. *Imperium.]* Satis confusè hîc Grotius de Imperio & dominio loquitur, quæ explicatiùs ſic habent. Imperium politicè conſideratum, & quatenus abſtrahit à judiciali juris civilis applicatione, potiſſimùm dupliciter accipitur. Uno modo, ut univerſam majeſtatem in ſuo auguſtiſſimo complexu denotat, & ſic etiam includit dominium. Altero, quatenus eſt facultas quædam majeſtatis particularis, habens objectum

ſuum

ſuum determinatum, perſonam, in quod agit, & contra diſtinguitur dominio, quod in alias territorii res omnes extra perſonam competit, & illius immediatum conſequens eſt. Scilicet qui jura majeſtatis non vulgari modo tradidere, evitandæ confuſionis causâ illa in duo ſumma capita diſtribuunt, ad quæ, quæcunque Princeps in civitate expedit, revocari commodè poſſunt. Imperium ſcilicet in perſonam & dominium in res: ex quibus deinde univerſi regimen conflatur. Atque hanc partitionem leges bonæ diviſionis requirere videntur. Quoniam enim majeſtas eſt totum quoddam poteſtativum, in regimine univerſæ civitatis occupatum, pro diverſitate verò objecti, in quod agit, diverſa ſortitur nomina, ut ſuprà declaravimus, & tamen commodiſſimè univerſus civitatis complexus duobus abſolvitur, perſonis atque rebus; illam quidem potentiam, quæ perſonas afficit, imperium dixere, & quæ res, dominium, convenientiſſimis, me hercules, nominibus, & ipſam utriusque objecti indolem accuratè exprimentibus. Quippe imperii & imperare propriè eſt, ordinare, præcipere, vetare: obſequii autem, imperantis voluntatem percipere & intelligere, locoque habere regulæ, ad quam actio civilis procedat, & operatio ordinationi ſuæ applicetur: quodlibet horum præſupponit intellectus præſentiam, & non niſi à rationali ſubjecto expediri poteſt: intelligens autem ſubjectum præter perſonas ſive ſubditos, in quod quidem imperium agat, in tota civitate nullum eſt. Princeps enim huc non pertinet, quoniam nemo ſibi ipſi imperare poteſt: quare de alio imperium non

rectè prædicatur, cùm extra hominem ubique deficiat normæ præcipientis perceptio & applicatio. Dispositio itaque & regimen circa alias res, cùm propriè imperium non sit, dominium vocatur, non minùs congruo vocabulo, quia nimirum citra intellectus operationem se voluntati regentis vel per sensus externos vel per manualem directionem merè passivè conformant, V. gr. equus vehendo currendóve mandatum domini exequitur, non quòd illud intelligat, sed quoniam arte, frenis & calcaribus ferocia ejus corrigitur, & nescientia impletur. Agellus item fructus fert non jussus vel propter imperium, sed culturam. Differunt ergo hæc duo tam objectis quàm regendi modo. Imperium requirit objectum intelligens sive personam: Dominium est potestas de re corporali perfectè disponendi. Ibi persona est, hîc res, quæ citra ullam cooperationem arbitrium domini & dispositionem admittit. Subditus verò, quem natura intellectu decoravit, jubetur, jussum exaudit, intelligit, &, nisi velit inobedientiæ reus fieri, obtemperare debet. Quamprimum Principis mandantis voluntatem percepit, continuò expendit imperii & actionis, quam jussus est exequi, indolem, & hanc juxta illud instituit. Quibus necessariò præmissis ad nostrum veniamus Grotium. Et primò quidem imperium, quatenus notat potestatem in personam, occupari eo sensu, quo dominium occupari dicitur, ego non concesserim, quoniam illa facultas, quæ à Deo hominibus data est, in personas non competit, quæ res alias occupant, ipsæ verò invitæ absque specialibus circumstantiis, (v. gr. bello fortè

fortè justo) non occupantur. Illud verum est, posse populum aliquem adhuc liberum se in servitutem personalem aut civilem tradere, & sic adipiscitur, cui fit traditio, in illum populum imperium, sed eo volente, non invito: aliàs autem res nondum acquisitas sola nostra voluntate occupamus. Quod si Grotius nudam occupationem & inde oriens aliquod jus in rem intendit, sepositò justi aut injusti examine, concedo, populum à potentiori subjugari; Sed talis occupatio injusta est & violenta, habens quidem aliquem effectum moralem, i. e acquisitionem imperii, & per hoc negatam resistendi facultatem, acquirentis verò actum non justificat, nisi accedente subditorum expressò vel tacito consensu.

Quæ proprie nullius sunt.] Suprà Grotius *l. 1. c. 1. thes. 5.* facultatem, quam JCti nomine *sui* appellant, asseruerat continere potestatem tum in se, tum in alios. Jam qui potestatem in se habet, quomodo possit esse nullius, non video. Nullius enim in genere occupationis dicitur, quod liberum est ab omni proprietate vel aliquo competente jure. Homo autem naturaliter jus habet in se, i. e. ad libertatem suam conservandam, quare tertii occupationi non patebit.

Imperium duas. Imperium propriè acceptum, sicuti declaravimus, res tanquam materiam habere non potest, nisi quatenus is, cui in personam competit imperium, in ejus res non possit non habere dominium. Nam accessorium sequitur suum principale.

Manente penes quem fuit imperio.] Potiùs dicendum, in extraneos, qui neque cives, neque e

quoque modo Reip. subditi, territorium aliquod alienari quoad dominii translationem non posse, absque amissione imperii sive dominii eminentis, ut ego intelligo. Continuò enim dominus illius subditi, in quem fit alienatio, in rem alienatam dominium eminens ex conditione imperantis & parentis acquirit, quod prioris domini, sc. alienantis, potestatem extinguit, si cum ejus voluntate alienatio facta sit: quòd si sine consensu ejusdem, nulla est alienatio ob defectum juris sive potestatis alienandi bona, quæ certo respectu & Reip. sunt. Neque juvat Grotium citatus locus ex Siculo, cùm ibi sermo sit de assignatione agrorum vicinorum, qui tamen ad unam Remp. spectabant, & saltem ratione municipiorum hujus vel illius esse dicebantur, id quod faciliùs contingit, sicuti & aliquis plurium municipiorum civis esse potest, nec tamen plurium perfectè Rerump.

§. 5. *Juris gentium vocant JCti.*] Non infrequens est in jure civili ejusmodi variatio, ubi modò hoc juris gentium dicitur, quod alio loco dicebatur juris naturalis, & vice versa. Id quod partim ex scriptorum incuria atque opinantium diversitate, partim ex non satis accuratè concepta juris naturalis & gentium natura atque objecto originem traxit, cum notabili simpliciorum præjudicio, qui facilè se in alienas partes absque dil gentiori rerum indagatione trahi patiuntur.

§. 6. *Nisi in eo, qui ratione utitur.*] De originaria acquisitione res mihi dubio carere videtur, quoniam ille quicquam occupare nequit, qui animo atque voluntate occupandi destitutus est.

Sed

Sed Grotius nimis generaliter & indistinctim de dominio loquitur, negatque existentiam in eo, cui usus rationis in actu secundo negatus est: id quod nullo modo concedimus. Namque dominium dicitur jus quoddam in re corporali, quo res propria est. At verò illa proprietas infantibus accrescere potest absque speciali illorum consensu, ut fit in successione in hæreditatem legitimam & aliis casibus, quibus ignorantibus atque invitis acquiritur. Sanè neque jus naturæ, neque humana conditio quicquam de incapacitate subjecti infantis vel furiosi quoad dominium retinendum novere. Neque obstat, quòd destituti ratione in actu secundo de rebus suis disponere, easdem alienare vel vindicare nesciant. Hæc enim omnia non ad formam dominii, sed ejus effectus & consequentia pertinent, nisi procuratores & tutores rerum pupillarium dominos, non ipsos pupillos efficere velis. Adde, quòd, qui aliquid per alium facit, ipse fecisse videatur. Jam verò tutores curatoresve omnia nomine pupilli aut furiosi faciunt, quare hi ea egisse videntur per suos præpositos.

§. 8. *Dummodo non ita.*] Supervacanea hæc est cautela, & supra ostendimus, per se, non demum in relatione ad terram mare rectè occupari.

§. 9. *Manifestè distinguunt.*] Variant multum DD. in tradenda rerum publicarum & communium vera differentia. Verissima illa est. Res communes in jure nostro dici, quarum proprietas nullius est, usus verò omnibus patet. Res autem publicas, quarum usus æquè patet omnibus,

proprietas verò pertinet ad certum aliquem populum. *Ludvv. ad Instit. de R. D. §. 3.*

Ad ædificium.] Nam tantisper aliquis sibi jus in littore per ædificationem quærere potest, donec consistat ædificium: quo dilapso locus redit in pristinam libertatem ceditque occupanti. Non enim manet littoris superficies absque impositis ædibus occupantis, quia nullius in jure Romano esse dicitur.

§. 10. *Quibus in locis tale jus gentium.]* Sc. partialis inter populos aliquos consuetudo.

§. 11. *Tamen ex eo solo.]* Accipiam hoc cum ea limitatione, nisi portio maris per duo promontoria valdè territorio occupato inclusa sit; Aliàs etiam de mari extero terram occupatam alluente dicerem, absque speciali actu non occupatum censeri per solam terræ acquisitionem; cùm omninò mare, etsi alluens terram, pars & accessorium ejus non sit, sed separatum quid tam naturâ quàm terminis. Nec in primæva occupatione plus occupatum existimari debet, quàm quod actu extraneo physico apprehensum est. Unde ex ratione contrariorum sequitur, licèt quis terram pro derelicta habeat, mare tamen occupatum sine pleniori voluntatis signo propterea derelictum non esse.

§. 12. *Illud certum est.]* Quæ in *cap. præced.* diximus neminem invitum cogi posse, ut tertii transitum patiatur per suum territorium, eadem & de mari rectè asserimus adempta omni facultate vindicandi negatum iter.

§. 13. *Ut autem solum imperium.]* Iterum non satis constat, quo sensu Grotius vocem imperii

perù capiat. Propriè enim sic dictum de mari non rectè prædicatur. Quod si intelligit superioritatem quandam eminentiorem, ea qua ratione in dominium bonorum publicorum, vel eminens vel privatum non resolvatur, aut potiùs ibidem fundetur, non video. *Conf. omn. Dn. Ziegl.* Concesso itaque in mare imperio, simul dominium concessum est; illud enim imperium absque jure aliquo reali concipi nequit, hoc verò jus reale dominium est.

Ut si classis.] Rectè hîc Dn. Zieglerus, non propterea quem quòd in personas imperium habet, etiam in terræ aut maris portionem, in qua illæ inveniuntur, imperium accipere.

§. 14. *Recepto in se onere.*] Sed & simpliciter domino maris, qui suam ditionem navigare patitur, vectigal à navibus exigere licet. *Conf. quæ ad §. 14. c. 2. prec. diximus.*

§. 15. *Sed hæc non docent.*] Si Grotius in antecedentibus argumentis infallibilibus incapacitatem occupationis maris demonstrasset, non repugnarem explicationi. Verùm contrario antè à nobis firmissimè defenso potiùs jam statuendum erit, populis invicem jus in mare competiisse, & per talia pacta, juris quæsiti declarativa, illud sartum tectumque conservatum esse; V. gr. Populus Carthaginensis vel alius jam in mare sibi dominium comparaverat, quod ne aliorum avaritiâ audaciâve turbatum iret, plenioribus pactis prospexit rebus suis, adstricta aliena habendi cupiditate per vinculum religionis & juramenti.

§. 16. *Nihil de territorio mutatur.*] Ratio

est, quoniam non flumen territorii terminus erat, sed alius vel per mensuram & jugera ordinatus, vel manuali operâ erectus. Mutato itaque flumine manent nihilominus antiqui termini.

Id occupantium imperio.] Quoniam scilicet ab utriusq; confinii jurisdictione separatum est, quæ se ultra suos terminos absque speciali rerum, quæ nullius sunt, occupatione non extendit: quare occupantibus cedet alluvio illa, non solùm iis, qui propè ditiones possident, sed & aliis quibuscunque. In res enim adhuc à proprietate vacuas vicino plus juris non competit, quàm remotiori, nisi quòd ille faciliori & celeriori actu eas suas facere possit, si vult.

Mutat & territorii fines.] Quia flumen placuit territoriorum terminus, qui decursu aquarum conterminas regiones facere debuit: Defluxu igitur per accrementũ mutato, mutantur & fines. Id quod tamen de additione vel diminutione partiali intelligendum, non si flumen omninò alveum suum deseruerit, & aliorsum fluere inceperit, sicut rectè Grotius *in §. seq.* limitat.

§. 17. *Non idem erit, quod fuit.*] Qui enim ab initio suorum confiniuni terminum posuerunt flumen, absque dubio intellexerunt, ut est tempore conventionis. Quod quoniam per derelictionem alvei veteris aliud est factum, malè prima conventio contra contrahentium voluntatem novo & non cogitato casui applicatur.

§. 19. *Alio quodam tenuiore jure.*] Non tam alio, quàm quatenus dominium privatum subordinatur dominio eminenti, ideoque non tenuiori,

tenuiori, sed validiori & majori jure. Nam Princeps in bona subditorum longè validius atque eminentius jus habet, quàm Senior in rem Vasalli feudalem, vel proprietarius in Emphyteusin.

Ut multæ sunt juris in rem species.] Vulgò quinque faciunt. Dominium, servitutem, pignus, possessionem, & hæreditatem. De quib. *Hahn. ad Wes. de judic. n. 4.* Malè quoque Grotius jus ejus, qui sub conditione fideicommissum expectat, jus in rem dicit, cùm ne personale quidem sit ob suspensivam incertitudinem, quæ neque transmissionem ad hæredes admittit. *Dn. Ziegl. ad h. l.*

CAPUT IV.

DE DERELICTIONE PRÆSUMPTA, ET EAM SECUTA OCCUPATIONE. ET QUID AB USUCAPIONE ET PRÆSCRIPTIONE DIFFERAT.

§. 1.

Cum lege civili sit introductum.] Malo hîc Grotium sequi, quàm cum Dn. Zieglero originem usucapionis referre ad jus gentium. JCti etiam Romani, qui, ut demonstravimus, aliàs de jure gentium nimis contemptim & abjectè loquuntur, multaque ad illud referunt, quæ interiùs examinata aliorsum pertinent, in hoc tamen puncto non ausi sunt pro jure gentium dicere, sed usucapionem sine hæsitatione ad modos, quibus jure civili dominium acquirimus, retulere. Neque quemquam rationes Ziegleri morari debent,

bent, *usucapionem esse inventum hominum, usu & necessitate exigente comparatis inter se rebus excogitatum.* Nam non continuò omne hominum inventum usu & necessitate excogitatum ad jus gentium pertinet, sed tum demum, quando etiam in mutua ad gentes relatione consistit, ita ut eo læso vel abrogato læderentur aliæ gentes. At verò usucapionem in qualibet Rep. salvis aliorum populorum juribus abrogari posse quis dubitet? qui consideraverit, illam abbreviandis litibus & ob dominiorum certitudines inter cives hujus vel illius Reip. introductam esse, non ut sit norma communis dirigens gentium publicos actus ad justitiam & omnium tranquillitatem. Quare tradunt juris interpretes, usucapionem & Principem & Statutum tollere posse, imò à privatis eidem renunciari pacto, *Hahn ad Wes. de usuc. n. 14.* At sanè neque Princeps, neque privata conventio, ea, quæ sunt juris gentium, rectè abrogabit. Sic quoque, quod dicitur à *Dn Hahn. d. l. præscriptionem principaliter esse juris privati, & ad utilitatem privatam principaliter spectare, juris autem publici esse, & propter bonum publicum introductam saltim per consequentiam*, quomodo conveniat cum eo, quod suprà asseruit n. 9. usucapionem esse juris gentium, non satis video: quoniam quæ juris gentium sunt, illa non principaliter spectant utilitates privatas, sed communem potiùs gentium justitiam & tranquillitatem. Sed δαίμονα hæc ἐμμάτων & ineptitudines oriuntur ex confusis vel neglectis moralis disciplinæ principiis, cùm origo rei refertur ad id, ex quo res oriri non potuit.

potuit. Illud quoque benè advertendum est, usucapionis fundamentum, quo ejus nititur justitia & æquitas, in jure gentium deficere. Nam dominium eminens, quod in civitate privatorum bona superiori potestate afficit & moderatur, potest quidem uni civium, qui tam negligens suarum rerum est, ut intra satis longum tempus illas non requisiverit aut vindicarit, in pœnam dominium auferre, & possessori transcribere, inter populos verò, quorum neuter in alterum jus potestatemque habet, sed uterque suo arbitrio independens, ut ajunt, vivit, ejusmodi actus intermedius legitimans acquisitionem intercedere nequit. Non necesse habemus, ut justificandæ usucapionis gratiâ ad obscurum & falsum subsidium recurramus, duo scilicet hîc collidi principia, quorum infirmius validiori cedere debeat; Quippe hucusque in morali doctrina satis demonstratum non est, duo principia moralia unquam in se concurrere & sibi adversari. Sua certitudine gaudet naturæ atque gentium jus, & omnia per indissolubilem compagem jucundissimo concentu sibi copulantur. Res quidem & objectum principiorum aliquando mutatur, sine periculo tamen *destruendi*, quia mutata res principiorum objectum esse desinit. Verùm itaque est juris naturæ principium, domino rem suam esse reddendam, sed illud tamdiu verum, dum dominus manet, & se ipsum dominio non reddit indignum. Neque impingit in hoc principium illud aliud, Reip. interesse, ne dominia rerum in incerto sint, cùm, ut diximus, majestas ademerit domino veteri rei dominium, & in pœnam negligentiæ addixerit diligentio-

gentio-

gentiori, frustra itaque laboratur de re reddenda domino, qui amplius non est. Ut nunc taceam, ultimum quod dicitur principium juris non naturalis sed civilis esse. Quod si jam objicis, ex mea opinione meras rerum incertitudines sequi; regero tibi ego, animum mihi non esse negare, ex diutina possessione acquiri aliquando dominium, sed saltem quòd illius acquisitionis titulus non sit usucapio illa civilis, fundata in dominio eminente, vel unico lapsus certi temporis, verùm potiùs præsumpta derelinquentis voluntas, qui rerum suarum nullam gerens rationem, illas tacitè occupanti cessisse videtur, quæ deinde præsumptio si firmissimis rationibus elidi posset, non dubitarem ego pronunciare, nullo tempore ex sola possessione dominium, quod apud alium populum est, sine cessione acquiri, ac propterea magnum illud incommodum, de quo Grotius h. non sequitur sententiam nostram, cùm diutina possessio, maximè verò immemorialis firmissimam præsumptionem tacitæ voluntatis possessori tribuat, non eludendam, nisi certissimis impotentiæ adversæ partis demonstrationibus, quòd sc. amittens, & ejus successores ex tanto temporis intervallo non potuerint recuperare res suas, & de jure integro conservando sæpius sint protestati, aut à protestatione justissimis impedimentis avocati. Existunt è contra viri eruditi, qui sola possessionis usurpatione absque ullo temporis tractu imperium in subjugatos acquiri statuunt. Ita *Clariss. Dn. Hornius de Civit. l. 2. c. 9. thes. pen. & ult: tamdiu retinere*, ait, *invasorem in subjugatos imperium, donec pari vi aut pactorum*

rum conditionibus iterum amittat. Ego ut hoc in statu populari, ubi omnes sui juris sunt, facilè admiserim, ita in regimine, quod est regium, ubi cives juramento fidelitatis Principi tenentur, non concedo. Nemo subditus imprimis per adhibitam injustè violentiam obsequio debito se eximere potest, si illud Imperans sua sponte remissum nolit: & quamvis imperium suum ob usurpationem invasoris exercere nequeat, illud tamen nihilominus actu primo retinet. *Conf. omn. quæ notavimus ad l. 1. c. 4. circa fin.*

§. 2. *Cur ipse ejusq; majores.*] Atque ita se fundat Jephthes in suo præsumpto donationis vel derelictionis titulo. Rex Ammonitarum & ejus Majores per trecentos circiter annos in possessione alios esse passi sunt & tacuerunt, ergo censentur juri competenti renunciasse.

§. 3. *Interni actus meri.*] Scilicet quoad coactionem physicam; Quoniam enim tales legis latori animadvertere impossibile est, ideoque eosdem ad genium delicti examinare & supplicio competenti subjicere nequit. At verò subjacent legibus actus humani merè interni quoad coactionem moralem, dum contumax conscientiam lædit, & in continuo ultricis iræ divinæ metu conflictatur.

Ideo, quod sufficienter indicatum est.] Uberiùs hæc verba declarat Grotius *in c. 16. huj. libri. Quia interni actus per se spectabiles non sunt*, inquit, *& certi aliquid statuendum est, ne nulla sit obligatio, si quisq; sensum, quem vellet, sibi affingendo, liberare se posset, ipsa dictante naturali ratione jus est ei, cui quid promissum*

est,

rectè prædicatur, cùm extra hominem ubique deficiat normæ præcipientis perceptio & applicatio. Disposítio itaque & regimen circa alias res, cùm propriè imperium non sit, dominium vocatur, non minùs congruo vocabulo, quia nimirum citra intellectus operationem se voluntati regentis vel per sensus externos vel per manualem directionem merè passivè conformant, V. gr. equus vehendo currendóve mandatum domini exequitur, non quòd illud intelligat, sed quoniam arte, frenis & calcaribus ferocia ejus corrigitur, & nescientia impletur. Agellus item fructus fert non jussus vel propter imperium, sed culturam. Differunt ergo hæc duo tam objectis quàm regendi modo. Imperium requirit objectum intelligens sive personam: Dominium est potestas de re corporali perfectè disponendi. Ibi persona est, hîc res, quæ citra ullam cooperationem arbitrium domini & dispositionem admittit. Subditus verò, quem natura intellectu decoravit, jubetur, jussum exaudit, intelligit, &, nisi velit inobedientiæ reus fieri, obtemperare debet. Quamprimum Principis mandantis voluntatem percepit, continuò expendit imperii & actionis, quam jussus est exequi, indolem, & hanc juxta illud instituit. Quibus necessariò præmissis ad nostrum veniamus Grotium. Et primò quidem imperium, quatenus notat potestatem in personam, occupari eo sensu, quo dominium occupari dicitur, ego non concesserim, quoniam illa facultas, quæ à Deo hominibus data est, in personas non competit, quæ res alias occupant, ipsæ verò invitæ absque specialibus circumstantiis, (v. gr. bello fortè

fortè justo) non occupantur. Illud verum est, posse populum aliquem adhuc liberum se in servitutem personalem aut civilem tradere, & sic adipiscitur, cui fit traditio, in illum populum imperium, sed eo volente, non invito: aliàs autem res nondum acquisitas sola nostra voluntate occupamus. Quod si Grotius nudam occupationem & inde oriens aliquod jus in rem intendit, sepositò justi aut injusti examine, concedo, populum à potentiori subjugari; Sed talis occupatio injusta est & violenta, habens quidem aliquem effectum moralem, i. e acquisitionem imperii, & per hoc negatam resistendi facultatem, acquirentis verò actum non justificat, nisi accedente subditorum expressò vel tacito consensu.

Quæ proprie nullius sunt.] Suprà Grotius *l. 1. c. 1. thes. 5.* facultatem, quam JCti nomine *sui* appellant, asseruerat continere potestatem tum in se, tum in alios. Jam qui potestatem in se habet, quomodo possit esse nullius, non video. Nullius enim in genere occupationis dicitur, quod liberum est ab omni proprietate vel aliquo competente jure. Homo autem naturaliter jus habet in se, i. e. ad libertatem suam conservandam, quare tertii occupationi non patebit.

Imperium duas.] Imperium propriè acceptum, sicuti declaravimus, res tanquam materiam habere non potest, nisi quatenus is, cui in personam competit imperium, in ejus res non possit non habere dominium. Nam accessorium sequitur suum principale.

Manente penes quem fuit imperio.] Potiùs dicendum, in extraneos, qui neque cives, neque

Sed Grotius nimis generaliter & indistinctim de dominio loquitur, negatque existentiam in eo, cui usus rationis in actu secundo negatus est: id quod nullo modo concedimus. Namque dominium dicitur jus quoddam in re corporali, quo res propria est. At verò illa proprietas infantibus accrescere potest absque speciali illorum consensu, ut fit in successione in hæreditatem legitimam & aliis casibus, quibus ignorantibus atque invitis acquiritur. Sanè neque jus naturæ, neque humana conditio quicquam de incapacitate subjecti infantis vel furiosi quoad dominium retinendum novere. Neque obstat, quòd destituti ratione in actu secundo de rebus suis disponere, easdem alienare vel vindicare nesciant. Hæc enim omnia non ad formam dominii, sed ejus effectus & consequentia pertinent, nisi procuratores & tutores rerum pupillarium dominos, non ipsos pupillos efficere velis. Adde, quòd, qui aliquid per alium facit, ipse fecisse videatur. Jam verò tutores curatoresve omnia nomine pupilli aut furiosi faciunt, quare hi ea egisse videntur per suos præpositos.

§. 8. *Dummodo non ita.*] Supervacanea hæc est cautela, & suprà ostendimus, per se, non demum in relatione ad terram mare rectè occupari.

§. 9. *Manifestè distinguunt.*] Variant multum DD. in tradenda rerum publicarum & communium vera differentia. Verissima illa est. Res communes in jure nostro dici, quarum proprietas nullius est, usus verò omnibus patet. Res autem publicas, quarum usus æquè patet omnibus,

proprietas verò pertinet ad certum aliquem populum. *Ludvv. ad Instit. de R. D. §. 3.*

Ad ædificium.] Nam tantisper aliquis sibi jus in littore per ædificationem quærere potest, donec consistat ædificium: quo dilapso locus redit in pristinam libertatem ceditque occupanti. Non enim manet littoris superficies absque impositis ædibus occupantis, quia nullius in jure Romano esse dicitur.

§. 10. *Quibus in locis tale jus gentium.]* Sc. partialis inter populos aliquos consuetudo.

§. 11. *Tamen ex eo solo.]* Accipiam hoc cum ea limitatione, nisi portio maris per duo promontoria valdè territorio occupato inclusa sit; Aliàs etiam de mari extero terram occupatam alluente dicerem, absque speciali actu non occupatum censeri per solam terræ acquisitionem; cùm omninò mare, etsi alluens terram, pars & accessorium ejus non sit, sed separatum quid tam naturâ quàm terminis. Nec in primæva occupatione plus occupatum existimari debet, quàm quod actu extraneo physico apprehensum est. Unde ex ratione contrariorum sequitur, licèt quis terram pro derelicta habeat, mare tamen occupatum sine pleniori voluntatis signo propterea derelictum non esse.

§. 12. *Illud certum est.]* Quæ in *cap. præced.* diximus neminem invitum cogi posse, ut tertii transitum patiatur per suum territorium, eadem & de mari rectè asserimus adempta omni facultate vindicandi negatum iter.

§. 13. *Ut autem solum imperium.]* Iterum non satis constat, quo sensu Grotius vocem imperii

perii capiat. Propriè enim sic dictum de mari non rectè prædicatur. Quod si intelligit superioritatem quandam eminentiorem, ea qua ratione in dominium bonorum publicorum, vel eminens vel privatum non resolvatur, aut potiùs ibidem fundetur, non video. *Conf. omn. Dn. Ziegl.* Concesso itaque in mare imperio, simul dominium concessum est; illud enim imperium absque jure aliquo reali concipi nequit, hoc verò jus reale dominium est.

Ut si classis.] Rectè hîc Dn. Zieglerus, non propterea quem quòd in personas imperium habet, etiam in terræ aut maris portionem, in qua illæ inveniuntur, imperium accipere.

§. 14. *Recepto in se onere.*] Sed & simpliciter domino maris, qui suam ditionem navigare patitur, vectigal à navibus exigere licet. *Conf. quæ ad §. 14. c. 2. prec. diximus.*

§. 15. *Sed hæc non docent.*] Si Grotius in antecedentibus argumentis infallibilibus incapacitatem occupationis maris demonstrasset, non repugnarem explicationi. Verùm contrario antè à nobis firmissimè defenso potiùs jam statuendum erit, populis invicem jus in mare competiisse, & per talia pacta, juris quæsiti declarativa, illud sartum tectumque conservatum esse; V. gr. Populus Carthaginensis vel alius jam in mare sibi dominium comparaverat, quod ne aliorum avaritiâ audaciâve turbatum iret, plenioribus pactis prospexit rebus suis, adstricta aliena habendi cupiditate per vinculum religionis & juramenti.

§. 16. *Nihil de territorio mutatur.*] Ratio

est, quoniam non flumen territorii terminus erat, sed alius vel per mensuram & jugera ordinatus, vel manuali operâ erectus. Mutato itaque flumine manent nihilominus antiqui termini.

Id occupantium imperio.] Quoniam scilicet ab utriusq; confinii jurisdictione separatum est, quæ se ultra suos terminos absque speciali rerum, quæ nullius sunt, occupatione non extendit: quare occupantibus cedet alluvio illa, non solùm iis, qui propè ditiones possident, sed & aliis quibuscunque. In res enim adhuc à proprietate vacuas vicino plus juris non competit, quàm remotiori, nisi quòd ille faciliori & celeriori actu eas suas facere possit, si vult.

Mutat & territorii fines.] Quia flumen placuit territoriorum terminus, qui decursu aquarum conterminas regiones facere debuit: Defluxu igitur per accrementũ mutato, mutantur & fines. Id quod tamen de additione vel diminutione partiali intelligendum, non si flumen omninò alveum suum deseruerit, & aliorsum fluere inceperit, sicut rectè Grotius *in §. seq.* limitat.

§. 17. *Non idem erit, quod fuit.*] Qui enim ab initio suorum confinium terminum posuerunt flumen, absque dubio intellexerunt, ut est tempore conventionis. Quod quoniam per derelictionem alvei veteris aliud est factum, malè prima conventio contra contrahentium voluntatem novo & non cogitato casui applicatur.

§. 19. *Alio quodam tenuiore jure.*] Non tam alio, quàm quatenus dominium privatum subordinatur dominio eminenti, ideoque non tenuiori,

tenuiori, sed validiori & majori jure. Nam Princeps in bona subditorum longè validius atque eminentius jus habet, quàm Senior in rem Vasalli feudalem, vel proprietarius in Emphyteusin.

Ut multa sunt juris in rem species.] Vulgò quinque faciunt. Dominium, servitutem, pignus, possessionem, & hæreditatem. De quibus *Hahn. ad Wes. de judic. n. 4.* Malè quoque Grotius jus ejus, qui sub conditione fideicommissum expectat, jus in rem dicit, cùm ne personale quidem sit ob suspensivam incertitudinem, quæ neque transmissionem ad hæredes admittit. *Dn. Ziegl. ad h. l.*

CAPUT IV.

DE DERELICTIONE PRÆSUMPTA, ET EAM SECUTA OCCUPATIONE. ET QUID AB USUCAPIONE ET PRÆSCRIPTIONE DIFFERAT.

§. 1.

Cum lege civili sit introductum.] Malo hîc Grotium sequi, quàm cum Dn. Zieglero originem usucapionis referre ad jus gentium. JCti etiam Romani, qui, ut demonstravimus, aliàs de jure gentium nimis contemptim & abjectè loquuntur, multaque ad illud referunt, quæ interiùs examinata aliorsum pertinent, in hoc tamen puncto non ausi sunt pro jure gentium dicere, sed usucapionem sine hæsitatione ad modos, quibus jure civili dominium acquirimus, retulere. Neque quemquam rationes Ziegleri morari debent,

bent, *usucapionem esse inventum hominum, usu & necessitate exigente comparatis inter se rebus excogitatum.* Nam non continuò omne hominum inventum usu & necessitate excogitatum ad jus gentium pertinet, sed tum demum, quando etiam in mutua ad gentes relatione consistit, ita ut eo læso vel abrogato læderentur aliæ gentes. At verò usucapionem in qualibet Rep. salvis aliorum populorum juribus abrogari posse quis dubitet? qui consideraverit, illam abbreviandis litibus & ob dominiorum certitudines inter cives hujus vel illius Reip. introductam esse, non ut sit norma communis dirigens gentium publicos actus ad justitiam & omnium tranquillitatem. Quare tradunt juris interpretes, usucapionem & Principem & Statutum tollere posse, imò à privatis eidem renunciari pacto, *Hahn ad Wes. de usuc. n. 14.* At sanè neque Princeps, neque privata conventio, ea, quæ sunt juris gentium, rectè abrogabit. Sic quoque, quod dicitur à *Dn Hahn. d. l. præscriptionem principaliter esse juris privati, & ad utilitatem privatam principaliter spectare, juris autem publici esse, & propter bonum publicum introductam saltim per consequentiam*, quomodo conveniat cum eo, quod suprà asseruit n. 9. usucapionem esse juris gentium, non satis video: quoniam quæ juris gentium sunt, illa non principaliter spectant utilitates privatas, sed communem potiùs gentium justitiam & tranquillitatem. Sed σύμπτωματα hæc φρενῶν & ineptitudines oriuntur ex confusis vel neglectis moralis disciplinæ principiis, cùm origo rei refertur ad id, ex quo res oriri non potuit.

potuit. Illud quoque benè advertendum est, usucapionis fundamentum, quo ejus nititur justitia & æquitas, in jure gentium deficere. Nam dominium eminens, quod in civitate privatorum bona superiori potestate afficit & moderatur, potest quidem uni civium, qui tam negligens suarum rerum est, ut intra satis longum tempus illas non requisiverit aut vindicarit, in pœnam dominium auferre, & possessori transcribere, inter populos verò, quorum neuter in alterum jus potestatemque habet, sed uterque suo arbitrio independens, ut ajunt, vivit, ejusmodi actus intermedius legitimans acquisitionem intercedere nequit. Non necesse habemus, ut justificandæ usucapionis gratiâ ad obscurum & falsum subsidium recurramus, duo scilicet hîc collidi principia, quorum infirmius validiori cedere debeat; Quippe hucusque in morali doctrina satis demonstratum non est, duo principia moralia unquam in se concurrere & sibi adversari. Suâ certitudine gaudet naturæ atque gentium jus, & omnia per indissolubilem compagem jucundissimo concentu sibi copulantur. Res quidem & objectum principiorum aliquando mutatur, sine periculo tamen ἀντιφασίας, quia mutata res principiorum objectum esse desinit. Verum itaque est juris naturæ principium, domino rem suam esse reddendam, sed illud tamdiu verum, dum dominus manet, & se ipsum dominio non reddit indignum. Neque impingit in hoc principium illud aliud, Reip. interesse, ne dominia rerum in incerto sint, cùm, ut diximus, majestas ademerit domino veteri rei dominium, & in pœnam negligentiæ addixerit diligentio-

gentiori, frustra itaque laboratur de re reddenda domino, qui amplius non est. Ut nunc taceam, ultimum quod dicitur principium juris non naturalis sed civilis esse. Quod si jam objicis, ex mea opinione meras rerum incertitudines sequi; regero tibi ego, animum mihi non esse negare, ex diutina possessione acquiri aliquando dominium, sed saltem quòd illius acquisitionis titulus non sit usucapio illa civilis, fundata in dominio eminente, vel unico lapsus certi temporis, verùm potiùs præsumpta derelinquentis voluntas, qui rerum suarum nullam gerens rationem, illas tacitè occupanti cessisse videtur, quæ deinde præsumptio si firmissimis rationibus elidi posset, non dubitarem ego pronunciare, nullo tempore ex sola possessione dominium, quod apud alium populum est, sine cessione acquiri, ac propterea magnum illud incommodum, de quo Grotius h. non sequitur sententiam nostram, cùm diutina possessio, maximè verò immemorialis firmissimam præsumptionem tacitæ voluntatis possessori tribuat, non eludendam, nisi certissimis impotentiæ adversæ partis demonstrationibus, quòd sc. amittens, & ejus successores ex tanto temporis intervallo non potuerint recuperare res suas, & de jure integro conservando sæpius sint protestati, aut à protestatione justissimis impedimentis avocati. Existunt è contra viri eruditi, qui sola possessionis usurpatione absque ullo temporis tractu imperium in subjugatos acquiri statuunt. Ita *Clariss. Dn. Hornius de Civit. l. 2. c. 9. thes. pen. & ult: tamdiu retinere*, ait, *invasorem in subjugatos imperium, dones pari vi aut pacto-*

rum

rum conditionibus iterum amittat. Ego ut hoc in ſtatu populari, ubi omnes ſui juris ſunt, facilè admiſerim, ita in regimine, quod eſt regium, ubi cives juramento fidelitatis Principi tenentur, non concedo. Nemo ſubditus imprimis per adhibitam injuſtè violentiam obſequio debito ſe eximere poteſt, ſi illud Imperans ſua ſponte remiſſum nolit: & quamvis imperium ſuum ob uſurpationem invaſoris exercere nequeat, illud tamen nihilominus actu primo retinet. *Conf. omn. quæ notavimus ad l. 1. c. 4. circa fin.*

§. 2. *Cur ipſe ejusq; majores.*] Atque ita ſe fundat Jephthes in ſuo præſumpto donationis vel derelictionis titulo. Rex Ammonitarum & ejus Majores per trecentos circiter annos in poſſeſſione alios eſſe paſſi ſunt & tacuerunt, ergo cenſentur juri competenti renunciaſſe.

§. 3. *Interni actus meri.*] Scilicet quoad coactionem phyſicam; Quoniam enim tales legislatori animadvertere impoſſibile eſt, ideoque eosdem ad genium delicti examinare & ſupplicio competenti ſubjicere nequit. At verò ſubjacent legibus actus humani merè interni quoad coactionem moralem, dum contumax conſcientiam lædit, & in continuo ultricis iræ divinæ metu conflictatur.

Ideo, quod ſufficienter indicatum eſt.] Uberiùs hæc verba declarat Grotius *in c. 16. huj. libri. Quia interni actus per ſe ſpectabiles non ſunt*, inquit, *& certi aliquid ſtatuendum eſt, ne nulla ſit obligatio, ſi quis ſenſum, quem vellet, ſibi affingendo, liberare ſe poſſet, ipſa dictante naturali ratione ſuus eſt cuique quid promiſſum*

eſt.

est, promissorem cogere ad id, quod recta interpretatio suggerit. Ex quibus nunc liquet, in quantum verum sit, quod communiter dici solet, quemlibet verborum suorum esse optimum interpretem, scilicet in tantum, quatenus interpretatio verborum structuræ & sensui communi non repugnat, vel aliàs verba sunt ambigua, quæ in utramque partem rectè accipi possunt, ex quibus beneficio interpretationis verum sensum colligimus, ut nec in his quidem planè libera sit dicentis voluntas, quia dicta ita accipiuntur, non ut interior cavillatoris cogitatio, sed ut communis hominum intellectus capit. Imò tantum abest, ut quilibet sua verba ad lubitum possit interpretari, quin potiùs in jure nostro Romano regulam inveniamus, *in l. 29. ff. de pact.* contra eum esse faciendam interpretationem, qui potuit legem contractui dicere apertiùs, qui plerunque est verba dans sive faciens. (*Vidi tamen, quæ ad d. l. 29. commentati sumus adprinc. c. 16. lib. 2. in nostro Grotio.*) Ita si quid obscuritatis sit in mandato procuratorio, plurimi DD. contra speculatorem asserunt, interpretationem esse faciendam pro procuratore contra dominum, cui imputandum sit, quòd legem contractui non dixerit apertiùs. *Wesenb. de Procur. n. 9. Rosbach. proceff. jud. cod. tit.* Item quòd testium dicta non tam ipsi testes, quàm judex quoque interpretari possit. *Speculat. de Testib. §. 1.* Sic etiam, qui Emphyteusin acquisivit pro se & filiis, contra eum fit interpretatio, quòd filias non voluerit comprehendere, licèt plerunque in ultimis voluntatibus nomine filiorum etiam filiæ veniant: quemadmo-

admòdùm & filiorum nomine in teſtamento intelliguntur nepotes, in contractibus autem contra eum, qui potuit apertiùs loqui, ſtrictior fit explicatio, *Joh. in d. l. 29.* Pactum quoque in locatione vel emptione interpretatur contra locatorem aut venditorem, *Angel. ad d. l. 29. n. 5. Conf. Struv. in Synt. jur. Feud. c. 8. theſ. n. 5.*

Niſi ea ſit rei circumſtantia.] Ita quod quis ad evitandum naufragii periculum abjicit, non eo animo abjeciſſe cenſetur, ut id habeat pro derelicto, ſed quò magis levatâ oneribus navi periculum maris effugiat. Ideoque quocunque loco fluctibus expulſum aut in mari deprehenſum ut ſuum repetit, vel ab alio tanquam injuſto poſſeſſore vindicat. §. 48. *I. de R. D.*

Nihil cauſæ eſt.] Omninò. Sic quilibet Princeps cum injuſto regni ſui poſſeſſore contrahens vel tranſigens eum tacitè legitimat, & quousque contrahit, juri ſuo renunciaſſe videtur, imprimis verò ſi paciſcatur in detrimentum quarundam provinciarum. Nam in illas vi pactorum legitimum acquirit titulum, qui antè injuſtus & violentus prædo audiebat. *Quare hanc demum*, inquit illuſtris Dn. Strauchius, *in MSS. Inſtit. jur. publ. l. 1. c. 18. theſ. 12. ſufficientem derelicti præſumptionem puto, ſi ſuper qua re inter poſſeſſorem & te contractus ineuntur, nulla omnino mentione juris tui facta: Deinde ſi titulo aut appellationibus proprietatem ejus poſſidenti tribuas, v. gr. Dominum, Regem, Principem ejus ditionis ultrò appelles, non adjecta clauſula vel conteſtatione aut reſervato.*

§. 5. *Si quis ſciens & præſens]* *Vid. h. Ziegl.*

& Hahn. ad Wes. de pact. Cæterùm spectat h
quod Dn. Conringius tanquam regulam &
gnum indubitatum derelicti imperii censet
hoc ab alio exerceatur te nullo nutu adversân
quod nimis crudè dictum puto. Si enim
scientia & taciturnitas non sufficit in priv
causis adjus suum amittendum, *l. filiusf. ff*
Procur. & ib. Gl. Zas. p. 9. n. 32. Vult. de Feu
1. c. 10. n. 64. quantò minùs in actibus genti
publicis hæc præscriptio admittenda est; N
videtur spoliatus interim duntaxat ad m
commodum consequendum, aut vitandum
commodum dissimulasse. Ut & hîc omninò
quis temporis tractus multum conferre po
qui quò longior est, hôc efficaciorem præsu
ptionem pro sciente & tacente inducit.

Sic amissum.] Non dicit Ulpianus *in l.*
de A. R. D. amissos censeri porcos, quos lupus
puit, aut derelictum id, quod in naufragio a
ctum, sed potiùs innuit ex amissionis qualita
difficultate recuperandi æstimandam esse m
tem domini, à quo solo abdicatio dominii re
dependet, & utcunque interdum persecutio
ficilis sit, non statim tamen concludi oporter
derelictionem, sed saltem esse levem quan
præsumptionem, dominum id, quod ita am
ut nisi cum summa difficultate vel ex solo for
to casu recuperetur, probabiliter sub quali
suitatis definere voluisse possidere, hanc ta
præsumptionem deinde adeò fortem non
quin possit contraria domini probatione, q
vel facta ut requisitio aut promissum lytrum
dicta, sive, ut loquuntur, protestationes de vo

tate non amittendi dominium rei amissæ facilè subministrabunt, elidi: ex quibus si constiterit de animo dominii retenti, frustra recuperatio difficilis allegabitur, *cùm etsi spes recuperationis quodammodo deficiat, nihilominus aliquis manere hoc animo dominus possit, ut quandocunq; res reperta fuerit, eam vindicare velit.* Ut rectè Ziegl. h. præsertim quia actus abjectionis in naufragio non est principaliter directus in dominii amissionem, sed fit ad evitandum periculum, nec plusquam conditionatam includit hanc omissionem, ut, si res pereat, pereat domino. Sin salvetur, salva quoque eidem sit.

Cujus recuperandi.] Liberalior in alienis largiendis Grotio est Conringius, qui præsumptionem derelictionis imperii ponit, *quando quis sciens & volens patitur civitatem perire aut in summum discrimen adduci.* Sed primò vix continget, ut volens quis libera animi electione rem suam perire patiatur, si vir sit. Deinde scientia sola scientis rem suam perire, non sufficit, ut præsumetur quis in perpetuum dereliquisse, sed censetur potiùs cessisse necessitati, repetiturus rem secundiori fortunâ. Potest enim ratio civilis exigere, ut sciens dissimulet jacturam majoris mali vitandi causâ, retinens nihilominus animum recuperandi, quando melior fortuna infelicem aspexerit, licèt inpræsentiarum nihil memoratu dignum in salutem pereunti moverit.

Ædes longo silentio.] Quamvis hoc dicat Ulpianus *in all. l. 15.* non ita crudè tamen accipiendum est, quasi hoc casu totum negotium conficeret præsumpta domini voluntas, sed potissi-

ma causa amissi dominii est, contumacia domini, qui post primum decretum immissorium noluit intra certum spatium comparere & cavere de damno infecto. Propter punibilem enim hanc inobedientiam lex ipsi dominium rei adimit & addicit possessori, *l. 15. §. 33. ff. de damn. infect.* atque, ut penè sic dicam, in majorem ejus contumeliam præsumit ipso etiam invito voluntatem ejus in amittendo dominio, quòd statuto tempore non comparuerit, & debito modo cum solutione expensarum caverit de futuro damno ædium ruinosarum: Quare non tam fundatur possessoris acquisitio dominii in voluntate prioris domini, quàm legis addictione. Illud obiter, cùm *in d. l. 15. §. 21.* fiat mentio alicujus intervalli, quantum id esse debeat? Quidam putant decem vel viginti annorum ex ratione usucapionis, quod mihi non fit verisimile: quoniam hîc non agitur de acquirendo dominio per usucapionem, sed de illo, quod per judicem ob contumaciam latitanti domino ereptum & detentori ex primo decreto per secundum adjudicatum fuit. Est autem tempus à primo decreto perveniendi ad secundum in realibus annus, *Hahn. ad Wesenb. de damn. inf. n. 6.* qui etiam hîc sine dubio intelligitur. *Wesenb. ibid. n. 4.*

Certo tempore.] Legibus civilibus certum tempus determinatum non est, sed multum variant DD. ipsi. *Vid. Hahn. ad Wesenb. de LL. Conf. Ziegl. h.*

Ad significandum consensum.] Scilicet populi in statu libero, aut Principis in regimine singulari, qui tamen contra Principem facilè non

est

est præsumendus. Nec satis tutos subditos de privilegio quodam existimaverim, quod in solo diutiùs recepto more fundatur, nisi expressus Principis consensus accesserit, aut hunc ex sufficientibus & indubitatis signis colligere licuerit.

Ut silentium sit scientis.] Secus est in usucapione civili secundùm leges Romanas, ubi scientia non requiritur, neque ex ignorantia rescinditur usucapio. *Hahn. ad Wes. de usuc. n. 14.* Practici tamen scientiam & patientiam domini ad rem ejus usucapiendam requirunt. *Gail. 2 obs. 19. & alii multi.* quæ sententia fortasse usu fori recepta est, legibus autem nostris non convenit.

§. 7. *Semper sufficere videtur.*] Notat ad hunc locum Zieglerus, ad indicium derelicti imperii tam longum temporis spatium necessarium non esse, & addit rationem ex Contingio, *quòd Resp. citam & sedulam postulent curationem, quæ si negligatur ab imperante, ad alium ut ea devolvatur, ipsam Rerump. naturam exigere.* Sed istam citam curationem non suppetere indubitatum & sufficiens indicium voluntatis derelinquendi imperii subtiliter annotavit *Illustr. Dn. Strauch. in MSC. Instit. jur. publ. l. 1. c. 8. thes. 11.* Ubi distinguit inter derelictionem, cujus manifesta extant indicia, puta si civitas rectorem poscat, Princeps verò eum dare recuset, nec verò ipse velit regimen & administrationem in se recipere, aut si auxilium contra extremam vim hostium petentem Dominus res suas sibi habere jubeat, sicuti factum cum Borussia petente auxilium contra Polonos, cui responsum ab Imperio:

videant, quomodo se conservent: quibus & similibus casibus facilè præsumitur derelictio. At si tale quid petat Resp. eo tempore, quo impossibile erat, ut à Domino præstaretur, certè animus derelinquendi præsumi nequit, eoque minùs si dominus durare jubeat, & occasionem commodiorem expectare, resque suas ad tempus quacunque ratione tueri. Videtur enim Dominus tacitè Reip. vel populo tum partes suas interim demandasse, sic ut ob citam illam, quam desiderat, curam, nequaquam imperium ad alium devolvatur jure pleno, sed temporario duntaxat & quasi fiduciario, idque saltem quoad externum exercitium; Quare omninò multum hîc temporis præsertim longissimi tractus facere potest, intra quod cùm necesse fuerit commodam occasionem nasci, quæ prospiciatur tali civitati, si neglecta illa per tantum tempus nihilominus sit, eò certiùs derelictio præsumetur. Hactenus Dn. Strauch. omnia more solito eleganter & accuratè. Nam profectò in detrimentum & injuriam alterius tam facilè imprimis pro violento usurpatore alienæ potestatis præsumendum non est, sed sufficientiora voluntatis vestigia adesse oportet, ad quæ inducenda tempus longum & immemoriale multum confert. In jure quoque civili, ut mulier ex dote privilegium prælationis habeat, necesse est dotem esse numeratam, nec sufficit in præjudicium creditorum concurrentium confessio mariti, sed numerata dos requiritur, *l. assiduis. C. Qui pot. in pign.* Exceptio prima est, nisi confessio mariti lapsu temporis vel aliis conjecturis juvetur. *Gail. 2. obs. 11. n. fin.* ita ut præscriptio

ſcriptio ex lapſu decennii noceat etiam tunc creditoribus, *arg. Nov. 110. c. 1. & 2. Hahn. ad Weſ de privileg. Credit. n. 5.*

Niſi validiſſimæ.] Inter quæ primum locum obtinent clauſulæ juris ſui reſervatoriæ, de quarum efficacia & virtute etiam in privatis negotiis DD. multa cumulant.

§. 8. *Sed cogitare.]* Rectè hoc Dn. Ziegl. rejicit, qui ad h. l. videatur.

Qui cum ſumma jactura.] Hoc argumento etiam utitur Dn. Conringius ad inducendum ſufficiens indicium voluntatis derelinquentis: Dicit enim & ponit pro regula. *Quando imperium illarum Civitatum, quæ ſalutis publicæ omnium cauſa coiverunt, amiſſum fuerit, recuperari non poſſe, ſi id fieri nequeat abſq; Civitatũ illarũ ſummo detrimento, ideoq; teneri quemvis illarum vel recuperandarum curam dimittere, imò exiſtimandum, illam dimiſſam eſſe.* Fundamentum hujus aſſertionis, quòd ſc. id cenſeatur derelictum, quod recuperari abſque civitatum amiſſarum ſummo detrimento nequit, hoc eſt, quia ſecundùm naturam Civitatum commodum dominantis poſtponi debet commodo populi. Quòd ſi enim utrumque nempe & Imperantis utilitas & utilitas Civitatum retineri nequeat, exiſtimat Dn. Conringius jure teneri Dominantis commodum cedere commodo pupuli. Quæ ſententia, ſalvo tanti Viri honore, ex omni ſua parte ſatis tuta non eſt, ob ingens, quod hîc vertitur, præſumpti derelinquentis præjudicium. Primò enim fundamentum non adeò firmum eſt & ſtabile, ut de eo dubitare nefas ſit.

Etiam illi, qui communiter populi commodum præferunt commodo Regum, plerunque illum Reip. ſtatum excipiunt, in quo magis δεσποτικῶς quàm βασιλικῶς ſe Civitatis correlativa habent, i.e. ubi Rex imperat more domini abſolutè & ad ſuam utilitatem. Populus verò nõ civiliter, ſed ſervorum more obtemperat: qui ſtatus ſalva pietate utriusque vel alterius voluntate conſtitui poteſt. Velut ſi quem populus vellet eligere imperantem, qui tamen alio quàm adeò libero imperio nollet dominari. Vel ſi paterf. latifundia poſſidens advenas nollet recipere quàm ſub conditione pleniſſimi obſequii. Aut etiam, ſi qui populus juſto bello à victore in ſervitutem hanc redactus eſt. Deinde quoque à nobis ſuprà refutatum eſt πολυφύλλινον illud Politicorum de commodo populi præferendo, & oſtenſum, aut æquè utriusque commodum pari paſſu ambulare, aut profectò Regis tanquam partis dignioris adhuc ſibi vindicare potiores. Nulla enim ſatis concludens ratio adferri poteſt, cur populi magis præferri debeat utilitas, quàm Regum. Illa ſanè, quòd Rex ſit conſtitutus à populo, ægroto admodùm & ebrio incedit pede, cùm & Præſes conſtituatur à diſputante, quo tamen nec minor eſt, nec cum ſuo detrimento ei proſpicere tenetur. Et tutor conſtituitur propter pupillum, curator à minore, quibus jura neceſſitatem nullam imponunt poſtponendi utilitates proprias pupilli utilitatibus, ſed plusquam levem diligentiam non exigunt, i. e. ut in rebus pupillaribus verſetur, ſicut in ſuis, non ut etiam cum damno ſuorum bonorum ea, quæ ſunt populi, ſalvent.

Sed

Digitized by Google

Sed & potrò, ut ad Personam disputemus, pro tempore, non concessâ thesi Conringiana ad propositam tamen regulam eleganter nihil infertur. Sit præferenda utilitas populi utilitati Imperantis, hoc eò usque saltem verum erit, quousque integer manet hic respectus, h. e. quamdiu ordo inter imperantes & parentes salvus est. Quo soluto, ut fit in imperio amisso, solvitur etiam commodorum prælatio, & non tenetur dominus ampliùs de salute aliorum cogitare, qui se dominum rejecere. Mirum mihi sit, acutissimum Conringium tam subitò citra intentionem proposito suo excidisse. Quippe hîc quærebat de præsumptivè amisso imperio, per quam amissionem solvitur obedientia subditorum, & ita omnis anterior civilis regiminis structura. Scilicet excussere rebellantes subditi superioris majestatem, & ipsum de tranquilla imperii possessione nefaria vi & conspiratione dejecere, obstinatissimo animo quidlibet potiùs & extrema passuri, quàm ut in irati domini fidem & obsequium redeant. Quæstio jam de domino vertitur, qui injustè & parricidali modo imperio suo exutus est, an si ipsi sufficientes vires suppetant, bono exemplo & absque injustitia possit vel cum damno & internecione rebellium solium suum sibi rursus asserere, & cum punitione sontium ac detentione suspectorum in eodem se confirmare? Negat hoc Dn. Conringius, quando absque Civitatum summo detrimento fieri nequeat, ex illa ratione, quòd imperans præferre debeat commodum populi suo emolumento. Respondeo destructo civili ordine neque impe-

rantem neque parentem ulteriùs intelligi, & sic axioma, ut maximè verum esset, siniſtrè applicari. Insuper generaliter hoc omni juri & æquitati adversum esse videtur, cogi aliquem nulla sua culpa quæsito jure carere ob commodum tertii, præcipuè illius, qui ipsum sine causa justifica jure illo & rei possessione legitima nefariè spoliavit. Equidem pater si filium infantem aut infirmum abjecerit vel exposuerit, jus patriæ potestatis in eum amittit, idque propterea, quoniam hoc animo derelinquendi fecit. At non idem dicendum est, si filius eidem rapiatur vel aufugiat, aut quavis ratione imperium ejus detrectet. Neque enim propterea, quòd filio utile sit sub alterius vel neutrius potestate esse, nec sine extremo vitæ periculo redigi in potestatem posset, pater præsumitur se jure patrio abdicasse, multò minùs ad id cogendus est. Non est, quòd aliquis objiciat, indignam illationem à societatibus simplicibus ad perfectissimam, quæ est Civitas. Nam quoad imperium & eidem debitum obsequium simili prorsus se habent modo, & domino vel Regi in familiam aut Civitatem sub diversis titulis idem licet: imprimis autem in hoc argumento, ubi ad capienda voluntatis indicia naturalis amoris stimulus multum valet, rectè ad societatem paternam recurritur, utpote quæ sit magis familiaris ac secundùm naturam. Quibus accedit, quod & ad Politicorum mentem regimen paternum ad formam & speciem τῦ βασιλικῦ se habeat, & sic commodè applicetur. Illud quoque omittendum non est, etiamsi verum esset quod dicitur, non licere cuiquam amissum imperium

perium recipere cum ſummo damno Civitatis, exinde nullam imperii derelictionem ſeu abdicationem præſumi; Quippe omne detrimentum civitatis perpetuò & durabile non eſt, cùm itaque aliquando ceſſare & intermittere poſſit, dominans non dereliquiſſe imperium, ſed ejus vindicationem in tempus opportunius diſtuliſſe præſumitur. Certè quàm periculoſa ſit & ſeditioni apta Conringii ſententia, inde etiam conſtat, dum imperantium ſceptra poteſtatesque precarias facit, & arbitrio Civitatum committit obedientiam exuendi pro libidine: quando illud juſtè non poſſis recuperare, quod tibi nefario auſu per vim ereptum eſt; Si culpa imperantis acceſſiſſet, major ſpecies accederet aſſertioni, ſed neque ab authore diſtinctio illa traditur, neque populus etiam vitiosè imperantibus obſiſtere debet. Denique ſententia Conringii ambigua eſt & duplicem ſenſum involvit. Nam quum dicit, amiſſum imperium non poſſe repeti cum magno Civitatis detrimento, id intelligere poſſumus, vel quando tota Civitas defecit, aut in alienam conceſſit poteſtatem: vel quando ſaltem pars aliqua, manentibus cæteris in legitimo regimine; De primo caſu & ſecundi priore membro intellecta volumus, quæ jam diſputavimus. Quod ſi verò loquitur non de recuperatione, quæ cum noxa partium jam amiſſarum conjuncta, ſed de ea, quæ conjuncta eſt cum damno partium adhuc ſanarum, neque ſic quidem derelictio præſumenda videtur. Primò enim vix eſt, ut cum extremo damno & irreparabili jactura partium ſanarum recuperationem fieri neceſſe ſit. Deinde veriſimi-

similius est, nunquam præsumi posse totalem aliquam & irrevocabilem derelictionem ob metum amittendi partes adhuc possessas : potiùs tempori & necessitatibus cessisse Principem dixissem. Quemadmodum tutorem, si præsens pupilli sui fortuna non permittit, ut res pupillares amissas sine certa suarum rerum adhuc possessarum jactura vindicet, non propterea amissum dereliquisse, sed potiùs jus integrum vindicandi in tempora commodiora distulisse putamus. Ita Princeps qui certo modo in imperio civili personam tutoris gerit, etsi quoque civium commoda tueri obligetur, tamen hæc obligatio ad proprii commodi neglectum pertinere minimè debet, cùm ordinata Civitas sui ipsius & suorum curam non jubeat negligere. Quilibet Civis in quocunque imperio obligatus est etiam cum jactura suarum rerum conferre opem & operam ad totum corpus sospes servandum : quare & partes superstites & in obsequio debito manentes privatam utilitatem publicæ præferre obstricti sunt, & fides, ex qua nascitur obligatio naturalis subditorum pro commodo imperantis, omninò præstat commodo privatorum civium.

Qui præsentem reip. statum.] Sed privatos magis cautela hæc concernit, quàm imperantes, qui advena dominandi libidine vel propudioso subditorum furore solio depulsi sanè in utilem patientiam severissimæ vindictæ præferre non debent : imprimis ubi occasio aut spes arridet facilè recuperandi, quod alienum flagitium extorsit. Sit igitur boni civis, præsentem Reip. non mutare statum. Exulis profectò boni

Princi-

Digitized by Google

Principis non erit finere alios malo exemplo suo scelere frui. In statu populari obtinere potest regula, ubi unus aut alter civium omnium consensui refragari non debet, at Principem injustè exauctoratum hæc relligio non vincit.

§. 9. *At fortè.*] Fluctuat hîc Grotius, & dubitanter admodùm pronunciat. Nos sine hæsitatione usucapionem ad jus Gentium non pertinere statuimus, quia connexa Rerump. ratio, in qua formalitas juris gentium consistit, deficit, quare non opus est, ut diu utrinque inclinemus.

Provocatio ad arbitrum.] Reprehendit hîc Grotium Zieglerus, quòd præcisè arbitrum nominaverit, cùm & interruptio fieri possit per Judicem. Sed meminisse debemus, tractare Grotium controversias, quæ invicem intercedunt summis potestatibus, neque superiorem neque judicem propriè sic dictum recognoscentibus. Est enim judex, qui in alium jurisdictionem habet, vigore cujus possit eum vel condemnare vel absolvere. Gentes verò liberæ nullius sub jurisdictione sunt, & propterea ad Judicem provocare non possunt, bene verò ad arbitrum, qui utriusque partis consensu judicandi facultatem adipiscitur sine cujusquam vel potestatis vel majestatis jactura.

§. 10. *Mirum videbitur.*] Non hoc solùm casu mirum videtur, sed & quomodo contra eos, qui jam in vivis sunt, non consentientes, tam gravis & infelix præsumptio aliis signis derelictionis non concurrentibus induci possit. Idque eò multò magis, quia nondum natorum nulla jura

jura sunt, natis autem jus semel quæsitum sine facto illorum non debeat eripi.

A cujus voluntate jus regnandi.] Captiosa hæc sunt verba, & non aliter voluntati populi jus regnandi tribuendum est, quàm quatenus concurrit tanquam instrumentum imperii divinitus concessi.

Longo satis tempore.] Negant hoc plerique Feudistæ, ex illa sufficientissima ratione, quòd ei, qui ob juris impedimentum agere non potest, non currat præscriptio. Quare remotiori agnato non nocet propinquioris negligentia aut culpa, qui noluit rem feudalem ab alio possessam vindicare. Feudi enim persecutio ad remotiorum nondum nisi sub spe aliqua spectat, & propter intercedens propinquioris jus agere jam nequit. Incipit igitur ipsi tum demum currere præscriptio, quando sublato intermedio impedimento, i. e. illo proximiori agnato vel mortuo sine liberis vel aliter jus suum cedente, ad se feudum devolutum est. *Vid. Ziegl. ad h. l. & Struv. Synt. Feud. c. 13. thes. 18. n. 4.* Ex quo deinde sequitur, præscriptione completa contra proximiorem, incipere quoque eandem currere contra remotiorem, quoniam per usucapionem jus intercedens sublatum est, & feudum devolutum ad remotiorem. Quo sensu demum potest vera esse Grotii sententia, longo satis tempore feudum acquiri, quando nimirum quilibet agnatus, cui feudi persecutio incumbit, tempus usucapioni feudali statutum præterlabi patitur. Idem dicendum de fideicommissis & juribus majoratus, non

non præscribi contra aliquem, nisi is, contra quem præscribuntur, jure agere possit.

§. 12. *Pertinere arbitrari videntur JCti.]* Extraneo quomodo præsumpta derelinquentis voluntas longo tempore & aliis sufficientibus signis declarata adjiciat dominium suprà diximus. Hîc quærit Grotius de subdito, an is possit præscribere contra superiorem jura majestatis? Variant DD. admodùm, præsertim verò illi, qui præter jus civile normam aliam in publicis gentium actibus ignorant, mirum quàm errent & hallucinentur. Verissima est negantium cum Grotio sententia, quoniam ferè omnia præscriptionis requisita hîc deficiunt. Primò enim non adest subjectum habile ad præscribendum. Præscribere vult subditus, qui imperii non est capax, propter obsequium, quod Principi debet, & cum imperio idem subjectum non potest inhabitare. Quamdiu subditus est, majestate caret, quam ideò neque usucapere valet. Deinde objectum ob rei qualitatem cessat. Præscriptio est modus acquirendi rerum dominia, cujus igitur rei dominium non est ut majestatis, quæ extra omne hominum privatorum commercium posita, illa sanè neque præscriptioni subjacet: Unde tertiò absentia formæ præscriptionis deducitur. Scilicet quod non est in mutuo subditorum commercio, à nemine possidetur. Negata possessione, unico illo fundamento & spiritu omnis præscriptionis, negatur & ipsa præscriptio. Deficit porrò bona fides & justus titulus. Notum est omni civi, sine parricidali perduellione jura imperantis neminem involare posse. Summum Dii Principibus

bus rerum arbitrium dedere, cæteris obsequii gloria relicta est. Quo colore itaque bonam fidem allegabunt, qui criminis læsæ majestatis rei suæ conscientiæ rectitudinem tanta enormitate infecerunt? Unde verò titulum imperii translativum inveniemus, cùm jura majestatis neque in commercio sint, neque etiamsi essent possent subditis, quà subditis, acquiri. Et quamvis in longissimi temporis præscriptione fortasse bona fides adeò necessaria non sit, in omni tamen adesse oportet tempus lege definitum. Quæ autem lex illud unquam circumscripsit. Principes suorum jurium tam prodigi non sunt, ut publico diplomate illa privatorũ arbitrio subjiciant. Nemo verò præter Principem legem ferre potest, quia lex est effectus majestatis, hæc illi soli competit. Jus gentium hac de re tacet, neque etiam cordibus nostris perpetuam usucapionum observantiam jus naturale inscripsit. Deus noster constitutione divina tale quid potuisset inducere, sed nulla in sacris literis hactenus formula adducta est definiens tempus tantæ efficaciæ. Præterea effectus usucapionis hîc deficit. Id operatur usucapio, ut præscribens in rem verum & plenum dominium accipiat; at jam diximus, summæ potestatis jura in dominio & commerciis hominum non esse. Imò rem accuratè perpendentibus apparebit dominia sub majestate latere. Item finis est absurdus, quoniam non est verendum, ut dominia in incerto sint, quando de dominio præscribendo non agitur. Denique, quod maximè urget, est, quòd usucapio sit jure civili introducta, hoc est, excogitata à summis

ſummis poteſtatibus ad decidendas & impediendas litigantium improbitates. Nunquam effectus tantarum viriũ deprehenſus eſt, ut in ipſam cauſam effectricem valeat. Quomodo ergo, quod majeſtas ſubditorum bono introduxit, ab illis in ipſam retorqueri poteſt? Ex quib9 rectè perceptis facilè judicium eſt de quæſtione; an quis præſcriptione poſſit immunitatem à tributis quærere? Quam non dubitavit affirmare *Hahn. ad W. ſ. de jur. immun.* Mihi negativa placet, quia ſecundùm jam diſputata, jura majeſtatis, quale etiam eſt jus imponendi & colligendi tributa, non præſcribuntur. Quam noſtram opinionem ex abundanti non deficiunt leges ex jure civili. Expreſſus textus legitur *in l. comperit. 6. C. de præſcript. 30. ann.* ubi docemur, *huic parti CUJUSQUE temporis præſcriptionem non admitti.* Si cujusque temporis. E. nec immemorialis. Quia textus eſt ſatis generalis. *Jung. l. 2. ff. de via publ. & itin. publ.* §. *reſiſti. I. de Uſuc.* Non officit *l. ult. C. de Fund. patrimon.* ad quam reſpondemus, loqui de eo caſu, ubi Princeps expreſsè vel tacitè jus immunitatis conceſſit, ut aliquo temporis ſpatio exemptio poſſit acquiri. Quæ Principis voluntas per legem declarata nullam ampliùs relinquit dubitandi cauſam. Licet meminiſſe debemus, etiam talem immunitatis acquiſitionem, magis privilegium aliquod quàm jus proprium ſapere. Utcunque igitur aliquis per tantum tempus, cujus memoria non extat, immunitatem à tributis habuiſſe probaret, is ſecum iniquè agi non exiſtimet, ſi jam fiet ærarius; Si enim Princeps privilegio certo conceſſa rurſus certis

ex causis adimere potest, cur non idem repe
quod negligentia & oscitantia suorum antece
rum non exercuit, cùm is, cum quo ita agitu
lucro ponere debeat, tam longo tempore v
tionem habuisse. Quæ cùm ita se habeant,
topere DD. laborare non debuissent in quæ
ne, num subditus ita saltem contra Princi
præscribere possit, ut ei non ampliùs sub
Quod si enim nullum jus imperii præscribere
test, quando minùs se ab omni obsequio exi
re, nisi aliquis actus intervenerit, qui indicet
luntatem Principis remittentis subdito sibi d
tum obsequium. Quæ deinde voluntas non
gum tempus est vera exemptionis causa. C
Dn. Ziegl. h.

Per reflexionem.] Principem suis leg
neque per reflexionem obligari dico, eo sc
do, quo obligatur subditus, in quem ab imp
coërcitio est. Et nescio, annon hîc lateat f
liaris illa distinctio inter vim legis coactiva
directivam, quæ profectò quid sibi velit, hu
que non reperi. Videtur quidem Principi
dere, ut subditis bono exemplo præeat, ipso v
facto ostendens, æquissimas leges esse, qua
nec ipse censuram fugiat. Ad observantiam
men præcisè non adstringi, ut unum è sub
Equidem vera hæc sunt, sed iis explicandis
obscura loquela opus non est, quæ & quoc
modo se ipsam involvit: quia enim omnis v
suâ naturâ & ratione vocis est coactiva, null
rò directiva, quatenus directio opponitur
ctioni, oppidò absurdum est, vim directivam
ita vim non vim dicere. Præterea si legis c

tia in obligatione præceptiva ad aliquid consistit, coactivè sanè lex obligat, non suasoriè, quia aliàs ejus virtus esset precaria, nec quicquam præter consilium saperet. Confirmare vult Grotius suam opinionem ex *1. Samuel. 14, 40.* sed locus ille huc non pertinet. In quo non agitur de astringendo Rege suis legibus, sed instituitur inquisitio per sortem adversùs eum, qui contra inhibitionem Saulis eo die aliquid cibi gustaverit, ex qua sortitione Regi nullum periculum erat, cui satis constabat, se nihil omninò comedisse. Et fac fore reum. Illa tamen vis legis sive præcepti, quæ se exserebat in alios, in ipsum Regem penetrare non potuisset, propter defectum facultatis puniendi in subditis: Principem, qui in naturalia vel gentium jura deliquit, subditis non licet punire, quantò minùs si leges civiles transgressus est, quæ solo ejus arbitrio constant, & contraria voluntate momento mutantur.

Non censentur se velle comprehendere.] Disputatur inter Viros eruditos, an & quatenus sit Princeps solutus legibus. Quàm variè hæc quæstio pro & contra, interdum putidissimis & obsoletis rationibus agitata sit, ex Limneo (a) discere licet. Quæ omnia nunc persequi otium nobis non est, & angustias temporis meliùs quàm in confutanda absurditate impendere possumus. Nos ne confusè impingamus, separanda erunt naturæ & gentium jura à Civilibus. Juris naturalis princeps requisitum est, ut sit immutabile propter suum prototypum & originem, ad quam se recipit. Particulam imaginis divinæ ex sanctitate

(a) Jur. publ. lib. 2. c. 2. n. 30. &c.

& justitia optimi Dei formatæ suprà diximus. Sanctitas verò illa ut est immutabilis, ita quoque omne id, cui se communicat, & sic etiam jus naturale. Hoc enim est omnibus hominibus datum, & ex sua generalitate etiam Reges devincit. Idem planè judicium de jure gentium sit, quod communem gentium tranquillitatem & mutua Rerump. vincula continet, quæ in nullius potestate est violare, & sanctissimam Rerump. compagem infelici ausu temerare. Nemo Regum efficiente principio hoc jus introduxit, ergo nec illud tollere potest, quia unumquodque eo modo dissolvitur, quo colligatum est. Veniamus ad leges civiles, in quibus liberrima & omnis Principum potestas conspicitur. Hæ ab imperio civili de rebus indifferentibus latæ subditorum actus & mores respiciunt, ad ipsum imperantem verò ut obligatoriæ non redeunt, ne per reflexionem quidem, quoniam quis sibi ipsi neque imperare potest, neque se sibi ipsi obligare. Utraque hæc vocabula relativa sunt, & subjectum extra se requirunt. Nemo unquam sui ipsius debitor aut creditor fuit, & Regum majestas subditis præest, qui legibus aliisque Principum decretis obsequium præstant sine scrupulosa finis aut mediorum indagatione. Princeps verò extra omnem suarum legum observantiam positus illas format atque reformat, rogat & abrogat, ut è re publica & civium visum fuerit. Equidem rectricis prudentiæ consilium est, vetera non facilè mutare, aut frequenti legum varietate earum latori conciliare contemptum, sed hæc cautela de jure nihil detrahit, quod semper competit, licèt non semper

per è re ſit. Judicium ſubditorum in correctione aut abrogatione legum non magis requirimus, quàm faber ferrarius malleum in conſilium vocat de fabrica ſoleæ. Neque quisquam mihi regulam objecerit, communi conſenſu peragendum eſſe, quod omnes tangit, quæ profectò non procedit tunc, quando altera pars in gerendo negotio nihil juris effectivi habet, ſed tanquam pars patiens voluntatem ſuperioris ſequi tenetur. Atque hæc juris ſunt. Conſilii verò illud, ut Princeps tam inferendis quàm mutandis legibus prudentes adhibeat conſiliarios, de quorum neceſſitate & uſu in Rep. *in l. 1. c. 3.* aliquid diximus. Quid verò dicendum, de legibus ut vocant fundamentalibus? anne & his Princeps ſolutus erit? Reſpondeo, leges fundamentales non ſunt leges, ſed conditiones quædam & pacta inter ſuperiorem & ſubditos conventa, quare ad hanc quæſtionem non pertinent. Obligatur enim illis Princeps non ex virtute legis obligatoria, ſed ex ſuo conſenſu & fide, quam ſubditis adſtrinxit. *Vid. quæ dix. ad l. 1. c. 3. §. 10.*

Nec infringi poſſet.] Si tamen infringeretur, non liceret populo ex prætenſa imperii præſcriptione, quæ nulla eſt, exauctorare Regem. Deus ſolus imperio, quod dedit, Principes exuit, non populi conditionata voluntas: quæ quidem mutuis conventionibus confirmata Regem transgreſſorem reum perfidiæ facit, ſed & non minùs cives perduellionis arguit, qui hoc colore imperium tanquam commiſſum ſibi vindicare volunt.

§. 13. *Ut appellare ab iis non poſſit.*] Nego

hoc ex sola præscriptionis virtute citra concurrentem, ad minimum tacitè, superioris voluntatem fieri posse. Et profectò jurisdictio imprimis suprema, ut est jus majestatis, præscriptionis vires tutò despicit. Quando autem juris interpretes dicunt, hodiè jurisdictiones tanquam patrimoniales posse præscriptione acquiri, id intelligendum de juris dicendi facultate, non ut est jus majestaticum ex imperio in personam profluens, sed quatenus est aliquod hujus juris exercitium vel jus aliud majestati analogum & ab eodem dependens. Quamvis & dici posset, non tam ipsam jurisdictionem præscribi, quàm territorium, cui inest, quemadmodum in jure nostro Romano loca sacra & religiosa alienari prohibentur, quæ tamen velut accessorium rei venditæ acquiri possunt. Quo casu etiam non tam ipsa acquiruntur, quàm res, cui inseparabiliter insunt.

§. 14. *Semper licere subditis.]* Ita sentiunt omnes Monarchomachi, & quibuscunque regium nomen exosum est, ob nullam plerunque aliam causam, quàm quòd ipsi Reges non sint, neque eis potestas, sed persona displicet, & alieno crimine rei esse cupiunt. Hi tales mirificè blandi simulata patriæ cura animis imperitis facilè subrepunt, obvios quosque comiter alloquendo sermonesque de summa rerum conferendo, quibus plebis inclinationes & affectus facilè expiscari solent. Initio itaque familiaritatis à speciosa secretorum communicatione facto deplorant fortunam populi, & principio vitia Imperantium in pessimos avarosque Reip. administratores confe-

Digitized by Google

conferunr, his dicunt Imperantem liberari oportere, nec priùs calamitatem publicam ceſſuram. Deinde ubi leviſſimum quemque & futuri improvidum ſpe vana in partes traxere, conciliabula inſtituunt, deliberaturi cum populo de remediis, & *nocturnis colloquiis aut flexo in veſperam die dilapſis melioribus deterrimum quemq; congregantes inſerunt querelas & ambiguos de Principe ſermones, quæq; alia turbamenta vulgi.* (a) Adſumunt aut in ſceleris conſortium ferociſſimum quemque, aut quibus ob egeſtatem vel metum ex flagitiis maxima peccandi neceſſitas. Qui poſtmodum in vulgus dilapſi tanta ſæpiùs felicitate ſemina diſcordiarum jactitant, ut mox, quod in ſeditionibus accidit, unde plures erant, omnes ſint. Eſt enim natura vulgi adeò levis & inclinans, ut more magis quàm judicio alius alium quaſi prudentiorem ſequatur, neque hîc providens quisquam & cautus amatur, ſed plebe judice τὸ σῶφρον τοῦ ἀνάνδρου πρόσχημα, καὶ τὸ πρὸς ἅπαν ξυνετὸν ὀκνηρὸν· τὸ δὲ ὁλοκλήρως ὀξὺ, ἀνδρὸς μοίρᾳ προσετίθη, *i. e. quicquid modeſtum, ignaviæ ſpeciem habet. Quod circumſpectum & providum, ſegnitiæ. Quicquid autem abruptum & præceps, id verò forte & virile cenſetur.* Quare in ſeditionibus populares maximè & gratioſiſſimi ſunt, *qui inclementer in Principem invehi ſoliti nihil ſpei ſibi inter adverſa reliquerunt, nam iſti aperte deſcendiſſe in cauſam videntur, eoq; gratiores culpæ vel gloriæ ſocii.* Hoc modo tepente ſub periculoſiſſima æquitatis ſavilla ſeditione, ubi conſilia in notitiam Princi-

(a) Tacit. 3. Ann.

pis perveniſſe, & iisdem compeſcendis rationes iniri comperere, vel ſi quando aliam rei bene gerendæ occaſionem nacti ſunt, exuunt paulatim larvas, & meditatum diu facinus è latebris producunt. Quòd ſi deinde illos paulò benignior fortuna adſpiraverit, captantes plebis ingenia & conditiones temporum privatam ambitionem ſecuriùs ſtabiliunt. Quoniam enim ipſi priùs ad imperium adſcendere non poſſunt, quàm eodem legitimum poſſeſſorem ſpoliavere, eundem occultis cuniculis adorientes obliquè ſibi proſpiciunt. Palàm igitur libertatem & ſpecioſa nomina prætexunt, innumeraque libertatis dona concepta blanditie cum graviſſimis Regum injuriis odioſè conferentes, animos plebis facili negotio eò impellunt, ut quibus paulò antè grave viſum fuit, tam violentis precibus onerum levamen extorquere, ii nunc indurato flagitiis animo umbratili libertatis ſpe tumeſcentes quærant non de remedio præſentis, ſed inſtitutione novæ formæ. Hinc ejecto aut interfecto nonnunquam infami audacia ſuo Principe liberâ Remp. & licentioſius vitæ genus formare incipiunt, tam infelici plerunque eventu, ut loco juſti & clementis domini, ſæviſſimum tyrannum, vel vice unius innumeros prædones cervicibus ſuis imponant. Plebs enim rudis & omnis civilitatis ignara, faciem regiminis, quod introductum cupit, nullius fideliori curæ committere novit, quàm qui ſemel Duces improbiſſimorum tumultuum conſcientiam ſceleribus addixere. His verò ſuppreſſa altiùs immoderata ambitione, ſimulato rei periculo vix ægrè ſe perſuaderi aut cogi patiuntur ad id, quod omni-

no

no non poſſunt non deſiderare. Tandem recepta in fidem patria populariter admodùm & familiari cura ſe populo inſinuant, donec ſuo Rectore orbatus neminem habeat, à quo pœnitentia ductus conſilio & ſtrenua manu juvetur. Ita ſcilicet hactenus nequioris Politicæ monitum fuit, ad ſtabilienda novę potentiæ rudimenta neceſſariam eſſe victimam dominum illius Reip. cum omni familia, quæ jus aliquod ad imperium prætendit. Hoc rerum ſtatu erumpit demum dominandi libido, & triſtiſſimo exemplo ſtabilit illud Imperatoris ſymbolum, fas juſtitiamque non niſi regni causâ eſſe violandam, in cæteris poſſe pietatem coli. Itaque in manus traditam Reip. potentiam ad ejus formam corrigendam vertum in ſtabilimentum ſuæ ambitionis, attonita, omnique ſe his malis eximendi prudentia deſtituta plebe, quæ nimis rarò & ſuo imprimis damno edocetur, neminem libertati magis inſidiari, quàm qui libertatem laudare ſolent. *Nam ut imperium evertant, libertatem præferunt, ſi everterint, ipſam aggredientur, nec quisquam alienum ſervitium & dominationem ſibi concupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet.* (a) Quibus adſtipulatur Machiavellus *l. 3. Hiſtor. Florent.* Scribens *J. Principi la intentione & fine loro con un piatoſo vocabulo adhoneſtano. Perche ſempre anchora che ſiano tutti à la libertà inimici, quella ò ſotto colore diſtato di ottimati ò di popolare diffendendo opprimano. Perche il premio, il qnale della vittoria deſiderano è non la gloria dello havere liberato la Citta, ma*

(a) Tac. 16. Annal. 22. & 4. Hiſt. 7.

lo Sottisfattione di habere superati li altri, & il principatò di quella usurpato, dove condotti non è cosa si ingiusta, si crudele, ò avara, che fare non ardischino. Percurramus modò historiarum monumenta, & apparebit singulis ferè seculis exitiabilé hanc imperandi methodum in usu fuisse. Nos omissis aliis ad unum tantùm, quod nostrâ memoriâ contigit, idque tristissimum, recentem illam Anglorum perduellionem attendamus. Hi sanè principio non tam Regem quàm malos purpuratos accusabant, & oneribus tributorum portoriorumque opponebant libertatem populi atque Parlamenti. Quo colore excita plebe jam infestiùs agebant, donec Rex de sua securitate sibi prospicere coactus urbe cessit. Re tandem in apertum civile bellum devoluta, & Rege optimo, prudentissimo, benignissimo atque piissimo, vero parente patriæ capto, &, heu nefas! occiso perditissimus nequitiarum artifex Cromwelius sibi solium addixit, omnique libertate Anglicana extincta conciliavit absolutissimum dominium, quem limitatum admodum in alio perferre non posset, idque egregio quidem populi merito, qui manus à legitimo Rege ideo non abstinuere, ut crudelissimum hunc tyrannum haberent. His ita de seditionum indole & progressibus expositis adfine est, quod habet Machiavellus, de orbe & ut sic dicam circulatione Rerumpde forma alia in aliam. Præter divinam scilicet providentiam & naturalem omnium rerum instabilitatem occasionem & principium mutationis faciunt plerunque Rectores ipsi, qui in delitiis & honoribus geniti æquum putant alios magnificen-

ficentia ſumptibusque ſuperare, ut eosdem ſuperant eminentia & majeſtate. Sed quoniam modum ſumptibus congruentem non omnes æquabiliter ſervare ſciunt, ideoque fit, ut talis actio, quæ intentionem virtuoſam habet, facilè in vitia & injurias degeneret. Reges enim rationibus accepti & expenſi perfunctoriè admodùm ordinatis ex profuſione opum incidunt in inopiam, quam, niſi cum ſubditorum onere & querelis, ſupplere nequeunt. Hinc naſcitur odium in Principem, & metus Principis in cives. Metus autem, qui malus eſt diuturnitatis magiſter, cædibus & rapinis illorum, quos metuit, de ſecuritate ſibi proſpicit. Ita olim moderatum regimen nunc induit Tyrannidem; ſub cujus intolerabili jugo gementes ſubditi principium faciunt conſpirationum & inſidiarum in vitam Principis, quæ originem habent non à timidis & impotentibus, ſed illis, qui generis nobilitate, generoſitate animi & opum affluentia cæteros præſtant. Hi tales juſtum eſſe cenſentes, ut Reges ſicut dignitate, ita etiam virtute emineant, inhoneſtam & licentioſam imperantis vitam perferre non poſſunt, ſed variis in populum criminationibus occultè diſſeminatis illum haud gravatim authoritate ſua & blanditiis in partes trahunt, & conjurationis ſcopum faciunt vitam vel exilium Principis. Quo ejecto plebes patriæ liberatores publicis negotiis præficit, tam propter ingens beneficium, quod ab illis accepit, quàm quòd apud ſe neminem magis idoneum reperit. At optimates unius regimen exoſi curas & dignitates civiles ſibi invicem communicant, conſtituendo le-

ges

ges & administrando justitiam, ut bonum publicum & genius populi requirit. Atque hac ratione oritur status optimatum. Progressu temporis summa rerum ad horum filios & descendentes delata iterum variare res communis incipit. Quippe illi in patrum suorum honores & divitias non prudentiam succedentes, neque cognoscentes fortunæ lubricitatem aut solatia in adversis, sed æqualitatem illam civilem, quam tantopere integro capite laudat Aristoteles, contemnentes ad regias injurias animum applicant, & simul sibi regium conciliant odium. Conjuratione itaque in illos facta pelluntur & Reip. administratio iterum devolvitur ad populum, qui ob recens optimatum malum regimen, & auditas à patribus Regum injurias, formam popularem amare incipiunt, quia per vices Magistratibus institutis unumquemque publicæ saluti & suæ famæ magis prospecturum, & neminem ex temporali potestate in magnam æstimationem, quæ quidem Reip. obsit, evasurum confidunt. Verum enim verò deinceps non rigidè satis observatis legibus, quæ formæ præsenti congruere visæ sunt, & interdum ob egregium unius aut alterius in civitatem meritum exemptione facta, fit paulatim, ut aliquis exemplo & lenitate plebis abusus majorem populari sibi potestatem arroget, donec rebus satis sibi firmatis, congregatisque obæratis, in opibus & perditissimis quibusque sibi iterum regium nomen atque dignitatem vindicet. Quomodo videmus Remp. Romanam solutis gradatim patriis institutis initio quidem malo neque infructuoso fine, postea ex eadem causa in discordias potentiorum

Digitized by Google

rum & denique in ſervitutem victoris perveniſſe.

§. 15. *Ut luitio pign. ric.]* Res meræ facultatis ſunt, quæ ut DD. loquuntur, jure gentium (ſed illo Romano) citra conventionem competunt, ut ire per viam publicam, ſedere, ambulare, navigare & piſcari in mari. Quæ res quidem nunquam præſcribuntur, quoad effectum dominii acquirendi, prohibens tamen alios his rebus uti, ſi in poſſeſſione longum tempus continuaverit, cæteros uſu, donec vivit, excludere poteſt. Ita qui in diverticulo fluminis pluribus annis piſcatus eſt, non poteſt uſucapione locum diverticuli ſuum facere, ſed tantùm jus prohibendi alterum à piſcatione in illo loco acquirit, ita tamen ut eo ex poſſeſſione digreſſo loco redeat in priſtinam libertatem, *l. 7. ff. de div. & temp. præſcr.* Jus igitur hoc in ſola poſſeſſione hæret, & perſonaliſſimum eſt, non ad hæredes neque univerſales neque particulares tranſitorium. Res facultatis non meræ & ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, quæque aliquid juris admixtum habent, ſunt complures. Præcipuè verò huc referuntur luitio pignoris & jus redimendi ex pacto competens ad rem venditam; de quibus communis eſt DD. præcipuè practicorum concluſio, juri reluendi & redimendi nullo tempore quamvis longiſſimo præſcribi poſſe. *Mynſ. 1. obſ. 16. Gail. 2. obſ. 18.* Verùm ultimum in dubium vocat *Weſenb. de reſcind. vendit. n. 6. & ibid. Hahn.* quæ ſententia ſuis rationibus non deſtituitur, & videtur aliqua in jure offerendi debitum ad luendum pignus & pretium ad redimendam rem venditam

non

ion exigua esse differentia. Quod si enim, ut in confesso est, jus Romanum non valenti agere nullam opponit præscriptionem, sanè quod luendum pignus attinet, debitor de eo reluendo priùs agere non potest, quàm debitum obtulerit, ad quod ipse nullo jure tenetur, quamdiu creditor debitorem suum credito frui patitur. Nam quamvis debitor possit offerre quocunque tempore debitum, nisi aliter convenerit, & oblatione facta ad adipiscendum pignus actione propria agere, ad hoc tamen, nisi creditor exegerit, non adstringitur, & per consequens ipsi actio pignoratitia ante exolutum debitum non competit, ideoq; nec præscriptione absorberi potest. At jus redimendi ex pacto ideo triginta annis excluditur, qui verè & in actu jam competit, ita ut redimere valens, si per triginta annos jus suum neglexerit, illud perdat. Neque me remoratur exceptio Mynsingeri, *quod & actio ex pacto retrovenditionis non sit nata, nisi ubi pretium ab emptore est oblatum, ergo neq; possit ipsi præscribi utpote nondum nata, arg. l. 13. §. 8. ff. de Act. Empt.* Falsum enim hoc est, & actio statim post pactum venditioni adiectum nascitur, oblatio autem pretii hujus actionis naturæ inest, quoniam est actio de retrovendendo, quæ retrovenditio sine pretio tanquam species actionis nō consistit. Longè aliter se res habet in luitione pignoris, ubi debiti oblationē non necessariò pignus quoq; sequitur, sed illius etiam post hoc solutum possessio manet apud creditorem, & propria actione repeti debet. Non enim sicut actio ad redimendum oblationem pretii afficit, ita quoque afficit actio

pigno-

pignoratitia ſolutionem debiti, quia, ut diximus, naturæ iſtius actionis ineſt pretii oblatio, quoniam vertitur circa emptionem & venditionem, ſed actioni pignoratitiæ non præcisè talis oblatio adhæret, quia ipſa oblatione pignus non ſolvitur, ſed ſaltem actio pignoratitia ad repetendum pignus incipit competere, quæ antea non competebat. *Nam actio hæc naſcitur ex ſoluta pecunia demum efficacia & vi inſpecta.* Atque huc egregiè faciunt, quæ JCtiſſimus *Hahn. ad Weſenb. de pignor. act. n. 7. habet.* *Licèt* inquit, *ſoluta pecunia & ſolutus ſit obligatione debitor, tam hoc verum eſt ſaltem ſecundùm quid, quoad illam, quâ debitor tenebatur creditori, quæ contracta erat pignoris datione in crediti ſecuritatem; Et mutua ſubeſt obligatio in contractu pignoris, ex altero enim latere creditor obligatur debitori ad pignus reſtituendum, quæ obligatio pecuniâ à debitore ſolutâ manet, nec exinde eſt, quòd pignus tunc ſine cauſa apud creditorem invenitur, alioquin enim daretur condictio ſine cauſa, l. 2. de Cond. ſin. cauſ. ex natura hujus contractus, & quòd iſte ad hoc ſe obligaverit.* §. *fin. pr. I. Quib. mod. re contr. obl.* & ad titulum, *quib. mod. pign. vel hypoth. ſolvitur.* ſcribit *n. 4. Vincula pignoris durare, licèt principali obligatione ſublata.* Quod ſi tamen caſus talis extiterit, quo etiam ante ſolutionem debitor ad conſequendum pignus rectè agit, qualis eſt, ſi pignore creditor abutatur, aut non patiatur debitorem jure ſuo uti, *Weſenb. de pignor. act. n. 7.* tunc fortè dicendum eſt, ab illo tempore incipere currere jus reluendi pignus, à quo

nimi-

nimirum post remotum impedimentum cucu
rit jus agendi ad consequendum pignus. Ita d
mum post debiti solutionem, si debitor trigint
annis pignus non petat, ipsi præscribitur.

CAPUT V.

DE ACQUISITIONE ORIG NARIA JURIS IN PERSONAS. UB DE JURE PARENTUM, DE MATR MONIIS, DE COLLEGIIS, DE JURE IN SUBDITOS, SERVOS.

§. 1.

Generatione parentibus jus.] Si de imperi parentum in liberos loquitur, ut structu operis & verborum velle videtur, oppidò falsu est, *generatione imperium in liberos acquir* nisi saltem quatenus generatio potest esse modu & instrumentum acquirendi imperii. Et ver falsissimum, *illud imperium utriq; parentu patri & matri competere, sed si contendunt in ter se imperia, præferendum patris.* Quò pe tinet etiam Bodini (*a*) non mediocris lapsus, qu in hoc argumento ignorantiam politicam luc lenter prodidit, scribendo; *potestatis verbu commune esse omnium, quibus imperandi jus es sive publice sive privatim; Ex iis tamen omnib imperandi jus & potestatem esse naturâ nemi tributam, præterquam patri.* Omne imper um immediatè solum Deum causam efficiente

(*a*) 1. de Rep. 4. pr.

& datorem laudat, quare, idem de imperio paterno dicendum est. Nulla creatura huic effectui producendo apta invenitur, & in genere hominum verum non est enunciatum, quòd causæ in effectum competat imperium, quoniam & partus servilis causa pater materque servi sunt, & tamen imperium domino, non parentibus cedit. Quod si sola generatio imperium tribuere posset, id quoque brutis, plantis, aliisque rebus attribuendum foret, neque quisquam rectè replicaverit, talia sc. à naturâ partim rationis, partim etiam sensuum expertia imperium non capere; Utut enim hoc concedamus, nobis tamen priùs inquirentibus satisfaciendum est, quare homo per generationem imperium adipiscatur, cùm tamen hanc operationem non producat quatenus est homo & rationis compos, sed quatenus facultate vegetabili pollet? Nulla profectò sufficiens discriminis ratio dari poterit, & si imperium homini tanquam creaturæ rationali transcribimus, illius causam generationem non debemus dicere, quàm homo non operatur ut homo, sed tanquam corpus vegetans. Quod si verò natura vegetativa, quæ non magis vel minùs homini, cæteris corporibus, cuilibet in suo genere, competit, produceret imperium, illud quoque produceret in stirpibus, lapidibus & brutis. Deinde quoque matri non asserimus imperium originarium in liberos ex optima hac ratione, quia ipsa subest potestati maritali. Nemo unquam hominum, qui alterius imperio subjacet, alium in potestate habere potest, nisi quatenus superior permittit. Ita videmus in civitate subditorum jura in liberos & servos à ma-

jestate civili multis modis diminuta & circu
scripta esse, quæ etiam, si vellet, posset penitus
subjectis propriis extinguere & ad se trahere. H
indoles subordinationis ubique requirit, ut m
jora imperia extinguant vel moderentur min
illa societatum simplicium, quoniam, quicq
subditus habet, id omne tanquam accessori
suum principale sequitur, eundemque recogn
scit dominum, quem ille, in cujus re familiari
ita ut subdito circa res suas administratio & c
alia non competat, nisi quam ex voluntate & p
missu imperantis habet. Sic etiam dum u
circa liberos servos & familiam disponit, id fi
ex mariti autoritate, cujus voluntatem velut M
gistratus in civitate exequitur. Perpetuæ in
per illud veritatis est, subditum duobus æqua
bus imperiis subesse non posse, quia saltem in
cietate qualibet unum est imperium, ne duo
qualia invicem adversando se elidant. Bodin
(*a*) quidem patri soli nobiscum imperium asse
sed ex ratione adeò infanti, quasi scilicet pater
ra Dei præpotentis & maximi omnium rerum
rentis imago sit, ut hæc virum cætera sat accu
tum scribere non puduisse, demirari non pos
desinere. Quæso enim, quo saltem colore
fundamento mihi dixeris, mares magis Dei im
ginem esse quàm fœminas, cùm sciamus, op
mum Numen hominem in genere ad imagin
suam condidisse. Et videtur Bodinus stolidi
mè imaginem divinam in differentia illa se
masculini & fœminini quærere, quam in sancti
te & sapientia collocare debuisset, quæ fœmi

(*a*) l. de Rep. 4. pr.

Digitized by Google

& mares æqualiter participant. Tandem, ut redeamus ad Grotium, graviſſimus error eſt, qui ex præmiſſis non potuit non ſequi, dicere, ſi contendant imperia, patris præferendum eſſe ob ſexus præſtantiam. Quæ enim eſt illa ſexus præſtantia, & in quo collocanda? Fœminas non minùs quàm mares virtutibus patere, prudentiæ fortitudinisque egregia documenta dediſſe, hiſtoriæ nos docent, & in naturæ quoque dotibus vel nulla, vel exigua ſaltem præſtantia eſt, quæ imperium nihil attinet. Ut nunc taceam, neque ullas naturæ facultates neque virtutes imperia vel dare vel adimere. In hoc ſolo maſculus præcellit, in quo etiam maxima ſexus præſtantia mihi poſita eſſe videtur, quòd mulieris voluntas ſubdita ſit à Deo voluntati mariti, ita ut hic ſe habeat erga illam tanquam imperans in ordine ad ſubditum. Verùm hæc præſtantia non naturalis, ſed extrinſeca eſt, & non minùs, ſi Deo ita placuiſſet, mulieribus in nos dari potuiſſet, quàm nobis in ipſas data eſt. Verùm ne originem imperii paterni in liberos diſcere cupientibus deſimus, in memoriam ante omnia illis revocandum eſt, quod nos toties in his obſervationibus inculcavimus, omne imperium à Deo eſſe, & nullum concedi ab hominibus. Hoc ſicut de omni imperio diximus, ita neceſſariò extendimus ad paternum, quoniam verum eſt imperium, omnesque quoad exercitium qualitates habet, quas habet illud, quod competit majeſtati, præterquam quòd hoc ſit eminentius & ſuperius. Eſt itaque patria poteſtas à Deo immediatè parentibus conceſſa, intercedens tamen & proximum fundamentum, ac quaſi modum

dum acquirendi habet imperium maritale, q
uxorem afficit, (ex qua deinde quicquid gen
tu', eandem sortem subire debet, quam mate
generationis actum. Verissimum hîc e iam
quod aliàs dicitur, partum sequi condition
ventris. Venter autem, i. e. mater, sub pote
te mariti est, ergo & ejusdem potestati subje
liberos producit, ne effectus meliorem causâ
conditionem sustineat: idque perpetuum ess
omni genere imperiorum videmus. Quice
ex ancilla procreatur, herilem dominatum su
cit, & civium soboles majestatem veneratur I
libenter concedo, deberi etiam matri non mi
ac patri honores à Deo exhiberi jussos, sed hi n
tum ab imperio distant, & aliud fundamen
habent. Verùm de cultu ejusmodi non lo
Grotium existimo, quia in hoc capite agit de
in personas competenti, quod aliud præter im
rium non est, id quod magis ex collatione relic
rum duorum modorum patescit, utpote per c
scilicet consensum & delictum vera potestas
lios quæritur. Imò quod omnem tollit dub
tionem, expressis verbis imperium nominat,
lo pietatis observantiaque debito in §. 6. co
distinguit. Duobus saltem verbis illud mo
dum, abstractis simplicibus societatibus à pe
ctiori quoad hujus imperii acquisitionem
interesse, liberi procreati sint ex justis legiti
que nuptiis, quales vocari solent jure Rom
an ex concubitu non adeò solemni. Sic &
quissimis Patriarcharum temporibus in ip
quoque concubinam tanquam uxorem secu
riam competiit imperium & inde potestas in

ros. Certè Abrahamus suæ potestatis indicia non exigua in Ismaelem filium ex Agare genitum exeruit, eundem circumcidendo, quod in alios quàm sibi subjectos non faciebat, tandemque planè abdicando ac ejiciendo ex ædibus suis, quum per contemptum Saræ aliaque immodesti animi signa patri placere desierat.

§. 2. *Distinguenda autem sunt.*] Grotius noster, qui lubricum admodùm patriæ potestatis fundamentum generationem supposuerat, nihil solidi poterat superstruere: quare in definiendis hujus imperii limitibus admodùm fluctuat per temporum diversitates & gradus regendi filii. Ubi leviorem saltem castigationem in personas liberorum atque paulò pleniorem bonorum administrationem permittit, quibus omnibus opus non habent ii, qui diligentiori accuratione indoles imperiorum speciatim paterno applicant. Omnis potestas, quæcunque illa sit, duo complexu suo comprehendere debet, imperium in personas & dominium in res, quare & hic omninò existimandum est, paternum regimen hæc duo involvere. Prius comprehendit omnem potestatem regendi filium, aut, si non obedierit, eundem puniendi. Vulgus jus vitæ & necis vocat. Hoc jus plenissimum extra Remp. patri assertum imus, vigore cujus actiones liberorum incongruum suæ voluntati & dispositioni familiæ finem dirigit, liberis auctoritatem patris debito obsequio sequentibus. Optima ratione Aristoteles imperium paternum regio comparavit, modò sincerior explicatio adhibeatur. Sicut enim Rex subditis suis leges dat pro lubitu, quibus hæc fieri præcipit, ista

verò vetat. Sicuti item cives tenentur volun
tem regis pietati non adversam sine ulla indig
tione & contumacia sequi, immorigeris, ut
cet, severa castigatione in ordinem redactis;
quoque parens familiæ & liberorum educatio
regio modo prospicit, tanquam censor dome
cus, quæ in domo sua fieri vult, efficaciter edic
contraria mansuro interdicto prohibet. Lib
omnisque familia jussus & imperia excipit, ac
cundùm illa suas operationes conformat. Tra
gressores pro delicti modo & æstimatione casti
tioni subjiciuntur, quæ interdum quoque usq
ad mortem extendi potest. Neque enim p
ptere ut immitem nostram sententiam, quæ
tri in liberos jus necis dat, repudiabunt, qui m
miniſſe volunt, considerare nos regimen patriu
quatenus est extra Remp. positum, & jus vitæ
necis non denotare licentiosam quandam facu
tatem occidendi hominem, ut lubet, sed potes
tem legitimam flagitiosorum hominum capita
crimina condigdè puniendi. Nunquam à po
ticis Tyrannus ille Rex audit, qui subditorum
orum scelera severo modo coërcet; ideo neq
patrif. vitio verti debet, si familiam justitiæ & v
tuti, præmiis vel pœnis, quæ optima cujusque
vitatis incitamenta ad bonum sunt, assuefaci
Atque profectò hoc ordo & natura societatu
simplicium desiderat; Quis enim quæso in to
familia magis sceleribus puniendis aptus e
quàm ejus dominus. Finge patrem sceorsim h
bitantem, nullius que superioris dominatui sub
ctum deprehendisse filium suum parricidii reu
quòd matrem & sororem occidisset; aut alio c

min

mine, puta incestu, se pollu isse. Quis eum puniat? Deus, qui sanguinem humanum sanguine nocenti expiari præcepit, qui consanguineum pudorem capitali terrore munivit, voluntatem suam, quam omnibus omninò gentibus univ saliter patefecit, vult executioni dari, quod certè, deficiente hic superiore potestate, per alium quam patrem f. fieri nequit. Hic constitutus judex accusatorem & reum filium audit, examinat productos testes, explorat probationes alias, tandemque procul omni ira & odio flagitiosum filium condemnat ad mortem. Et concessa hâc potestate, non verendum est, ut pater in liberos suos levissimis de causis severissimè animadvertat; quippe ingenitus amor vix justam animadversionem admittet, & gravissimum delictum esse oportet, propter quod ei vitam adimat, cui dedit. Alterum objectum, quod imperium paternum habet, est dominium in bona filii. Quod si enim persona ejus parentis dispositioni subjacet, multò magis id, quod personæ accessorium est, sc. bona ejus & facultates, cùm impossibile sit, accessorium esse melioris conditionis suo principali: & hujus asserti clarissimum exemplum est in arrogatione, ubi arrogatus cum omnibus suis facultatibus arrogatori subjicitur. Latiùs hæc à similitudine dominii eminentis, quod Rex in bona subditorum habet, deduci possent, nisi cuivis jam veritas facillimè constaret. Atque hinc fluit, filium sine permissu patris donare non posse, quia ipsi integrum non est, suas divitias, in quibus pater tantum jus & dominium habet, ubicunque alienare. Nullam distinctionem facimus inter peculium castrense vel quasi,

adventitium pleno vel minùs pleno jure, quo
am hæc sunt juris civilis vocabula, ad nemine
alium nisi ex receptu pertinentia. Illud tam
libenter admitto, posse parentem filio quoru
dam bonorum liberam administrationem con
dere, sed hæc administratio consensu patris ni
tur, & quicquid filius agit, per eum pater egi
intelligitur.

Ut res omnes liberorum &c.] Falsum h
esse, ex paulò antè disputatis constat. Quomo
enim filius, cujus persona plenissimæ patris disp
sitioni subjacet, aliquid acquirere potest, qu
non una eademque opera patri acquiratur. H
regimen patrium exigit, & filius est tanquam i
strumentum idoneum, per quod pater famil
suæ prospicit. Etenim noster Grotius, servos nil
proprii habere, sed omnia dominis acquirere, n
dubitat asserere, quare idem quoque de libe
dicendum, quoniam utrosque par imperiu
quoad efficaciam & obsequii conditionem ten
licèt quod in liberos exercemus, honestiori m
tiorique titulo veniat. Accedit, quod nascent
liberi omnibus fortunæ bonis vacui in hanc l
cem prodeant, sumptibus, labore & egregia p
rentum cura educandi; quicquid igitur prop
habere incipiunt, id omne consideratione eoru
habent, quod ad eosdem redire necesse est.

Non emancipatos.] Sed & hoc discrime
naturæ adeò incognitum non est, ut necesse h
beat natales suos colligere ex civili jure. Fili
sub patria potestate constitutus nihil proprii h
bet, sed cum omnibus suis facultatibus ad p
tremf. pertinet. Qui si velit singulare bene
ciu

cium in illum conferre, aliud nobilius vix invenire poterit, quàm si tam stricto imperio solutum sacris paternis exire jubeat qua ratione filius liber suique juris non ampliùs patri, sed sibi ipsi acquirere ac propriam familiam habere incipit, non secus ac servus, qui manu domini emissus pristina libertate utitur.

Excepta sexus præstantia.] Excipit hîc Grotius, quod non debuisset excipere, & quod debuisset, non excipit. Sanè nihil minùs naturale est, quàm illa sexus præstantia, quam tantopere laudat: in quo enim illa consistat, & quid natura seu naturæ jus maribus præ fœminis, & quantum potestatis dare voluerit, ignoro. Hæc moralia mihi hactenus incognita sunt, neque quicquam præter imperium patri divinitus datum agnosco, in quo se sexus præstantia ad regendam familiam fundari possit.

§. 3. *Non alia actiones.*] Imò verò propter imperium in caput omnes omninò liberorum actiones voluntati patris subjiciuntur.

Non efficit, ut irritum.] Verum hoc esset, si, ut supponit Grotius, hoc debitum veniret ex pietate observantiæ & gratiæ rependendæ officio: i. e. ex justitia attributrice, contra quam peccans injustus quidem dici potest, sed actus continuò non irritus redditur propter defectum juris strictè sic dicti. Alter enim, cui hoc modo injuria fit, non habet moralem facultatem tale quid exigendi tanquam debitum. Res autem in nostro discursu longè aliter se habet, & actiones liberorum voluntati paternæ conformes exiguntur non tantùm ex pietate vel obligatione illa

ad ἀντίσωρα, sed præcipuè imperio paterno, quo caput & bona liberorum afficit. Quodcunqu igitur contra hoc fit, deficit quoad principiu internum, & vitium durat in effectu, & simul te tus actus redditur irritus, consimili planè mod quo actio subditi contra legem impingens ipf jure nulla est, ob defectum legitimæ agendi fa cultatis, quæ ab imperio superioris dependet, contra illud nihil efficere valet. Suprà ipse Gro tius, (a) *potestatem in alios, ut patriam, dom nicam*, retulit ad justitiam expletricem, quæ pro prium jus dat, quare illam hîc non debuisset tan angustis includere cancellis, sed secundùm indo lem imperiorum in genere examinare, & faci negotio reperisset, neque ullis ætatis gradibus c pus fore, neque etiam quasdam solummodo act ones, easque non admodùm præcipuas, huic po testati subesse, sed potiùs eidem omnes subjecis set, pronunciando irritum, quicquid contra eju disposition fit. Exemplum autem, quod pro posito applicat, peregrinum est; Etenim donati contra parsimoniæ regulas facta ideo valet, qui nemo jus habet petendi à donatore, ut sibi potiù quàm alii, vel quantum donet. At paterf. dome stico instructus imperio non modò has vel illa actiones exigere à liberis cum effectu obsequi potest, sed & adversas prohibere cum effectu nullitatis in eventum non præstitæ paritionis.

§. 4. *De gravioribus autem pœnis.* | Nos quid sit de iis sentiendum, jam diximus. In fami liis, quæ sub potestate civili vivunt, hæc res non adeò magnam difficultatem habet, ubi τὸ κύριον πολ

(a) L. 1. c. 1. thes. 5.

πολίτευμα plerunque modicam saltem castigationem in liberos parentibus relinquit, graviora verò crimina suæ animadversioni vindicat, ut ordo & ratio Reip. sibi constare possit, ac judicia sine tumultibus & confusione faciliùs procedant; quorsum etiam refero, quæ in notis hîc Dominus Zieglerus habet; sed inspectio ita omnis non absolvitur, & restat quæstio de illis familiis, in quibus pater f. neminem agnoscit superiorem.

§. 5. *Pater filium oppignorare.*] Potestas in caput liberorum luculentissimè in oppignoratione aut venditione filii ob famem tempore necessitatis apparet. Necessitas tamen non est principium agens hujus venditionis, sed causa impulsiva, quam alia efficiens legitimare debet. Nam quod Grotius annotat, idem apud Thebanos, Phœnices, Hebræos (*a*) Phrygasque obtinuisse, id exercitium non jus indigitat, & radicalis causa non in consuetudine populorum, sed imperio patrio quærenda est: quod quia matri non competit, effectus quoque cessabit in eadem, ut filium vendere non possit, utut extrema adsit necessitas. Deest enim hîc facultas agendi, & matrem, quod potestatem in liberos attinet, non malè cum extraneo quolibet conferre licet. Loquimur nunc de familiis extra Remp. In illa verò & matri majestatem hanc potuisse potestatem vendendi largiri, & in jure Romano largitam esse, verius est, idque ob hanc potissimùm rationem, quoniam *l. 1. C. de Patr. qui fil. su. distr.* loquitur in genere de parentibus. *Liberos*, inquit, *à parentibus neque venditionis neque donationis titulo, neque pignoris jure, aut alio quolibet modo*,

(*a*) Exod. 21, 7.

modo, nec sub praetextu ignorantiæ accipientis in alium transferri posse manifestissimi juris est. Hanc Imperatorum Diocletiani & Maximiani constitutionem limitavit deinde Imperator Constantinus, ut non obtineat in necessitate extremæ famis, nullam verò facit inter patrem matremque differentiam. *Si quis*, ait, (quæ verba non minùs ad fœminas quàm masculos pertinent, *l. 1. ff. de V. S.*) *propter nimiam paupertatem egestatemq; victus causâ filium filiámve sanguinolentus vendiderit &c.* quemadmodum igitur *l. 1.* in genere parentibus prohibuit liberorum distractionem, ita quoque *l. 2.* in genere sub limitatione necessitatis permittit. Neq; me movet rubrica tituli *de Patribus &c.* Suppletur enim rubricæ imperfectio per nigrum, ubi in universum de parentibus sermo est. Et si adeò à verbis rubricæ paulatim ex justa causa recedere religio est, sequeretur etiam solos filios & nõ filias patrem vendere posse, id quod tamen nullus DD. hactenus assertum ivit, & apertè in *l. 2.* refellitur, ubi expressis verbis filias comprehensas leges. Moventur alii *l. 26. C. de Transact.* ubi dicitur: *Transactione matris filios ejus non posse servos fieri, notissimi juris esse.* Respondeo, hanc constitutionem sicuti & *l. 1. C. de patr. qu. fil. distr.* esse generalem, ab iisdem authoribus, Diocletiano scilicet & Maximiano latam, & pati deinde exceptionem per *d. l. 2.* in casu extremæ necessitatis. Si replicas, quid opus fuerit solùm mentionem fieri de matribus, cùm idem in genere de patribus etiam verum sit; dicam ego tibi, rescripta in Codice imperialia pleraque ad certas consultantium personas perti-

pertinuisse, ut idcireo non rarò evenerit, id, quod aliàs generale est, certis subjectis applicari, ad quorum petitionem rescripta emanabant. Sic & in *d. l. 26.* mater Dionysiada Imperatores Diocletianum & Maximianum consuluerat, licerétne matribus distrahere filios? De casu verò necessitatis altum silentium; Respondent Augusti, non licere id matribus, ut scilicet decisio congruat rogationi. Sed & in *d. l. 26.* quæstio de transactione est, num matribus jus sit transactione filios servos facere, cui deinde quæstioni execptio necessitatis penitus applicari nequit, quia omnis transactio est de re dubia & litigiosa, aliquo dato vel retento. Transigat verò mater de re quapiam litigiosa cum dispendio libertatis filii sui, quomodo id fieri poterit, ob extremam famis necessitatem, quando filium dat in servitutem, non ut inde habeat pecuniam vel alimenta vitæ, sed ut se à vexa redimat, qua redemptione stomachus famelicosus non fit satur, & ita quoque meritò exceptio *d. l 2.* cessat. Nisi quis diceret, filium æstimatione excessisse rem dubiam, de qua transactum est, & ita matris indigentiæ ex eo, quod excessit, sufficienter consuli potuisse. Quibusdam placet ideo patri soli hoc juris tribuere, quia privilegia non sunt extendenda; Sed sciendum, eadem neque ultra mentem dantis esse contrahenda, de qua cùm in dd. duobus legibus satis constet, & utrinque necessitas tanquam causa impellens concedendi jus militet, de licentiosa extensione securi sumus. *Conf. Dn Hahn. ad Wes. de his, qui sui vel al. jur. n. 2. & Dn. Ziegl. h* Ad potestatem in caput filii pertinet jus eundem castigan-

stigandi, ne crudus animus à vitiis transversum rapiatur. Hæc castigatio in Rep. certis limitibus circumscripta est, extra eam verò pro modo delictorum etiam ad mortem usque extendi potest. Veruntamen hîc prudentissima patris moderatio requiritur, & ad hoc tristissimum remedium non est recurrendum, nisi ubi sceleribus indurati liberorum mores omnem resipiscentiæ spem abscindunt, & filius se tali crimine obstrinxit, quod & majestati in Civitate ultimo supplicio vindicandum esset. Namque hic in defectu per lenitatem tolerabiliùs peccabitur, quoniam omnimodam supplicii dignationem naturalis ille paterno amor excusare solet, qui idem severiorem justo indignatione abominabili crudelitate induit. Quamobrem ubi levius peccatum est, verba sufficiunt, quibus si non movetur degener filius, succedant verbera & plagæ. Et his etiam frustra adhibitis, exhæredatio, ne patria bona occupet is, qui patrias rejecit virtutes. Quod si tandem Parens de correctione filii desperare cepit, abjiciat illud flagitiosum carcinoma ædibus suis; & splendorem familiæ subtrahat ei, in quo vitiorum sordes nullum virtuti lumen relinquunt. Hic actus Græcis atque Latinis usitatissimus, illis dicitur ἀποκήρυξις, quod fiebat per præconem publicum: His autem abdicatio, quia Pater abdicat filio nomen parentis, & eundem è conspectu suo abire jubet. Illustre exemplum habemus in T. Manlio, in cujus filium Silanum à Macedonibus repetundarum accusatum, cùm Senatus vellet suscipere quæstionem, pater sibi committi judicium postulavit. Quo impetrato domesticus judex audi-

vit

vit accusatores; & defensiones rei, productisque invicem testibus & aliis probationibus tandem pronunciavit, feciſſe videri filium, & illum juſſit è conſpectu ſuo abire: quem dolorem juvenis cùm ferre non poſſet, laqueo vitam finivit. Ut refert *Valer. Maxim. l. 5. c. 8. n. 3.* Quoniam autem abdicatio fit ſaltem à Patref. in ſua familia, fruſtra ſunt, qui quærunt, an & jus civitatis adimat. Hoc enim nonniſi qui ſummam poteſtatem habet, auferre poteſt, & multi familiâ ejecti ſunt, qui in civitate manſerunt. Quod ſi autem filius adhuc ſub patria poteſtate exiſtens capitale crimen admiſit, exſerit ſe hic patris criminalis jurisdictio, quâ armatus in filium inquirit, & reum criminis ultimo ſupplicio afficit, ſicut legitimus magiſtratus, qui ſontes exemplis & pœnis coërcet. Alius patriæ poteſtatis effectus conſpicitur in votis filiorum, quæ non valent absque conſenſu ſaltem tacito parentum. Vide hujus rei veſtigia *Num. 30, 6. & not. ad* §. 7. *h. c.*

§. 6. *In omnibus eſt παυτοχρόνος.*] Tempus ſicut non eſt ad inducendam obligationem idoneum, ita nec ad eandem finiendam. Imperium tempore neque conceditur neq; ſolvitur. Quemadmodum ſubditus nullo ſe temporis lapſu poteſtate civili invito imperante eximere poteſt, conſimili planè modo filiusf. imperium paternum adulta ætate non exuit, ſed tamdiu ſub eodem manere cogitur, donec eum vel expreſſa per emancipationem patris voluntas, vel ſaltem tacita, & ex actibus quibusdam, quibus cum poteſtas patria ſimul ſtare nequit, collecta dimiſerit. Princeps ejusmodi actus eſt, filiarumf. elocatio. Societas

cietas enim nuptialis cùm necessariò imperium maritale importet, non potest pater filiam in sua potestate retinere, quam maritali subjectam voluit, ne quis contra principia politica duabus supremis potestatibus æqualiter sit subditus. Non eodem modo se res habet in filiof. quia hîc manente salvâ patriâ potestate cum consensu parentis uxorem rectè ducit, & illud maritale imperium, quod aliàs ex natura rei sibi competeret, acquirit parenti, sub cujus est potestate, donec morte vel voluntate patris sui juris fiat, tum eundem immediatè quoque sequi imperium maritale debet, utpote quod pater sibi integrum conservare sine potestate in filium non potest, ne aliàs aliquod matrimonium esset sine imperio. In filiaf. autem nubenti pater imperium planè abdicare voluisse videtur, quoniam illa per contractionem nuptiarum transit in alienam familiam, & illius pater nihil juris habet in maritum filiæ suæ, quare neque ullum fundamentum, per quod sibi potestatem patriam salvam servet: quoniam aliàs eodem momento deberet habere potestatem in maritum filiæ, id quod dicere absurdum est. Talis enim vel sui juris, vel adhuc sub patrio imperio, quod parens sibi eripi non patietur. Illud quoque notissimi juris, ut uxores sequantur conditionem mariti, non verò maritus conditionem uxoris. Verùm, ut ad propositum tandem redeam, repetam suprà datam meam conclusionem, nullo tempore filiumf. patrio imperio solvi, quoniam contra omnis imperii naturam est, extingui tempore, adeò ut etiam illud Dictatoris, ad certum tempus datum, sub illo non

fini-

finitum esset, nisi Dictator sponte sua illud voluisset abdicatum. A Deo immediatè imperium conceditur, & ab eodem solo eripitur, humanis verò commerciis & externis conditionibus non subjacet. Equidem Grotius noster aliquid dixisset, si parentibus in liberos potiùs jus non esset, quàm in quantum eorum educationi sufficit. Hoc enim posito, sequitur, quando liberi in tantam ætatis maturitatem & rationis usum pervenere, ut ipsi sibimet rebusque suis regendis adulta solertia satis idonei sint, tunc ipso jure cessare externam patris providentiam, & liberos suæ potestatis effici, utpote qui alieno regime ampliùs opus non habent. Sed quàm infirma hæc sit opinio, quamque amplioribus terminis patria potestas circumscribatur, sufficienter jam, ut puto, demonstratum est. Si conjecturis locus esset, dicerem, Grotium hîc non parùm seduxisse imaginem quandam convenientiæ inter patrem in ordine ad liberos & tutorem in ordine ad pupillum, consistens in eo, ut is, qui se ipsum regere non potest, alterius curæ & fidei committatur. Nam ut rem paulò pressiùs tangam, in ætate pupillari feliciùs quis tres his affines gradus constitueret, secundùm quos tutorum potestatem æstimare licet. Primus est, ubi pupillus adhuc admodùm infans omni consensu exercitioque rationis caret. Hoc temporis statu tutor omnia solus agit, ut sibi pro pupilli utilitate & commodo visum fuerit, & pupilli præsentia nullibi requiritur, qui etiam authore tutore suo nihil agere vel contrahere potest. Ratio non longè petenda. Quippe omnis contractus consistit in mu-

tuo quodam consensu, per quem contra
post longam altercationem tandem conv
qui consensus in infante omnium rerum
deficit, ut frustra quis quærat, an is auth
tutoris contrahere possit, qui ob defici
consensum nullo modo contrahere potes
cundum tempus est, in quo pupillus inf
paulatim egredi incipit, & ad pubertatem
rat. Tunc ratiocinium se exerere conatur
genita solertia infantes nugas, ut sol ne
dispellit. Hîc legumlatores & Roman
non omnem agendi facultatem impube
sciderunt, sed prudenter æstimantes judic
hac ætate gradatim matureſcere & con
aliquem actibus adhiberi posse, ad perfec
men maturitatem & naturalem vigorem
dum planè perveniſſe, sed occultis adul
fraudibus fertiliſſimaque hominum ma
cillimè in laqueos & irreparabile rei fa
detrimentum incidere, sapientiſſima dis
ne huic ætati ita prospexerunt, & nulla in
injuria, (quam non frustra aliqualem pu
lertiam infudiſſe deprehenderunt) facil
ætatis præcipitium ita cohibuerunt, ut ve
linis sapientia nihil divinius excogitari p
mihi videatur. Quoniam enim in ho
negotiis & contractibus ita comparatum
eorum quidam sine omni periculo & la
fraudum serie incantur, alii verò solert
etiam interdum decipiant, ex hac diversi
casione sumpta impuberum actiones sic
ravit jurisprudentia, ut ubi pupillo absqu
deteriori suspicione conditionem suam

Digitized by Google

rem facere licet, id ei facere etiam ſine authoritate tutoris liceat. Quando verò in utrumque inclinatio, pupillus contrahens ſine authoritate tutoris non obligetur, obligetur verò majorennis indiſtinctim, qui ſibi imputare debet, quòd cum illo contraxerit, quem egregiis legum beneficiis contra omnem fraudem aliudq́; incommodum adjutum noverit. Tertius denique ætatis gradus eſt, quem leges adultis attribuerunt, in quo hominis rationem judiciumq́ue pleniſſimè ematuruiſſe exiſtimavere, ut non ulteriùs externo moderatore indigeat, qui jam ſatis aptus viſus eſt naturali prudentia ſua tractare, & absque improborum decipulis in actibus rerum verſari. Hoc tempore omnis tutorum atque curatorum poteſtas in minores ſolvitur, atque ille, qui hactenus ſub aliena poteſtate & manu vixerat, liber & ſui juris fit. Ecce tres illos temporum & ætatis gradus, quos in minoribus ratione poteſtatis tutelaris obſervari videmus, quos fortaſsè, ut dixi, & Grotius in oculis habuit, & poteſtati patriæ ideo applicare voluit, quòd tam filiif. quàm pupilli ad majorennitatem usque auxilio & moderamine alieno indigent. Verùm enim verò ſi rem accuratiùs conſideraſſet, & inter indolem utriusque poteſtatis & inter cauſam illas finiendi magnam differentiam reperiſſet. Poteſtas tutorum in pupillos ſumma & ἀναίνδυτος non eſt, ſed ab imperio civili propter utilitatem publicam invecta, certis limitibus cancelliſq́ue incluſa, & eum in finem conceſſa, ut qui ex impotentia judicii ſe & res ſuas adminiſtrare neſciunt, his tutelaris manus proſpiciat, donec

ad perfectiorem rationis usum pervenet
impuberi stultitiâ bona facultate que dil
tes ad paupertatem & inopiam redigan
quod Reip. valdè detrimento & periculo
cùm plerunque pauperes, quique sua in j
ætate decoxerunt, se ære alieno ad antiqu
mus suæ splendorem tuendum obruan
deinde solvendo impares avidissimè rel
vandis studeant, quibus afflicta fides in pac
in seditionibus & in tranquillitate turb
Sapientissimo itaque consilio potestas
adolescentiæ fervorem tutorum potesta
peravit, donec maturius judicium infanti
rexerit. Quo facto ipso jure hæc potestas
rat, & à majestate revocatur cessante ca
quam erat data. Patria autem potest
genere alia est, alioque se modo habet.
dependens & à solo Deo parenti in liber
cessa extra Remp. neminem præter suum
rem habet, à quo parenti eripi, & filius i
tatem vindicari possit. Itaque non ex sp
ri Romanorum provisione, ut Grotius vu
ipsa imperii paterni intrinseca natura est,
liis perpetuò duret, quamdiu emancip
sunt, nullum enim, ut diximus, imperiu
pore finitur. Servus, quamdiu non ma
titur, sub herili manu est, & marito in u
imperium tamdiu salvum manet, quan
psum matrimonium. Idem videre licet
li potestate, quæ omnium perfectissima e
quam civis ullo temporis decursu invite
rante obligatione & fide se liberare pot
omni suâ vitâ illi imperio, cui se Deus sub

Digitized by Google

voluit, subesse cogitur. Secus si faciat, fit reus perfidiæ, & acerbissimis pœnis castigatur. Par delictum filius committet, qui prætextu virilis ætatis imperium patrium detrectat, quod Deus patri inviolabile & sacrum constituit.

Cujus causa perpetua est.] Scilicet parentum generatio & cura in liberos. Cui accedit generalis illa & perpetua Dei sanctio, quâ parentibus honorem & reverentiam à filiis exhiberi jussit. Sed non minùs perpetuam quoque causam habet imperium patrium, quod filiumf. obligat.

Unde sequitur.] Non sequitur ex hoc. Sed potiùs, quoniam Reges, qui parentes habent, eminentiore imperio pollent, quod illud patrium ad se trahit, sibique subjicit. Quo fit, ut filio Regi, qui aliàs extra Remp. sub patria potestate esse deberet, in hoc civili ordine pater subsit; quomodo & uxori Reginæ maritus quoque subest, & ignobilior maritalis potestas cedit civili tanquam digniori. Quod civile imperium id etiam efficit, ut filius patrem, uxor maritum capitalis criminis reos absque ulla parricidali infamia ultimo supplicio afficere possint. Atque hæc profectò sanior est explicatio, quàm cùm Dn. Ziegl. ad hunc locum ad principia juris Romani recurrendo scribit, *filiumf. in publicis causis loco patris f. haberi. l. 9. ff. de his, qui sui vel al. jur. & quod ad jus publicum attinet, non sequi jus potestatis, l. 14. pr. ad SCt. Trebell. sed in publicis causis parentum jura interquiescere. Agell. l. 2. c. 2.* Quis enim non videt, hos textus ex Digestis citatos non loqui de regibus, sed personis privatis filiisf. qui interdum in causis publicis

loco patrumf. habentur. At Reges, qu
omne jus publicum sunt, & quicquid el
cum, contemplatione illorum publicun
causis demum publicis loco patrumf. hab
surdam præfectò conciliationem sapit, q
lum omninò ingenium habet. Citatur
Agellii locus, huc non nisi longinquè per
Quippe ibidem non agitur de actibus ir
validis Regum, qui adhuc parentes habe
potiùs, quæ ratio observatioque officior
debeat inter patres filiosque in discumb
sedendo, si filii Magistratus sunt & patres
Super ea re Taurus philosophus fusè & el
disseruit: Ut in publicis negotiis filii mag
præeant, in privatis patres. Quod Tau
tum, licèt pleniùs examen mereret, ta
nostrum propositum non applicari debet,
am ille loquitur de Magistratibus populi
ni, nos verò de Regibus, qui suo proprio ju
precario Remp. administrant. Hos ob e
tissimam divini characteris dignationem cu
gistratibus non licet conferre. Princeps,
jestate præditus est, ubique publicam pe
portat, ubique igitur patri subdito præfe
dummodo non obliviscatur, à naturali re
tia & honore parentibus debito nullum e
perium absolvere.

§. 7. *Ad dissolvenda vota, &c.*] S
perpetua esse poterat, quoniam filios, po
patris potestate exierant, pater prohibe
potest, quò minùs vota facerent, ut lubitù
Quamdiu autem in patria domo & pote
vunt, tunc non solùm lege Hebræa, sed &

Digitized by Google

na, imò naturali ratione parentibus concessum est, filiorum vota irritare, quia universalissimè in omni ordine imperantium & parentium verissimum est, quod hîc notat Dn. Ziegl. *quando votum ab inferiore nuncupatum est de illis rebus, in quibus alterius potestati subjacet, etiam ex naturali ratione superiori concedi irritationem, non demum ex lege positiva, quando quidem ad votum tale necessarius est superioris consensus.* Quæ si positio vera admittitur, etiam mihi explicare videtur illam Canonistarum controversam quæstionem, num vota à filiof. concepta reviviscant; quando patria potestate exivit. Displicet hîc nobis distinctio Dn. Ziegleri, *num votum sine temporis futuri determinatione conceptum sit, an verò cum determinatione temporis & status cujuscunq; & quandocunq; futuri.* Ita ut illo casu *videatur obligatio in præsens facta, adeoq; irritatum & rescissum omnino extingui, nec unquam revivisc ere posse. Hoc verò secus.* Quoniam ubique in ejusmodi votis deficit legitima agendi facultas, propter defectum consensus paterni. Quòd si igitur parens votum quomodocunque conceptum revocaverit, illud omninò extinguitur, nec ullo tempore sive conditione convalescere potest, quod cum omni sua substantia evanuit: ideoque vovens non tenetur illud votum servare, quod conceptum quidem cum determinatione temporis & status, à patre tamen irritum factum est, quoniam parenti etiam in hoc filii voluntas subjacet, ne aliquid sub conditione firmiter statuat absque ejus consensu, quod filium existente conditione obliget.

Nam potest & hic justas habere causas. Qu
enim si filius ex calore vel imprudentia adc
scentiæ voveat?Id quod tamen non impedit,qu
deinde filius sui juris factus repetendo votum
novo vovere possit.

Quamdiu emancipati non erant.] Ven
hoc ex indole imperii paterni non sola civili le
notare prævertimus. Nec juvat Grotium, E
manos ipsos professos, patriam potestatem
propriam esse: quoniam id de quibusdam es
ctibus,qui ex lege positiva naturales imperii q
litates concomitabantur intelligendum, ut fu
ùs à DD. ad Institutiones & Digesta explicatur

§. 8. *Consociatio maximè naturalis.*
enim actus conjugii merè naturalis, quater
homo ut cætera omnia creata sui generis perp
tuitatem, quam in creatore invenit, generatio
æmulatur. Habet interim actus iste concor
tans aliquid morale, quod proæresin & elect
nem includit, fugiendo vagos concubitus &
cestam cohabitationem.

Ob sexus differentiam imperium non commune.] Iterum recurrit Grotius ad sex
differentiam in imperio maritali definiend
quod soli Deo adscribendum erat, qui omnia i
peria immediatè concedit; cujus concessionis
potestate maritali indubitatum in sacris lite
habemus testimonium: ubi Moses *Gen. 3.* n
docet, Evam ante lapsum æquali libertate & pr
stantia cum Adamo conditam fuisse, nec illi
paruisse imperio, sed par jus in bruta & alias
exercuisse. Postquam verò se horribili perdu
lionis crimine obstrinxit, Deum inter alias p
na

Digitized by Google

nas, quas Evæ propter inobedientiam irrogavit, hoc etiam posuisse, ut ipsius voluntas subiit marito: quo ipso pristinam libertatem amisit, & potestati maritali subjecta est. *Voluntas tua*, inquit Deus, *obnoxia esto marito tuo, & ille dominabitur tibi.* Quæ verba totam imperii efficaciam comprehendunt, & potestatis maritalis terminos quoad omnes actus satis ampliant. Quando enim voluntas Evæ obnoxia esse jubetur marito, eo illi conceditur suprema in caput uxoris potestas, & quando Evæ Adamus jubetur dominari, dominium in res illius superius intelligitur, ex quibus universæ familiæ regimen illimitatum conflatur. Cæterùm, ut hoc obiter dicam, non placet mihi illorum opinio, qui volunt, etiamsi homo gratiâ divinâ non excidisset, nihilominus tamen maritum imperaturum fuisse uxori suæ. Scilicet hoc perpetuò mihi fixum ratumque est, omne imperium à Deo introductum & nobis concessum esse ad frenandam hominum licentiam, quâ mundus post lapsum restagnavit. Quod si jam homo in integritate sua permansisset, cùm sua sponte ad bonum faciendum inclinasset, certè ad continendam improborum malitiam, quæ nulla erat, neq; opus imperio fuisset, neq; etiam Deus hominem in servitutem dedisset, qui extra illam ad divinæ sanctitatis normam ingenita bonitate vivebat. Et sanè videmus primi imperii originem pœnæ loco ad puniendam concupiscentis mulieris inobedientiam cepisse, quod deinde cæteris occasionem dedit. Nam voluit Deus ventris partum conditionem matris sequi, & ita subjecti Adamo liberi sui. Ac cùm inter patres fin-

terdum dissidia orirentur, hinc bello orto ca
vorum conditio servilis facta est, tradita à D
victori in eum potestate, quem, si voluisset, pot
set occidere. Auctis tandem paulatim fami
cùm numerosior hominum propago esset, qu
nt patrisf. auctoritati conveniret, excellentissi
à Deo imperii species introducta, quæ min
omnia eminenti compendio comprehendit,
Regibus mundum subjicit.

Nempe in rebus conjugii.] Ita quidem G
tius ex hypothesi sua, inani illa sexus præstan
Nos verò, qui in societate nuptiali verum leg
mumque imperium agnoscimus, quod Deus n
rito in uxorem concessit, terminos imperii n
ritalis ampliare debemus. Toties jam inculca
omne imperium potestate in caput & res sub
torum absolvi, ut ejus repetitio ferè nauseam r
hi faciat. Ex verissima hac enunciatione ad ill
maritale infero, maritoque in uxoris person
plenam potestatem, & in res ejus perfectum d
minium adscribo. Sed bene advertendum, co
siderare nos societates has simplices, quaten
abstrahunt à perfectiori, quæ Civitas dicitur,
in quantum paterf. nemini subjectus suo illin
tato jure familiæ præest. Hîc velut in Rep. imp
rans omnia vi imperii maritalis administrat
uxor voluntati mariti obnoxia est. Genera
sunt Dei nostri benignissimi verba, quibus Eva
Adamo subjecit, & audaci interpretationi lim
tationem debent. Voluntas Evæ obnoxia red
tur Adamo, & hic jubetur illi dominari. Ind
terminata locutio potestatis plenitudinem suf
cienter indicat, neque unicum restrictionis

Digitized by Google

res conjugii jota reperire licet. Itaque non opus habemus facultatem marito conceſſam ad reſcindenda quævis vota uxoris & vendenda bona uxoria, à domeſtica cauſa ad populorum inſtituta transferre, cùm marito non ſolùm hæc jura, ſed multa majora etiam, quæque ad ferrum usque & ignem pertingere poſſint, in caput uxoris competant. Communiter jus vocant vitæ & necis. Hoc, inquam, eſſentiale omnis imperii attributum, ſicut paulò antè patri adſcripſimus, ita marito nunquam denegabimus, quicquid etiam alii adverſentur, qui comem magis quandam & humanam facilitatem commendant, quo uxor gubernanda ſit, ſocia thori, familiæ, utriusque fortunæ. Regenda ducendaque meliùs pudore quàm atrocitate. Egregiè hæc officium conjugale explicant, poteſtatis maritalis terminos non deſignant. Nos quoque comitatem in marito laudamus, & auſteros illos immitesque tragicos, qui ferina ſeveritate auctoritatem quandam, non amorem conjugalem comi facilitate quærunt, indignos judicamus, quibus uxor virtuoſa venuſtate obveniat. Quid verò ſi crudus animus & facilis in flagitia promptitudo atrociora remedia requirat? quid ſi furialis Medæa infantes occidat, ſe inceſto aut adulterio polluat, ſi venefica ſit, ſi blasphema? Hîc intempeſtivè benevolentiam adhibueris, ubi refractaria contumacia leniores cogitationes irritat. Nam & Principi commendamus clementiam, qui nihilominus ſalvâ eâ in ſceleratos animadvertere poteſt. Temerè effuſum hominis ſanguinẽ nocentis ſanguine elui perpetuo Deus edicto ſanci-

ſancivit, at quis in familiis extra Remp. conſt
tis reo pœnam imponere præter patremf. pot
Contra naturalem enim ordinem eſt, ut pa
parem vel ſe majorem imperio utatur. Qu
dominus familiæ ſuæ legitimus judex uxor
criminis ream audit, & ex juſtitiæ præſcri
damnat vel abſolvit; In Rebusp. autem, ubi o
civilis ſervatur, illud vitæ & necis jus minori
ſocietatibus ademptum ad Magiſtratus publi
pertinet. Quare non mirum, ſi marito, qui in c
tate majeſtati ſubeſt, jus ultimum ſupplicium
uxorē ſtatuendi ſubtrahatur, cùm domini in ſ
vos & patris in liberos ſat ampla poteſtas non
rùm quoque deminuta ſit, ut nihil præter mo
cam caſtigationem relictum videatur. Quam
& apud gentes quasdam domeſticum illud imp
rium illibatum à majeſtate familiarum domi
manſerit, aut etiam ex ſpeciali conceſſione qua
doq; conceſſum fuerit. Ita apud Tac. (*a*) legimu
Pomponiam Græcinam ſuperſtitionis exter
ream mariti judicio permiſſam, eumque priſ
inſtituto propinquis coram de capite famaq
conjugis cognoviſſe & inſontem nunciaviſ
Sic viros atque cognatos in mulieres Bachic
conjurationis damnatos ad necem usque anim
advertiſſe nos Livius (*b*) docet. Quibus i
ſe habentibus non adeò anxiè cum Domino Zie
lero quærere debemus, quale quantumque ju
maritus in corpus uxoris habeat, an juri uten
alieno horto aut aliena vacca cognatum ſit, a
hoc fortiùs: quoniam jus in corpus ſive perſ
na

(*a*) 2. Annal.
(*b*) Hiſtor. l. 39. c. 18.

Digitized by Google

nam uxoris tale habet, quale exigit indoles imperii, quale habet pater in liberos, Dominus in servos, & Princeps in subditos. Non rarò similitudines ab usufructu desumptæ civilem disciplinam corruperunt, id quod hîc etiam usu venit. Nam si usufr. marito in uxorem competit, cujus est proprietas? quid interest scire, num imperium maritale juri usufructuario conveniat, si sciamus, illud potestatem in caput & dominium in bona comprehendere. Itaque hi similitudinum scopuli, quos Jcti politici frequenter imperitiorum pedibus objectare solent, diligenti examine à studiosa juventute in his moralibus vitandi, quoniam rem & argumentum in indigestam molé & periculosas conclusiones conjiciunt, quibus alia ratione mederi nequeas, nisi causam à peregrinis illationibus abstrahendo in domestico fonte explores, qui facilem & ultroneam tibi aperiet veritatem.

Quæ fœminam constituat.] Verùm hoc materiale magis quàm formale conjugii est, & rectè Dn. Ziegl. aliquid ampliùs, nempe *consensum matrimonialem ad certum finem* requirit, aliàs enim filiaf. aut pupilla sub oculis & custodia patris tutorisve constitutæ essent in matrimonio. Nisi fortè Grotius formale, i. e. consensum voluit exprimere per verbum *cohabitationem*, quæ talis esse debeat, ut natura matrimonii requirit. Optimè matrimonium definitur, quòd sit *decens maris & fœminæ conjunctio, sobolis procreandæ & individuæ consuetudinis causâ inita.* Conjunctionem requirimus animorum & corporum, præcipuè autem animorum. Solus enim

enim consensus facit matrimonium, & copula ad consummationem spectat, quia surdum est, esse aliquid perfectum, licèt n consummatum: Quemadmodum emptio tio solo consensu perficitur, consummatu rei traditione. Sicut & ad perfectionem stantiam donationis res ipsa actu non req effectu tamen donationi inest, & donatio solvit. Dissentire videtur hîc *Dn. Joh Horn. de Civit. l. 1. c. 1. thes. 3.* ubi juri tribuit, quòd solo consensu nuptiæ perfic cùm naturaliter & conjunctio corporum ratur, quia secus non differrent nuptiæ à libus. Sed non consideravit vir ille erudi ferentiam inter rei perfectionem & cons tionem. Uno momento cum consensu utrinque liberò de matrimonio contra contrahitur matrimonium, sic ut vir mar lier verò uxoris nomen & privilegia h Sed quoniam ille actus certum sibi finem bat propositum, nempe procreationem ideoque ad finem obtinendum conjunct porum matrimonium consummat. At fin quam ipsam rei essentiam ingreditur, sed sa quædam externa, propter quam aliqui quod & ipse Hornius deinde approbasse v quando scribit, *rectè Saxonum legibus ass carnalem copulam seu consuetudinem co lem consummare nuptias*. Nam hoc nos dicimus, & non solùm legibus Saxonum Romanorum & omnium populorum ide ritur, nec diversum asseri potest. Neque consequentia, si sola animorum conjunct

Digitized by Google

nuptias, non fore diverſitatem inter eas & ſponſalia. Quoniam ſponſalia ſunt vocabulum uſus & juris Romani, ſecundùm quod intelligi debent, & notant non conſenſum purum in matrimonium, ſed quendam conditionatum de matrimonio aliquando contrahendo; quod tamen per eum non contrahitur, ſed alia conventione ad hunc actum opus eſt. Uno verbo ſponſalia nihil aliud operantur, quàm actionem quandam perſonalem ad contrahendum conſenſu conjugali matrimonium. Licèt non negem, conſuetudine hodierna indolem vocabuli ampliatam; nam & nuptiæ moribus noſtris diverſimodè intelliguntur; de quibus *vid. Hahn. ad Weſ. de ſponſal. n. 3.* Deinde volumus conjunctionem decentem. Ne ſcilicet impingat in jus naturæ, divinum generale, & civile. Juri naturæ conjunctio matrimonialis alia adverſa non eſt, quàm quæ fit in linea recta: quoniam ut Grotius §. *12.* bene loquitur, *nec maritus, qui ſuperior eſt lege matrimonii, eam reverentiam poteſt præſtare matri, quam natura exigit, nec patri filia. Quia quanquam inferior eſt in matrimonio, ipſum tamen matrimonium talem induxit ſocietatem, quæ illius neceſſitudinis reverentiam excludat.* Conf. tamen Sanchez. qui illud de primo ſaltem gradu intellectum vult. *De Matrim. l. 7. d. 51. n. 19. quem ſequitur Baſil. Ponce. de Matrim. l. 7. c. 31. n. 4.* Juri divino generali gradus excluduntur, qui extant *Lev. 18.* quibus deinde jus civile & ſtatutarium naturalis honeſtatis aut pudoris causâ, adhuc aliquos adjecit. Porrò conjunctio eſſe debet maris & fœminæ, quo excludimus duas

duas fœminas & duos mares, à quibus matri
nium contrahi nequit. Non verò rejicimu
totum polygamiam simultaneam, de qua ple
paulò infrà. Tandem quoque nostra defin
finem & scopum, quem illud matrimoniale c
sortium intendit, explicat; isque est dupl
Principalis vel minùs. Ille procreatio sobo
Hujus enim intuitu inire nuptias convenit.
mutuum adjutorium, ad levandas hujus
acerbitates, ac labores familiares intima con
tudine, omnis boni maliqué socia, juvandos

Fides, quâ fe fœmina. Est quidem illa fi
reciproca & non minùs fœminæ à marito de
tur, quàm mari à fœmina. Sed exinde non
quitur, quod vult *Ziegl. ad h. l. falsum esse, p
unum quidem virum esse multarum mulier
unam autẽ mulierem non posse esse multivir*
quia fides reciproca non impedit, quò minùs
mulier duos viros, vel vir unus plures mulie
habeat, cùm talis fides ubique reciproca &
sit, quæ debetur reciprocè viro ab hac muli
& à viro mulieri, & alia, quæ debetur à viro sec
dæ mulieri: & sic consequenter, ut hac rati
non unum, sed plura matrimonia esse videan
in quibus reciproca fides multiplicatur. Sic
concubinatus secundùm & minùs solemne
trimonium vocatur. Posse enim aliquem fid
suam pluribus obstringere, id verò extra con
versiam est: sed in muliere quò minùs plures
ros habere possit, duo moralia impedime
sunt. Primò defectus finis primarii, qui est p
creatio sobolis, quam societas nuptialis inten
& positio finis prohibitivi & mali exempli. N
er

enim mulier pluribus viris nubere potest sobolis procreandæ causâ, sed unus huic actui quotannis sufficit: quare tali matrimonio nihil aliud intenderetur, quàm indomitæ libidinis turpis expletio, quæ sine honestiore concomitante fine injusta & moraliter mala est. Vir autem secundam mulierem liberorum habendorum causâ primæ superinducit. Secundum impedimentum est imperium maritale, quod maritus in uxorem acquisivit: non itaque ampliùs in potestate uxoris est, se alii viro subjicere, quæ semel uni subjecta est, quamdiu is vivit, quia subditus nolente domino obedientiam exuere nequit, & se alii potestati subdere. Nemo autem duobus dominis æqualiter subditus fieri potest. Hinc quicquid hîc ageret mulier, irritum esset, quia non adest agendi facultas, quæ ad actum requiritur, sed hanc maritus vi imperii uxori ademit.

§. 9. *Plures unà uxores habuerunt.*] Consentio hîc cum Grotio, & semper in ea fui opinione, juri naturali & divino positivo in veteri testamento polygamiam non esse adversatam. Nam communior interpretum sententia de dispensatione divina ideo non placet, quoniam omnis à lege quadam dispensatio ita comparata esse debet, ne omnes tangat, nam aliàs si omnes eximerentur lege, non tam circa legem fieret dispensatio, quàm illa lex tota abrogaretur, utpote quæ nullas ampliùs haberet vires, nec posset rebus sic stantibus toto suo genere deduci in actum. Juri itaque divino positivo, quod Judæis datum, non repugnat polygamia, quoniam in omni illa lege tam morali quàm ceremoniali vel forensi, nullib'

prohibetur, sed quibusdam in locis non obscu
admittitur vel etiam jubetur. Quædam loca h
citat Grotius, quæ omninò bene notanda su
nos adjungamus adhuc duas leges, quas in lect
ne sacræ Scripturæ observavimus. Extat *Lev*
18, 18. præceptum prohibens, ne quis sororc
uxoris suæ ducat, quamdiu uxor tua vivit,
vitandas inter sorores periculosas æmulation
Ex quo textu colligo, licuisse aliam uxori sup
inducere, modò non ejus soror fuerit. Quin qu
Deuteron. 25, 5. necessitas imponitur ducer
duas uxores. Jubetur enim frater fratris sui si
liberis mortui viduam ducere ad excitandu
fratri demortuo nomen. Nunc si eveniret,
frater superstes haberet actu uxorem, vi mand
ti divini profectò etiam nolens ducendo vidua
in polygamia vivere cogeretur, neque enim u
maritati vel non maritati mentio occurrit, ut n
bis ejusmodi restrictionem facere non lice
imò verò textus non obscurè de fratre loquit
maritato, *si duo*, inquit, *fratres cohabitaverun*
Cohabitatio autem illa sine dubio erit, cùm ute
que vivit in matrimonio; nam quod in contex
de uno dicitur, id extenditur etiam ad alteru
Polygamiam contra jus naturæ non esse, adm
dùm nobis laborandum non est, quia si impinge
ret, nec Deus potuisse disponere, id quod etia
tandem agnovit Dn. Ziegl. licèt paulò antè sc
pserit, videri polygamiam juri naturæ repugn
re. Ergo polygamia est actus suâ naturâ indif
rens, qui à Deo in utramque partem termina
potuit, & Judæis etiam quoad conscientiam pe
missus est. Facit nobiscum Consultissimus *Hab*

ad Wes. de Nupt. n. 4. *polygamiam*, ajens, non *modò divino veteri, sed & naturali jure illicitam non esse. Promovere enim magis primarium matrimonii finem, procreationem sobolis: & officere tantùm secundario, cohabitationi pacatæ.* Et certè mirum esset, si quando ante Christum polygamia illicita fuisset, neque sanctos viros, qui sæpiùs peccata sua nominatim confessi sunt, eam inter illa recensuisse, neque Prophetas, qui ferè non omnia populi Judaici peccata enumerant, ejus ullam mentionem feciſſe.

Præcepta quædam dantur.] Locus *Deuter. 21, 15.* de polygamia successiva commodè accipi non potest, quia contextus haud obscurè de simultanea loquitur, *si quis duas habet uxores*, inquit Deus, sc. actu. Nam si una jam esset mortua, non haberet duas uxores, sed unam habuisset, alteram adhuc haberet. Deinde conjectura etiam pro simultanea polygamia est, quod ibi habetur de odio, quo uxorem alteram vir prosequitur, quod in mortuam continuari non debet.

Octodecim uxores.] Sit hoc Judæorum commentum, ex cit. tamen loco *Deut. 17.* firmiter colligitur, licuisse Regi plures uxores in matrimonio simul habere. Quod si enim prohibitum ei est, ne nimiam adscisçat sibi uxorum copiam, è contrario concessum comparare modicam.

Et Davidi Deus imputat.] Non probo explicationem Domini Ziegl. datas Davidi uxores Saulis esse non in conjugium, sed dominium. Nam verborum structura & rerum series aliud suadent. Ut enim jam nihil dicam, haberi *d 2. Sam. 12.* uxores Saulis *in gremium* Davidis esse

datas, quæ locutio de dominio comm
matrimonio intelligi possit, judicent
mihi non videatur Nam vocabulum H
pn post multas significationes nunquan
um significat. Sic cùm Sara Abrahan
brat, quòd dederit ei ancillam in sinu
Gen. 16, dominium non intelligit.
Deut. 13, 6. quando ait, *sive uxor, quæ
tuo.* Ubi semper indigitatur matrimon
Proverb. 5, 20. habetur, *amplexabe
extranea*, quod de adulterio accipitur
minio. *Ex istis locis*, inquit *Joh. Fors
ctionem Hebr. ad d. voc. perspicuum est,
cem accipi pro intimo, quo quis intim
affectu aliud complectitur, & tanquam
tum & impressum in pectore fovet.* Er
minium trahi nequit. Illud bene obse
est, loqui ibidem Prophetam Nathanem
datu Domini ad Davidem, & eidem ex
ingratitudinem, quam erga Deum su
misit, adulterando Bathsebam, Uriæ uxo
lictum igitur est adulterium, quod Deo
plicuisse dicitur. Quare misit ad eum
tam, qui ipsi peccati hujus gravitatem
gnationem divinam indicaret, idque
quòd David peccasset non tam ex imb
humana, quàm extrema malitia. Hoc
inter alia eo quoque manifestum facit,
vidi non deerant uxores, & quidem p
mæ, quibuscum consuetudinem habere
set. Inter alias quoque beneficio divino
Propheta dicit illustres Saulis uxores;
jam aliquis interpretaretur de dominio

esset hæc Nathanis exprobratio quæ Davidi aperuisset refugium, quo se tutaretur dicendo. Quid prodest uxores Saulis datas mihi esse in dominium, cùm illas in matrimonio habere impediar. Atque ita incommodè Davidi objiceretur uxorum numerosa multitudo, quas non tanquam uxores, sed subditos habebat. Idcirco intelligendus est textus de mulieribus in thorum connubialem datis, quo concesso verbum dandi non de nuda tolerantia accipi potest, ut putat Ziegl. Nam inter egregia Dei beneficia connumeratur talis concessio; At profectò Deus non videtur id, tanquam ingens beneficium dare, & peccatori ut ingrato exprobrare, quod morale malum continet.

Sic & dimittere uxorem.] Nihil directò probat hoc argumentum, ut & *Dn. Ziegl.* notat.

At lex de care.] Esto, quòd extiterit in ipsa conjugii institutione lex: inde tamen non sequitur, polygamiam contra jus divinum positivum, quod Judæis datum, esse. Quia Deus potuit illam legem ut voluntariam rursus abrogare, quod & sine dubio feciffet, ne populus suus in continuo peccato ageret. Quamvis nec omni dubio careat, institutionem illam conjugalem fuisse legem, cùm neque indolem legis, sed potiùs actum quendam indifferentem sapiat, neque verba imperativa ibidem reperiantur. Utut enim *Gen. 2, 24.* duo in unam carnem fore dicantur, hoc tamen de uno matrimonio intelligendum, quod non impedit, quin deinde vir & uxor alia secundis contractis nuptiis earum intuitu duo in unam

carnem sint. Reliquis satisfacit Grotius hic quòd de divortiorum libertate majore quàm est indulgentia mihi loqui videatur. Arctius enim in matrimonio conjunctio, quam mutandes copulat, fortius vinculum habet, quàm ex leviſſimis cauſis diſſolvendum eſt: & annunciationem Evangelii quoque niſi urgema neceſſitate ſine peccato non diſtrahi de Qua in ſententia me confirmat Propheta *Ieachi*, qui *c. 2, 13. & 14. & 15.* Judæis levi illa divortia exprobrat, iisque Deum ad iram veri docet.

§. 10. *Non omnia, quæ juri naturæ gnant.]* Meminiſſe debemus, jus naturæ h pere Grotium in paulò latiori ſignificatione tenus omne illud includit, quod rectæ rati judicio hominum communi conforme eſt. juſtitiam attributricem dixit, in quam off qui non ea agit, quæ agere recta ratio præci gr. quando prodigus non iis donat, quibus tantum, quantum convenit: nec tamen e quisquam jus habet ad cogendum, exemp sâ, prodigum, ut ſibi potiùs, magis digno, alii donet.

De parentum conſenſu.] De parentum ſenſu in nuptiis adhibendo uberrima diſ num ſeges, præcipuè apud JCtos. quando eos adhuc non convenit, num de jure Can conſenſus parentum ſubſtantiale requiſit nuptiis ſit. Ferè tamen omnes in eo conve de jure naturæ non requiri, utpote quo pa bus nihil præter honeſtatem & cultum re tiæ debeatur. Quibuscum & hic Grotiu

ex morali ratione, quoniam in filio, qui nuptias contrahere vult, adest legitima & plena contrahendi potestas: in patre autem deest facultas moralis impediendi actum filii: subjuncta ulteriori declaratione, præcipere quidem honestatem naturalem, ne inscii vel invitis parentibus hanc societatem ineamus, sed illam contractam ob dissensum non irritari, quia jus seu facultas agendi unà cum legitima ætate competere inceperit, & filius ducendo uxorem paternis sacris exierit, propriamque habuerit familiam regimini paterno amplius non subjectus. Solum autem reverentiæ officium non efficere, ut nullus sit actus, qui ei repugnat; Quicquid deinde Romanis vel aliis populis de necessario consensu constitutum, id non ex natura esse, sed juris conditorum voluntate, tum quòd eodem jure mater, cui tamen naturaliter liberi reverentiam debent, suo dissensu matrimonium irritum non faciat, tum quòd ne pater quidem emancipati filii. Consentit & Dn. Ziegl. actum tamen, qui voluntati parentum & debitæ eisdem reverentiæ contrarius est, *ut illicitum, injustum & punibilem pronuncint, præsertim ubi filius adhuc in familia patris est constitutus, tum enim quia partem facit familiæ, & quodammodo ipsius patris, major videtur esse necessitas paterni consensus, quam quæ ex sola reverentia nascitur. Et hinc putat graviter ladi conscientiam filii, parentum consensum negligentis, neque in foro externo impunè id esse debere, quòd autem conjugium non fiat nullum, inde esse, quia consensus parentum inter essentialia conjugii specifice non ponitur,*

carnem sint. Reliquis satisfacit Grotius hic, nisi quòd de divortiorum libertate majore quàm par est indulgentia mihi loqui videatur. Arctissima enim in matrimonio conjunctio, quam mutua fides copulat, fortius vinculum habet, quàm quod ex levissimis causis dissolvendum est: & ante annunciationem Evangelii quoque nisi urgentissima necessitate sine peccato non distrahi debuit. Qua in sententia me confirmat Propheta *Malachi*, qui *c. 2. 13. & 14. & 15.* Judæis levissima illa divortia exprobrat, iisque Deum ad iram moveri docet.

§. 10. *Non omnia, quæ juri naturæ repugnant.]* Meminisse debemus, jus naturæ hîc capere Grotium in paulò latiori significatione, quatenus omne illud includit, quod rectæ rationi & judicio hominum communi conforme est. Alibi justitiam attributricem dixit, in quam offendit, qui non ea agit, quæ agere recta ratio præcipit, v. gr. quando prodigus non iis donat, quibus, nec tantum, quantum convenit: nec tamen exinde quisquam jus habet ad cogendum, exempli causâ, prodigum, ut sibi potiùs, magis digno, quàm alii donet.

De parentum consensu.] De parentum consensu in nuptiis adhibendo uberrima dissensionum seges, præcipuè apud J. Ctos, quando inter eos adhuc non convenit, num de jure Canonico consensus parentum substantiale requisitum in nuptiis sit. Ferè tamen omnes in eo conveniunt, de jure naturæ non requiri, utpote quo parentibus nihil præter honestatem & cultum reverentiæ debeatur. Quibuscum & hic Grotius facit

ex morali ratione, quoniam in filio, qui nuptias contrahere vult, adest legitima & plena contrahendi potestas: in patre autem deest facultas moralis impediendi actum filii: subjuncta ulteriori declaratione, præcipere quidem honestatem naturalem, ne insciis vel invitis parentibus hanc societatem ineamus, sed illam contractam ob dissensum non irritari, quia jus seu facultas agendi unà cum legitima ætate competere inceperit, & filius ducendo uxorem paternis sacris exierit, propriamque habuerit familiam regimini paterno amplius non subjectus. Solum autem reverentiæ officium non efficere, ut nullus sit actus, qui ei repugnat; Quicquid deinde Romanis vel aliis populis de necessario consensu constitutum, id non ex natura esse, sed juris conditorum voluntate, tum quòd eodem jure mater, cui tamen naturaliter liberi reverentiam debent, suo dissensu matrimonium irritum non faciat, tum quòd ne pater quidem emancipati filii. Consentit & Dn. Ziegl. actum tamen, qui voluntati parentum & debitæ eisdem reverentiæ contrarius est, *ut illicitum, injustum & punibilem pronunciat, præsertim ubi filius adhuc in familia patris est constitutus, tum enim quia partem facit familiæ, & quodammodo ipsius patris, major videtur esse necessitas paterni consensus, quàm quæ ex sola reverentia nascitur. Et hinc putat graviter læsi conscientiam filii, parentum consensum negligentis, neque in foro externo impunè id esse debere. quod autem conjugium non fiat nullum, inde esse, quia consensus parentum inter essentialia conjugii specifice non ponitur,*

sur, sed tantùm genericè, quatenus ad quosvis actus filii & electitios, ut subsistant, requiritur. Quicquid sit, illud quidem verum, jure naturæ consensum parentum ad nuptias non requiri: At exinde non sequitur, ergo extra specialem legislatoris voluntatem iste consensus non est necessarius. Poterat enim illa necessitas adhibendi consensum ab alio quodam principio esse orta, sicut & in rei veritate oritur, quod principium nunc nobis explicandum est, & ostendendum, deesse in filiof. agendi facultatem, & patri competere jus strictè sic dictum revocandi nuptias filii, quem in potestate habet: quibus visis simul ad Grotii & Ziegl. objectiones respondebimus. Cum initio *c. 5.* de societate paterna & imperio domestico, quod illam animat, disputationem instituissemus, simul hujus imperii indolem & virtutem contemplati sumus, quatenus scilicet comprehendit potestatem in personam & bona liberorum. Potestati in personam subjacent omnes liberorum actiones, quas ad voluntatem nutumque patrium conformare & dirigere tenentur. Ubi secus faciunt, non solùm castigatione & pœnis à parente coërceri possunt, sed & actus imperio paterno repugnantes ab eodem irriti fiunt aut retractantur. Quippe hoc omnis imperii natura requirit & efficacia, ut de rebus indifferentibus, quæ per se neque bonæ neque malæ moraliter sunt, in utramque partem pro lubitu & beneplacito statuere queat. Cui provisioni tenentur subditi tanquam instrumentum passivum stare, neque inutilibus cogitationibus vel refractariâ contumaciâ communem Imperantis

rantis de Rep. ſollicitudinem in dubium vocare aut remorari. Hoc ſicut de omni ſubdito, qui ſub majeſtate eſt, rectè dicitur, ita non minùs de filio, qui ſubeſt patriæ poteſtati extra rempublicam conſtitutæ, quia utriusque imperii in ſubjectos eadem eſt efficacia, & in utrosque par jus, ſub diverſis quamvis titulis, eſt. Quemadmodum itaque ſubditis ſuis Princeps prohibere cum effectu obſequii & in eventum nullitatis poteſt, ne hanc vel illam mulierem, aut hujus vel illius nationis ducant, licèt eisdem rationes prohibitorias non explicaverit; Ita quoque paterf. nuptias filiorumf. vi imperii, quod actiones liberorum moderatur & dirigit, impedire omninò valet, vel etiam contractas revocare, aut nullas, quaſi in filio defuerit legitima agendi poteſtas impetranda à voluntate patris, dicere. Quamobrem filiusf. ne matrimonium ejus à parente retractetur, neceſſe ſanè habet, conſenſum patrium, ad actionem legitimandam, adhibere. Et ita videmus contra quum ſenſit Grotius, neglectum parentis conſenſum omninò deſtituere actum contrahendi matrimonii legitimo agendi principio, quod principium à conſenſu patris dependet, & ſic durare vitium in effectu, quamdiu parens noluerit conſentire. Sed tamen diligenter memoriâ tenendum, hæc demum vera eſſe in familia extra Remp. Nam in Rep. quin filius à majeſtate contra patris voluntatem uxorem ducendi veniam impetrare poſſit, aut majeſtas ipſa cavere, ne neceſſarius ſit parentum conſenſus, non repugno, ſuſpenſa inferiore poteſtate per ſuperiorem. Quæ cùm eo modo, ut diximus, ſe habeant, non

dificile est ad rationes Grotii respondere. Nam in filio etiam non adhibito consensu parentis adesse legitimam agendi facultatem, in patre verò deesse potestatem revocandi nuptias, verbo saltem dicitur & non probatur, cujus contrarium satis, ni fallor, remonstravimus. Equidem concedo honestatem naturalem non irritum facere tale matrimonium, sed inde malè infertur ad imperii paterni impotentiam. Nec magis verum, jus agendi, quod facultatis nomine venit, una cum legitima ætate incipere competere, cùm falsissimum sit principium, tempore finiri patriam potestatem, filiumque eadem liberari, quàm primùm in eam ætatem evaserit, in qua suis rebus propriâ prudentiâ poterit prospicere. Grotius quidem suprà in ea fuit opinione, quare hîc aliter non debuit sentire: at cum rejectione illius sententiæ rejiciendum quoque est enunciatum, quod filium consensu paterno absolvit. Quod si enim filius cujuscunque ætatis patria potestate non exit, sequitur, nec habere eum sine consensu patrio facultatem contrahendi matrimonium. Sed neque filius ducendo uxorem sacris paternis se subducit, imò multò magis suam conjugem eidem potestati subjicit. Actus enim ducendi uxorem cum patria potestate stare potest, ut pater non censeatur voluisse filium sui juris facere, nisi aliis sufficientissimis indiciis voluntatem suam declaraverit. Non nego, Romanos circa potestatem patriam singularia quædam constituisse, sed quod consensum in matrimonio adhibendum concernit, dico potiùs, illos rem in statu naturali reliquisse. Neque me impedit,

pedit, quòd eodem jure matris consensus, cui tamen non minor quàm patri reverentia debetur, non requiratur. Necessitas enim adhibendi consensum non fluit ex reverentia & naturali honestate, quâ parentes persequi tenemur, sed imperio patrio, quod mater non participat. Debetur quidem matri & patri par reverentia, sed patri majus obsequium. Eadem quoque est ratio, quòd ne patris quidem consensum filius emancipatus adhibere cogatur, quia per emancipationem potestate & manu patria excessit, ita ut deficiente causâ impossibile sit sequi effectum. Quod aliquantulum Dominus Zieglerus animadvertisse videtur, qui filio in familia patris constituto majorem necessitatem paterni consensus, quàm quæ ex sola reverentia nascitur, injungit: emancipato verò minorem. Quod si jam patriæ potestatis vim & virtutem accuratiùs considerasset, facillimo negotio se expedivisset, nec sine causæ efficientis præsentia in rerum naturam induxisset effectum, & non minorem necessitatem, sed planè nullam deprehendisset, quatenus validitatem & substantiam matrimonii attinet, licèt non negem, honestatem & debitam parentibus reverentiam consensum adhibendum suadere. Denique rationem Ziegleri, quare matrimonium sine consensu patris. initum, nullum non fiat, ingenuè fateor me satis non capere: *quod autem*, inquit, *conjugium non fiat nullum, inde est, quia consensus parentum inter essentialia conjugii vocis perfice ponitur, sed tantùm generice, quatenus ad quasvis actus filii electivos, ut substantes, requiritur.*

Non,

Non, inquam, hæc verba intelligere possum, ex quibus meo quidem judicio adversum planè sensum colligerem. Quòd si enim consensus paternus *ad quosvis actus filii electitios, ut subsistant*, (i.e. ut interpretor, ad eorum actuum validitatem & substantiam, nam id, quod requiritur, ut res subsistant, requiritur ad rei substantiam) *genericè*, (i.e. in genere) requiritur, sequitur profectò, quòd & *specificè* requiratur in matrimonio, ut subsistat, quia & matrimonium est species actuum in genere electitiorum: quare quicquid prædicatur de genere, illud etiam prædicatur de speciebus omnibus, quas genus sub se comprehendit. Nunc subsumo. De actibus filiif. electitiis in genere prædicatur, quòd ad eorum validitatem, & ut subsistant, requiratur consensus paternus, quare idem quoque dici debet de specie actus electicii in contrahendo matrimonio, quia hic actus generi actuum electitiorum includitur. Hanc ego ex verbis Domini Ziegleri interpretationem desumerem, cum qua ex omni parte mihi convenit. Cui tamen non adeò inhæreo, ut præfractè obniti vellem, aliam viro erudito mentem non fuisse, sed nego me aliam ex verbis illis potuisse colligere: quicunque autem ille sensus sit, illud nihilominus verum manet, propter imperium paternum, quod actiones filiif. confirmare & irritas reddere potest, requiri ad nuptias contrahendas patris consensum.

Non tamen irritum pronunciatur Esavi.] Hoc fit ideo, quia nullo Scripturæ testimonio constat, voluisse Isacum Esavi conjugia jam contracta

tracta revocare. Diversa enim sunt, filium duxisse uxorem contra voluntatem patris, & patrem nuptias velle pronunciare irritas. Quoniam illud dissensum, hoc verò nullitatem importat. Et potest parens jam celebratis nuptiis consensum præbere, quem ineundis adhibere noluerat. Ut taceam, Elavum hominem crudum est militarem per fas & nefas se patriæ potestati subduxisse, instituisse propriam familiam, & principatum Edom, cui à se nomen, seorsim planè à patria domo administrasse, ut pater dissensum sine effectu & iras sine vi exercuisset, cùm filio potentiâ multò inferior fuerit.

§. 11. *Nisi vir prior eam dimiserit.*] Præsupponuntur tamen prægnantes causæ, ut paulò antè ostendimus.

Dominium.] I. e. jus quoddam seu facultatem moralem, *ut §. præced. 10.*

§. 12. *Causas certas ac naturales.*] Putat hîc Dn. Ziegl. licèt non possint dari causæ certæ, sufficere tamen, abhorrere naturam ab ejusmodi nuptiis. Ego existimo, illum naturalem horrorem, qui nobis jam familiaris est, potiùs ex assidua consuetudine certaque peccati scientia ob prohibitionem legis divinæ esse, quàm ex naturali quodam instinctu. Neque ante legem promulgatam talem abominationem nobis assedisse, neque Adami liberos ullum sensisse internum motum, qui ipsis mutua connubia execrabilia faceret, quod tamen necessarium fuisset, si aversatio, quam nos hodiè sentimus, naturalis esset, quoniam naturales qualitates omnibus & omni tempore adsunt. Consentit nobiscum *Gros. de Ve-*

rit.

rit. Christian. relig. l. 1. c. 7. *Tum verò*, inquit, *institutа quædam ita & hominibus communia, ut non tam naturæ instinctui aut evidenti rationis collectioni, quàm perpetuæ & vix paucis in locis per malitiam aut calamitatem interruptæ traditioni accepta ferri debeant. Qualis olim fuit victimarum in sacris mactatio, & nunc quoque pudor circa res Veneris, nuptiarum solemnia & incestorum fuga.*

Insita quædam fuga.] Sed & hanc à pudore & continuata per tot secula uniformi apud gentes moratiores consuetudine esse, asserere non dubito.

Quædam animantia muta.] Historia de Camelo & equo Scytico fabulam sapit, inventam à præstantissimo ingenio ad majorem in his conjugiis abominationem nobis infundendam. Scilicet id egerunt aliquando eruditi viri, ut per fabularum confictas nebulas veritas splendidiore cultu appareat; in quem finem Æsopus invenit fabellas suas, & alii quoque scriptores illic prudentiam exercuere. Cùm enim natura humana adeò corrupta sit, ut nullum scelus tam grande & nefandum existat, quin pertinax malitia illi committendo aliquando vigilet, experientia quoque docuit, infaustissima conjugia incestos parentes cum liberis contraxisse. Hujus actionis turpitudo quò magis in omnium oculis versetur, inventa est de castitate & pudore equi vel Cameli narratio, & commentitium factum egregio fine optimum mendacium dicimus: Aut si verè quandoque contigit, necessariò statuendum est, fortuitò evenisse, fortasse quòd equus

cum

tum temporis ad Veneris opus nullum sentiebat stimulum. Quippe quotidie videmus, illam aversationem non esse generalem, & non solùm equos, sed omnia alia animalia sine ullo necessitudinis discrimine indifferenter coire, cùm tamen in omni specie, si naturalis esset ille pudor, ejuscemodi fuga deberet occurrere. Verùm multa in ore vulgus volutantur, quæ intentiùs examinata ascititiam veritatem amittunt. Nemo ferè est ex plebe etiam, qui nesciat, quæ de continentissima turturum castitate communiter circumferuntur. Illos quippe dicunt socio conjugali orbos per omnem vitam ad secunda vota non transire, neque insidere virenti ramulo, sed cogente siti potaturi clarissimam aquam semper pedibus vel arena turbare, atque ita in singulis actionibus anterius gaudium in luctuosam mœstitiam vertere. Hæc quidem apud vulgus: at ego oculis meis vidi marem ex pare turturum cum suo pullo, quem non ita pridem cum conjuge excluserat, & educaverat, non solùm cupidissimè coiviſſe, sed & nata ex illo coitu ova genetrice calore maturasse, & relictâ priori sociâ nupsisse filiæ, ex eademque sæpiùs suscepisse ova & sobolem.

§. 13. *Iis præsertim, qui expressi.*] Hos enim ego solùm agnosco non etiam alios, qui obputativam rationis paritatem ab Hebræorum interpretibus additi sunt, de quibus deinceps agit Grotius. Hi enim magistri nulla legislatoria potestate prædíti neque jussa neque prohibitiones nobis præscribere possunt, & alias quoque omnis correctoriæ legis, quæ antea competentem libertatem restrin-

restringit, affectio est, ut quàm strictissimè accipiatur, neque etiam ob paritatis rationem extendatur ad casus similes. Illud tamen non nego, posse majestatem civilem ulteriores gradus prohibere, & quod honestas suadet, obligatoria virtute afficere. At nolo extra legem ejusmodi gradus *Lev. 18.* non nominatos comprehendere. Nam quod Dn. Zieglerus & alii de reductione graduum æqualium commentantur, ideo non admitto, quia ex personis quibusdam æquali gradu distantibus unam ducere possum, alteram non: nimirum ducere amitam agnatam vetitum est, at filiam fratris, qui par est gradus, licet in matrimonio habere.

Veteremfamam.] Malè hîc Dn. Ziegl. existimat, non famam tantùm esse, sed ipsam legem naturæ, interioribus cordis tabulis inscriptam. Confundit enim principia connata, quæ nos de lege naturali & moralitate docent, cum jure divino voluntario, quod omni generi humano datum est. Illa lex cordibus nostris est inscripta, hoc jus nequaquam, sed per continentem traditionem ejus notitia permanavit ad posteros.

Locutio universalis restringi.] Non videtur hoc series rerum & contextus verborum permittere. Quoniam consuetudinibus Cananæorum impiis generale subjicitur interdictum & sanctio. *Ziegl. h.*

Jacobipietas.] Vid Dn. *Ziegl. h.*

Factum Amrami.] Videndus iterum *Dn. Ziegl. h.*

§. 15. *Concubinatum quendam.]* Qui de concubinatu quærunt, an verum sit matrimoni-

um nec ne, dissentientes magis de verbo quàm re disputant. Nam qui affirmant, supponunt concubinatum non solius libidinis explendæ, sed & habendæ prolis causâ iniri, & sic esse secundum quoddam matrimonium, sed minùs solemne vel legitimum, & destitui effectibus quibusdam legis civilis. Qui negant, in concubinatu præter concumbendi & libidinẽ explendi propositum nihil ampliùs quærunt, quo profectò significatu scortatio magis erit quàm matrimonium, & omni tempore fomentum peccati nutritivum. Sed ita in legibus Romanis accipi non audeo dicere, cùm leges civiles ita semper sint interpretandæ, ut quàm minimùm abeant ab honestate. Potiùs itaque priori modo concubinatum tanquam secundum matrimonium explicarem, quàm posteriore.

§. 16. *Non ideo sequetur.]* Regulariter tamen statuendum est, leges prohibitivas actum contrarium irritum facere voluisse, nisi pœnam vel remedium rescissorium lex ipsa posuerit.

§. 17. *Pars major nomine universitatis.]* In causis religionis quod major pars decernit, reliquos quidem ad credendum non obligat, obniti tamen iidem nequeunt, quò minùs pluribus votis stetur, & secundùm numerum illorum informetur religio, quia nulla ratio est, cur minor numerus obtinere possit id, quod major non potest, nam utraque pars se fundat in veritate religionis, quam conservare studet, in eo autem magis pollet, qui votorum pluralitate vincit. *Conf. Ziegl. h.*

Pars major sequatur minorem.] In jure ci-

vili requiritur, ut duæ partes universitatis præsentes sint, quod jus naturæ ignorat. *Ziegl. h. Conf. Wes. ad tit. Quod cujusq; universi. nom.*

§. 19. *Illæ non item.*] Sed ex diversis sententiis, quotquot etiam sunt, quælibet votorum suorum numerum colligit, ut mihi otiosa DD. quæstio videatur, num pluralitas votorum intelligi debeat de majore parte habito respectu in idem suffragantium, an verò ratione totius collegii. Ponunt exemplum: ex viginti quatuor Senatoribus undecim affirmativæ, septem negativæ, sex inter utramque mediæ sententiæ neutri adstipulantur. Et dicunt respectum haberi ad totum collegium, ut ita undecim affirmantes non vincant, quoniam negantes & mediæ majori numero sint. Sed hoc contra naturâ societatis & votorum indolem est, quia enim semper major pars vincere debet, undecim profectò vincent, & duæ diversæ sententiæ non conjungi debent, sed quælibet separatim in suo numero æstimari. Ita si ex collegio quodâ viginti morte reum plecti velint, triginta relegari, quadraginta absolvi, postremi vincunt, nec relegantes atq; condemnantes contra absolventes conjungi possunt, quia sunt de rebus disparibus, quæ ad idem non convenit revocare. Nam ii, qui relegant, neq; absolvunt, neque ad mortem condemnant, & ad mortem condemnantes nó relegant, vincunt igitur absolventes.

§. 20. *Eorum jus accrescere præsentibus.*] Ut jam dixi, jus civile requirit duas universitatis partes præsentes, *l. 3. Quod cujusq; universi. nom.* sed naturaliter hoc non exigitur, verùm sufficit, si pars dimidia aut paulò major absente adsit.

Quid

Quid verò si pars collegii major absit, ita ut modò unus aut non adeò multi præsentes sint? Existimat Dn. Ziegl. extra specialem consuetudinem, si reliqui vocati sint in negotio non patiente dilationem, nec compareant, cæteris jus esse obligandi absentes, idque ex præsumpta ipsorum voluntate; quod & verum puto.

§. 22. *Si possessionum causa.*] Quod si non possessionum, sed συμμαχίας causa societas inita fuit, videtur nihilominus dicendum, ut qui plus virium possidet, plus etiam societati contribuat: & pro rato quoque ejus vota plus æstimentur, quàm illius, qui minùs.

§. 23. *Perfectissima est societas.*] Oritur enim plerunque ex hac consociatione civitas, omnium societatum perfectissima; Possunt tamen & Patresf. societatem aliquam sine civitatis constitutione inire, quando nimirum alicujus saltem certi negotii causâ coëunt, aut quando quidem indefinitè, quilibet autem paterf. jus suum integrum sibi retinere vult.

§. 24. *Ex necessitate finis, qui jus facit.*] Periculosissimum est hoc moralistarum enunciatum, finem in moralibus jus facere, &, si rectè examinetur, etiam falsum. Quis enim quæso est ille finis, qui jus aliquod tribuere potest. Omne jus finem aliquem certum intendere debet, quomodo ergo, inverso ordine, finis, qui nondum est, operari potest, & producere jus, quod finem illum intendit? Ita causa posterior esset effectu, & finis prior eo, quod illum consequi laborat. Equidem in thesi consentio, sed rationem probationis improbo. *Aliam dabimus in observ. seq.*

De singulorum discessione.] Sed neque singulos non impetrata à superiori venia de civitate discedere posse teneo contra Grotium cum Dn. Zieglero, quoniam civis majestati tam arcto nexu obligatus est, ut se nolenti subducere nequeat. Antea latissimè vidimus, quousque se imperium in personam subditi extendat, adeò ut & interiorem ejus voluntatem liget; quantò minùs civi licitum erit potestati se subducere, quàm semel consensu suo agnovit?

§. 26. *Quo filius, qui naturâ.]* Sed quemadmodum ætas vel tempus imperio paterno nihil detrahit, ita quoque is, qui se arrogandum dedit, ex consensu suo potestati semel approbatæ subesse debet, cujuscunque tandem sit ætatis, & res eodem se ferè modo habet, ac si liber quidam homo se civili potestati subjecisset, à qua deinde non exit, nisi eum imperans bonâ veniâ dimiserit.

Eo modo alteri dare non potest.] Quidni? præsertim si accedat filii puberis consensus. Quamvis & sine ejus consensu hoc parentem posse statuerem. Iterum hæc res non tam ex officio paterno quàm imperio in personam explicanda est, quod imperium adeò latè extenditur, ut etiam usque ad alienationem valeat, si specialiores inter Imperantem & subditum conventiones exercitium non impediant. Sic quilibet Rex, cujus actiones civiles mutuis pactis in regni initiis vel post non limitantur, facultatem habet imperii bona cum subditis transferre, idque vi sui imperii, quod cives ad obsequium obligat, & voluntati Regis conformes reddit. Imprimis autem

tem Politici hoc de eo imperante ſtatuunt, qui invitis ſubditis majeſtatem habet; Nam hunc & Grotius noſter imperium patrimoniale poſſidere aſſerit, id quod egregiè de Patref. dicitur, utpote qui in filium ſuam poteſtatem adipiſcitur ſtatim quum natus eſt, eo invito & neſciente, cujus virtute filium & oppignorare & vendere poteſt, quantò magis itaque alii dare in filium adoptandum, hoc modo, ut ipſe quidem ſuo imperio exuatur, alter verò eodem inveſtiatur, idque eò magis, quò honorabilior eſt conceſſio in filium, quàm venditio, quæ emptori in rem emptam dominium confert, & filium venditum emptoris ſervum facit, adoptatio verò filium f. cujus nomen nobilius eſt, licèt æqualia ſint imperia. Cæterùm illud libenter concedo, manere ſemper naturalem reverentiam & debitum cultum erga verum parentem.

§. 27. *Qua quis ſe dat.*] Liberum hominem nullius poteſtati ſubjectum ſe poſſe in ſervitutem alteri dare, bene hîc diſputat Ziegl. quoniam nihil morale huic actui obſtat, & quilibet facultatem habet ſecum ſtatuendi, quam vivendi conditionem eligere velit. Libertas in cujusque eſt arbitrio & poteſtate, & quamvis ſit bonum inæſtimabile, propterea tamen commerciis naturaliter non eximitur, neque ſervitus ſuis caret commodis, præſertim in illis hominibus, qui ob ſtupiditatem ingenii ſibi & ſuis rebus commodè vivere non poſſunt, ſed opus habent domino directore, quem tanquam artificem vitæ politioris ſequantur velut inſtrumentum.

Nihil habet in ſe nimiæ acerbitatis.] Rectè ſanè,

sanè, sed hoc sola alimentorum præstatione non absolvitur: ipsa servilis conditio non adeò misera est, ut plerunque existimatur, neque herile imperium dominis crudelitatem permittit. Nihil servi à subditis, quibus Imperans pro arbitrio & absolutè præest, differunt, quàm quod hos nobilissima societatum, i. e. civitas teneat, illos autem solum familia. Imperium quòd in utrosque idem est rigore atque efficacia. Potestas autem dominica quoniam est à Deo, neque injusta est, neque crudelis, sed regendæ familiæ accommodatur, ut civilis civitati. Scelesta est & semper à moratioribus improbata eorum opinio, qui virtutem dominici imperii ponunt in sævitia. Notandum tamen, cùm de conditione servili loquimur, nos abstrahere à Rep. Nam qui in illa servi sunt, viliorem sine dubio vitam agunt, cùm sint ferè servorum servi, i. e. subditorum, quos respectu imperantis rectè servos civiles dicere potes.

Suæ imbecillitatis conscii.] Hoc non solùm omnibus hominibus licet, sed & laudabile est, si alienæ potestati se subdant, quibus ingenium & dexteritas rebus agendis deest. At verò si nolint, sed libertatem, quam habent, eligant præ aliena tutela, hos tales nego ad servitium cogi rectè posse. Sicut suprà l. 1. contra Aristotel. differui.

§. 28. *Jus autem vitæ & necis.*] Rectè ad hunc locum de jure vitæ & necis Dn. Zieglerus disputat, illud sc. hactenus domino in servos competere, quatenus ille extra Remp. separatim habitat, & in quantum jus vitæ & necis significat

non

non promiſcuam libidinem occidendi vel torquendi ſervos, ſed legitimam poteſtatem delicta ſervorum dignis ſuppliciis expiandi; Hoc requirit familiarum ordo & neceſſitas, ne delicta maneant impunita. Suprà patri in liberos, marito in uxorem, hoc jus ivimus aſſertum, quantò magis itaque domino tribuendum eſt, qui etſi pleniorem non habeat poteſtatem, habet tamen rigidiorem, quando uxorem & liberos comis facilitas, ſervos autem herilis authoritas regit. Cæterùm quod ad hunc §. Grotius de jure vitæ & necis non concedendo notat, nobis adverſum non eſt, cùm ipſe illud accipiat in ſenſu, qui vitium involvit, ſc. *ſi dominus ſervum*, ut loquitur, *quacunq; de cauſa occidit*. Id quod & nobis non probatur, quibus ratum firmumque manet, *hominem jure non poſſe occidi, niſi capital commiſerit.*

Impropriè jus dicitur.] Exiſtimat *Dn. Ziegl. omninò jus aliquod fuiſſe, quandoquidem non tolerata tantùm, ſed permiſſa etiam fuerit talis in ſervos poteſtas. Ita ut perinde atque concubinatus haberetur in genere licitorum.* Verùm rectiùs ſentit Grotius, quoniam ad omnem legem ſive jus, quod fert majeſtas in civitate, neceſſariò requiritur, ut ſit juſtum & æquum, neque impingat in jus naturale, gentium vel divinum. Injuſta enim lex legis nomen non meretur, quia eſſentiale legis requiſitum non habet, ſc. obligationem. Quodcunque injuſtè præcipitur, id neminem obligat, neque tenentur cives Principum vitiis miniſtrum exhibere obſequium; quod neminem obligat, id lex dici non debet, quia legis eſſen

essentia in obligatione consistit. Utcunque igitur in Rep. quadam inordinata & promiscua dominis in servos crudelitas cædesque permissæ sint, neque tamen propterea talis permissio lex erit, quia vitium morale continet, neque domini sine peccato inofficioso legis indultu uti possunt. Multa interdum in civitate permittuntur, quæ neque conscientiam salvant, neque juris sunt. Impunitas tamen facinoris in foro externo ideo est, quod actus processerat ex voluntate superioris, quem punire, nisi sublata legis iniquitate, esset absurdissimum.

§. 29. *Quod tamen jure naturali.*] Sed nec eidem repugnat. Genuina verò ratio & planè civilis, quòd partus in servo sequatur matrem, quia servus vel serva dominis acquirunt, quodcunque operis vel fructuum fecere. At verò partus servilis rectè in fructu computatur. Licèt enim jus Romanum ob hominis præstantiam partus ancillarum in fructu esse noluerit, scilicet ut fructus usumfructum notat, à lege informatum, fructus tamen vocabulo paulò latiùs accepto eodem jure in fructu partus esse dicitur, & secundùm naturalem vocabuli indolem rectissimè dici potest. Sequitur itaque partus matris conditionem, ut ejusdem fructus, qui spectat ad dominum, eadem planè ratione, quâ partus quadrupedum non sequitur patris, sed matris dominium. Ex quo consequenter altera Grotii opinio rejicitur, tum demum partum servilem servilis quoque fore conditionis, quando ob inopiam parentum dominus eidem tenetur præstare alimenta, quorum respectu postea serviat. Verùm

rùm indifferenter ſtatuendum eſt, naſcentem ſobolem ſub dominio patris f. naſci, quia melioris ſtatus, quàm mater, eſſe nequit. Mater verò ſerva eſt, quare & infans ex illa natus, idque videmus evenire in omni ſocietate; Natus ex cive majeſtatem colit, & filius ex uxore patris imperium. Sic & ſervus ex ancilla natus fit domini mancipium. Neque pretii alimentorum refuſione exibit poteſtate, nam libertas invito domino pretio nunquam redimitur. Conditio itaque ſervilis matris eſt cauſa adæquata, cur partus in ſervitute naſcatur. Alias, quas DD. tradunt, omnes ferè nullius momenti ſunt. Ex quibus tres videſis apud Dn. Ziegl ad h. l.

Fugâ conſulere ſibi poſſe.] Sententia hæc adeò probabilis mihi non eſt, imprimis quando ſervus juſto titulo in ſervitute eſt. Imperium enim herile, quo ſervus obligatur, eum omni hora retrahit, & vitioſam fugam facit, quæ contra voluntatem domini ſuſcepta eſt, niſi fortaſſis immanis ſævitia certiſſimam ſervi mortem deſtinaverit, quo caſu videtur dominus ſervum ſuo exemiſſe imperio, cùm non poſſint invicem ſtare imperium & cædes ſubditi. *Vid. quæ not. Grot. ad lib. 1. c. 4. theſ. 11. & nos ibid.* Aliis caſibus quando crudelitas domini magis in corpus, quàm vitam ſervi fertur, fugam non concederem, quia Petrus (*a*) ſervos ſubditos dominis facit non tantùm bonis & modeſtis, ſed & injurioſis. *Hæc enim*, inquit, *eſt gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens injuſtè. Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes & colophizati ſuffertis?* Quomodo itaque

Hh 5

(*a*) 1. Epiſt. 2, 19.

itaque fugere licebit servo propter domini sævitiam, qui eam jubetur pati & ferre? Quid tamen, si servus à domino in eas angustias sit detrusus, ut illi fuga non ampliùs pateat, & jam jam velut hostia iræ dominicæ mactanda sit, num poterit uti moderamine inculpatæ tutelæ; & per mortem heri vitæ suæ consulere? Distinguendum esse existimo, utrum servus subsit domino, qui in civitate vivit, an ei, qui nemini est subjectus. Illius potestatem majestas civilis in multis, præcipuè autem criminalibus, limitavit, & ad se traxit, ut dominus servum ne justis quidem de causis possit occidere, quantò minùs insontem plusquam scytica feritate trucidare. Quare servus contra dominum ut quemvis alium vitam suam omnibus modis licitis tutari potest, neque dominus imperium herile rectè allegare, quod in hoc casu majestas sibi applicuit. Secus se res habet in patref, qui nullius imperio subest. Hîc enim cum Imperante in civitate convenit, quem sicut sine læsione divinæ majestatis non licet interficere, quin potiùs subditus obligatus est pro Principe etiam crudeli, exponere vitam; Ita quoque servus domino non debet resistere, qui in illum plenissimam nec ullis terminis restrictam potestatem exercet, quæ potestas non minùs à Deo est, quàm ipsius Principis, & nisi Deum velis gravissimè offendere, nullo prætextu eam lædere potes.

§. 30. *Ejus, qui altero parente.*] Sequitur & hic partus conditionem matris, licèt pater liber fuerit.

§. 32. *Hoc interest.*] Imò verò non interest. Sicut enim illi, qui sui juris, in civile obsequium

cogun-

Digitized by Google

coguntur, ſobolem ſuam eidem poteſtati ſubjiciunt, ita etiam natus ex ſerva imperio herili tenetur. Planè hîc politè & neſcio an ullibi meliùs Dn. Zieglerus ſentit, cùm ait: *Si fœmina in ſervitutem redacta fuerit, non poſſe liberum eſſe, qui ex ea naſcitur. Quanquam enim pœna ſuos teneat authores, ſervitutem tamen, quæ infantis eſt, non ex pœnâ, infanti infligenda, ſed ex naturæ neceſſitate proficiſci.*

CAPUT VI.

DE ACQUISITIONE DERIVATIVA FACTO HOMINIS. UBI DE ALIENATIONE IMPERII ET RERUM IMPERII.

§. 3.

Ita & imperia alienari poſſunt.] Arduum, me Hercules, eſt hoc argumentum, ac neſcio an ullum aliud, quod majore difficultate ac ſyrtibus ſcateat. Quod ſi enim Principi alienandi licentiam demimus, majeſtas præcipua ſua virtute ſpoliabitur, nec omnia Princeps poterit in Cives, utpote qui eos non poteſt alienare. Si verò concedimus, invitis ſubditis agnaſcetur dominus; Maximum verò imprimis oritur dubium, quando regnum electitium aut etiam limitatum in quæſtionem venit. Nam hæc regna videtur Princeps habere ſubditorum voluntate ac beneficio, quibus proinde tenetur ad adminiſtrandam juſtitiam in ſuo individuo, non in extraneo ſurrogando. Et quid ſi expreſſis pactis conventum

ne liceat superiori alienare imperium? Ex altera interim parte majestas & summa ejus efficacia obstat, quæ sola omnia in civitate posse debet, & cujus actus propterea non statim sunt irriti, qui contra conventa pacta fiunt, sed nihilominus subsistunt, licèt Principem contravenientem reum faciant perfidiæ. Auget confusissimas ambages periculosissima Grotii locutio de modo habendi imperia jure proprietatis vel usus f. quorum vocabulorum ad jus civile pertinentium in hac materia scopulos & offendicula in *l. 1. c. 3.* satis denudavimus. Quid igitur consilii? & unde normam quandam habebimus, ad quam alienationis validitas judicari debeat? Mallem equidem hîc ἐπέχειν, quàm noviore paulò sententia irritare crabrones. Verùm hoc propositum meum non admittit, cui in explicatione juris naturalis & gentium juxta ductum & ordinem Grotii occupato nobilissimam hanc partem intactam relinquere non convenit. Agedum igitur sepositò omni respectu animi nostri sensus explicabimus, cuique liberum in nostra relinquentes arbitrium, imò cupidissimè cessuri, si quis nos meliora docuerit: adeò quidem, ut veritatis gratiâ, cum Aristotele etiam hæc ipsa deleturi simus. Non agimus dictatoria authoritate, sed Philosophicis rationibus, in quo certamine nemini vitio vertendum est, si dissenserit ab alio. Principio autem de alienatione imperii, quæ volentibus fit subditis, securi sumus, ut cui nulla ratio obest, quin valeat: At de ea, quæ iisdem fit nolentibus, hæc tria potissimùm in dubium venire possunt. *Utrum & cui, & in quantum Principi liceat alie-*

alienare regnum & ejus bona? Quod primum concernit membrum, neminem quidem negaturum credo, dari Reges tam ampla poteſtate pollentes, ut & alienationem comprehendat. Imò poſſe populum hujus negotii pleniſſimum arbitrium in ſolum Principem conferre, nihil eſt, quod nos dubitare faciat. Major itaque & utilior etiam inſpectio eſt, quis nam ille Princeps cenſendus ſit, ad quem ſpectet alienatio? Equidem iterum nulla eſt difficultas, ubi expreſſis conventis alienatio regimine civili incluſa eſt. Sed hoc caſu totum negotium non abſolvitur, quoniam etiam ex natura rei & operoſa majeſtatis virtute talis facultas competere poteſt. Quam ut eò feliciùs indagemus, ante omnia repetendum venit, quod in *d. c. 3. l. 1.* de modo habendi majeſtatem diximus. Hic enim modus eſt unica & certiſſima regula metiendi jus ſuperioris circa actum alienationis. Habetur autem majeſtas vel abſolutè vel limitatè; Abſolutum regimen iterum ſuos habet gradus, per quos unum altero habetur abſolutiùs vel minùs. Abſolutiſſimum eſt, quod non ſolùm liberrimum jurium majeſtaticorum largitur exercitium, tam quoad imperium in perſonas, quàm frequentiſſimum in bona ſubditorum dominii eminentis uſum. Sed & diſpoſitionem de futuro ſucceſſore aliamque quamlibet imperii alienationem. Hujus regiminis præcipua nota eſt, dominii eminentis frequens uſus, privatis ferè præter poſſeſſionem & precariam utilitatem in bonis nullo alio jure relicto. Proximum huic eſt gubernationis genus, quod in omnibus æquali tenore & libertate procedit,

præter-

præterquam quod Rex in exercitio dominii eminentis non adeò gravis incumbat subditis, sed cuilibet mansura dominia relinquat extra casum necessitatis. Jus interim alienationis possidet. Tertium vocatur electitium, quod absolutissimo quidem majestatis exercitio procedit, dispositio interim de successore ad populum pertinet. Habet & limitatum regnum suos ordines, eosque pro diversitate pactorum in qualibet Rep. varios, revocabiles tamen ad duos generalissimos. Aut enim soli Principi relinquitur imperium certis legibus determinatum, aut subditi vocantur in consortium regiminis. Nunc quod oportet, dissertata applicemus præsenti instituto. De primo & secundo genere absoluti imperii nulla est difficultas, quia actus alienationis ibidem ex natura rei continetur. De tertio electitio imprimis videndum, quod duplici modo considerari potest. Vel enim aliquis in regem electus est simpliciter, nullisque invicem conditionibus intercedentibus; vel expresso pacto, ne liceat Regi prospicere de futuro successore, sed ut talis cura post mortem Regis populi sit. Priori casu jus alienandi imperium simul spectare ad Regem existimo, non quidem ex præsumpta voluntate populi, sed ex natura & efficaci Majestatis indole: quæ omnia in Civitate & Civitatem posse debet, nisi quatenus in actu secundo limitatur. Ex quo ego generalissimè inferrem, *in quacunq; Rep. Regi, qui verè Rex est, expressa conventione jus alienandi non est ademptum, in illa eadem hoc competere:* quoniam alienatio est quidam actus majestatis, quem subditi ex postfacto non possunt impedire, quia

se

ſe paſſivè ad actiones imperantis habent. Nequo ad rem facit præſumpta civium voluntas de hoc jure non concedendo ; quia facultas alienandi non ineſt Regi ex voluntate populi, ſed quoniam majeſtatem habet, inter cujus operationes non minima eſt hoc jus. Majeſtas autem immediatè à Deo non populo, Regi conceſſa eſt, quare omnes ejus effectꝰ ſimul à Deo dependent, ut nihil hîc tacita voluntas populi facere poſſit, ubi populus nihil dedit. Poteſt tamen interim actus majeſtatis ſecundos pactis adjectis ſuſpendere, ſed niſi illud expreſsè factum ſit, non debere tacitè præſumi contendo. Quod ſi itaque populo ſponſionibus de non alienando imperio convenit cum Rege, ulteriùs ardua eſt quæſtio, ſi Rex contra ejusmodi conventa peccet, & fidei oblitus nihilominus in extraneum alienare imperium velit, an actus pactis prioribus contrarius nullus ſit, an verò valeat? Facilè concedimus, Regem contravenientem graviſſimè delinquere in Deum, à quo perfidiæ omnis ultore certiſſimas pœnas expectabit: ſed interim alterius eſt quæſtionis, num & actus ipſe nullus ſit. Suprà cùm de actibus Regum, qui contra pacta conventa fiunt, in genere diſſeruimus, in ea fuimus & adhuc ſumus opinione, illos nihilominus ſubſiſtere, & operoſam majeſtatis vim obſequium poſtulare etiam in iis, quæ Regum promiſſa impetunt. Verùm enim verò, niſi fallor, ob ſingularem quandam conditionem excipiendus eſt caſus, de quo jam quærimus. In aliis enim cùm Rex, qui adverſus pacta agit, Rex eſſe non deſinat, majeſtatis præſentia poſtulat ſubditorum obſequium. At quando

Prin-

Princeps vult imperium & populum alienare, de quo, ne alienet, antea mutuis conventionibus placitum erat, actus ideo redditur nullus, quoniam alienatio infert eodem momento majestatis abdicationem, quâ amissâ populus est liber, nec tenetur prætensæ Regis alienationi stare, quoniam legitimam alienandi facultatem in actu secundo non habuit, attentatæ autem injuriâ propterea nequeat inhærere, quòd per alienationem amiserit imperium, populusque ex inde in naturali libertate constituatur ad eligendum quodlibet regiminis genus. *Conf. quæ dix. ad §. 10. l. 1. c. 4.* Eodem planè judicio in limitato regno utendum; Nam quod non est limitatum, illud ad arbitrium Regis pertinet, quare utcunque in aliis articulis restricta fuerit summa potestas, si tamen facultas alienandi iisdem non sit comprehensa, tunc apud Regem integra est. Restat membrum ultimum, quousque se extendat potestas alienandi? Respondeo, nisi partes quædam exceptæ sint, totum comprehendere, quia nulla ratioest, cur, cujus quamlibet partem rectè alienare licet, totum non liceat alienare. Atque ex his, quæ hactenus à nobis dicta sunt, affunditur lux quæstioni, quam DD. multa contentione agitant, licueritne Constantino M. Pontifici Romano donare terras Imperii, quas hodie patrimonium S. Petri vocant? Plerique DD. id negant, quia Imperator non debet minuere Imperium, sed augere, unde & nominatur Augustus. *Vid. Ludvv Dissert. Justin. disp. 1. thes. 1. & Reinking. de Regim. Secul. & Eccl. l. 2. 8. n. 45. &c.* Sed confundunt, quæ sunt consilii, &

quæ

quæ juris. Equidem gubernatricis prudentiæ eſt, inofficioſis donationibus opes & divitias regni non infirmare; Ubi autem hoc factum, an actus ſubſiſtat, aliter quæritur. Et in donatione Conſtantini ante omnia videndum, quæ fuerit illius Imperatoris poteſtas circa Remp. an illimitato regimine omnia adminiſtraverit, an verò leges, ut vocant, fundamentales, modum dederint libertati regiæ? & in ſpecie etiam, num de non alienandis Imperii terris populus Romanus aliquid ſibi ſtipulatus ſit, aut Imperator promiſerit? Si hiſtorias illorum temporum accuratè evolvimus, nullâ operâ inveniemus, non ſolùm Conſtantinum M. ſed & tam anteriores quàm eum ſecutos Imperatores abſolutiſſimo Imperio Reip. præfuiſſe; Notavit jam Tiberii tempore multis locis Tacitus, Senatui nihil præter inanem poteſtatis alicujus imaginem ab Auguſtis relictam fuiſſe, veram autem civitatis potentiam ſibi Imperatores aſſeruiſſe: Quod deinde continuatum per multa admodùm ſecula, donec Imperium Romanum ad Germanos translatum ſucceſſu temporis ab hæreditario in electitium ab indefinito in limitatum migravit. Conſtantinus itaque, qui liberrima poteſtate Remp. adminiſtrabat, jus & facultatem habuit alienandi partem Imperii non ſolùm donationis ſed & quocunque alio titulo dominii translativo.

Alioquin à populo.] Hæc & quæ ſequuntur in toto capitulo omnia examinanda ſunt juxta fundamenta & normam modus habendi majeſtatem, de quo diximus: ita ut omiſſa in ſequentibus repetitio nihil contra nos Grotio largiri debeat.

Digitized by Google

§. 4. *Insuper requiritur.*] Imò sufficit nuda Regis voluntas, nisi aliud actum sit.

§. 9. *Sed nec pignori.*] Quæ de alienatione sentimus, rectè etiam extendimus ad infeudationem & constitutionem pignoris.

Quòd & Rex teneatur populo.] Quamdiu sc. Rex est. Aliàs sequeretur, ne quidem imperium patrimoniale, ut vocat Grotius, Regem rectè alienaturum.

Populus partibus suis.] Non tam tenetur populus partibus ad conservandum exercitium summi imperii, quàm ipsi Regi. Quare contra ejus voluntatem nihil facere debet. Omnes cives pro superioris vita & salute excubare, imò se extremis periculis exponere decet, & in omnibus, quæ moraliter mala non sunt, jussum regium sequi. Tantum abest, ut teneantur contra Regem partes suas integrantes tueri.

§. 10. *Inconsulto verò populo Rex id non potest.*] Admodùm injuriosus est Grotius in summas potestates hoc capite. Quæso enim cur populo, qui omni potestate destituitur, damus agendi licentiam, quam Regibus summo imperio instructis negamus? Nec officit, quòd ejusmodi functionum civilium concessiones à Regis latere perpetuæ esse nequeant, quia ad actus validitatem temporis diuturnitas nihil confert. Egregiè hîc *Dn. Ziegl.* ait. *Imò obstat, quòd Magistratuum constitutio sit præcipua pars majestatis. Ubi ergo majestas est penes unum aut plures, non potest populus, cui obsequendi gloria relicta est, eam sibi amplius vindicare potestatem. Et imò interest ejus, qui τὸ νέον habet, ad regimen suum confor-*

conformari Magistratus subordinatos, quomodo igitur inconsulto Principe poterit populus hereditario jure ejusmodi functiones concedere?

§. 11. *Quia, quod meum non est.*] Sed cui bono dominium illud in territorium, si bona & opes Imperii non sunt Regis ? In omnia, quæcunque subditi habent, vel possident, eminentius jus Principi competit, & certo respectu omnia Regis sunt, licèt singuli sua habeant, scilicet cives communi dominio res tenent, quæ ad Principem eminentiori spectant : ideoque dilutè & veteratoriè patrimonium populi vocatur, cujus fructus destinati sunt ad sustentanda Reip. aut regiæ dignitatis onera. Potiùs enim est patrimonium Regis quàm populi : potiùs imperii quàm singulorum.

§. 12. *Ipsa res, quas fecit alluvio, in fructu.*] Verùm quamprimum actu adjectæ, nobisque quæsitæ sunt, cur non sint in patrimonio quid obstet, non video. Est enim in nostro patrimonio, quod ad nos ratione dominii aut alius cujusdam juris pertinet. Res autem alluvione adjectæ in dominio nostro esse incipiunt, & propterea etiam in patrimonio. Idem dicerem de pecunia, quæ ex vectigalibus colligitur. Equidem respectu juris colligendi vectigalia ipsa collectio est in fructu. Pecunia tamen ex collectione quæsita etiam in patrimonio.

§. 13. *Pignoris jure.*] Imò non pignus, sed dominium Principi in res populi competit.

§. 14. *Alienatio autem.*] Ipsa testamenti factio vera alienatio non potest dici, quia testamentum ante mortem nullas vires habet, imò ne

testamentum quidem propriè dicitur, cùm testamentum sit de hæreditate, hæreditas autem non nisi mortui. Et falsum est, quod dicit Grotius, jus tantum possidendi & fruendi facto testamento testatorem retinere; Quin potiùs apud ipsum verum manet dominium, nullo in alium ante mortem jure translato, idque vel exinde satis colligitur, quia testator testamentum suum toties, quoties vult, mutare, alium hæredem scribere aut planè intestatus decedere potest.

CAPUT VII.

DE ACQUISITIONE DERIVATIVA, QUÆ FIT PER LEGEM. UBI DE SUCCESSIONIBUS ABINTESTATO.

§. 2.

C *Essare legem de judiciis.*] Sed fortassis, ubi judicia sunt instituta, hoc locum habere non potest. Quod si enim, qui sibi ipsi violentum jus dicit, de vi accusaretur apud judicem, quomodo justitiam actus sive expletionem juris defendet, cùm omnis deficiat probatio, ut supponit Grotius? Equidem præsumeretur injuriâ id feciſſe, & pœnam, quæ ordinis publici violatoribus debetur, non evitaret. Quod si adest probatio juris competentis, jam ipse Grotius fatetur, oportere adiri judicem. Ac profectò nescio an noster author sibi alio loco admodùm non sit adversus, quando in *c. 23. h. libr. 2. §. 11.* scribit: *Ab eo, qui justam causam habere se scit, sed documenta*

menta non habet sufficientia, quibus possessorem de injustitia suæ possessionis convincat, bellum licitè non sumi, quia non habet jus cogendi alterum, ut de possessione decedat. Nam si in casu deficientium probationum bellum ad recuperandam ab injusto possessore rem licitè non geritur, multò minùs res aliena domino eripienda erit, ut loco debitæ sit, si debitam probare planè nequeat, cùm majus jus aliquis in rem suam ab alio injustè detentam habeat, quàm in alienam, quam sibi vult acquirere vice debiti, quod tamen ad liquidum non potest deducere.

§. 4. *Debitum illo sensu laxiore.*] Deberi alimonia liberis à parentibus sic, ut illi habeant facultatem moralem ista exigendi tanquam jus proprium, (id quod verè justitiæ expletricis est) durum dictu videtur, & tamen arctior hîc obligatio intercedit, quàm ut sola aptitudine seu ἀξιώσει (qui est character justitiæ attributricis) absolvatur. Quid igitur dicendum? Dn. Zieglerus ad h. l. non ex honestate tantùm, sed ex ipsa quoque necessitate naturæ alimonia deberi statuit. Verùm statim dilabitur ad alia, neque satis explicat, quid per necessitatem naturæ intellectum velit. Potest enim aliquid necessitate naturæ deberi, quod non continuò debetur justitia expletrice. Ut fatear, quod sentio, magis hîc inclino ad justitiam strictè sumptam, eamque præcipuè ob rationem, quoniam per actum generationis se parentes quodammodo videntur liberis tacitè obligare ad alimonia præstanda eousque, donec ipsi sibi de illis prospicere possunt. Quorsum enim quæso juvaret generare liberos,

nisi in lucem editos velis etiam nutrire atque educare? Et me non moratur, quod objici posset, cùm de tacito alicujus ad se obligandum consensu quæritur, eum non facilè præsumendum esse in præjudicium illius, qui consensisse censetur. Quoniam hoc sub exceptione verum est, nisi actus quidam sint consensus necessariò illativi, qualis est & actus generationis. In quo sensu rectissimè quoque cætera accipies, quæ de naturali instinctu & debito naturæ apud Grotium nostrum sequuntur.

Naturalem & socialem.] Rectissimè hæc verba explicat Dominus Zieglerus tam de educatione, quam exigit natura, ut cibo, potu, vestitu, &c. quàm quæ societas civilis. Quò spectat bona institutio ad humanitatem & conversationem.

Ad jus naturale referunt, i.e. ad illud.] Imò verò ad jus naturale etiam verum, quatenus is juri naturæ adversatur, qui alimonia soboli negando illam fame contabescere patitur.

Et quanquam ex damnato.] His jus nostrum civile alimenta præberi prohibet, crudeli admodùm imperio, nisi indifferens legis tenor mitiora invenisset ingenia. Verùm plerique interpretes hoc admittunt eatenus, ut ipsi parentes arceantur ab educatione liberorum suorum, idque quidem meritò, dum vetantur naturæ munia illis præstare, quibus natura præstari jubet. Alios interim, imprimis verò Magistratus, quò minùs curam recens natorum suscipiant, non arceri. Cùm infantes in nullo hæreant crimine, quod parentes peccaverint. Quod si enim

nullius

nullius misericordiæ, omnium verò crudelitati paterent, equidem non haberem, quo velamento tegerem juris injustitiam, quæ plecteret delicta nocentium in innocentibus. *Conf. Ludvv. ad Inst. l. 3. tit. 13.*

§. 5. *Debentur quidem.]* Eamque obligationem ex eadem justitia expletrice ac jure naturæ descendere puto. Tum propter similem correlatorum naturam, tum propter νόμον πιλαργυικὸν. Ut rectè *Dn. Ziegl.*

§. 6. *Avi aviæq.]* Fortasse hoc illo solùm casu verum est, quando pater avi potestate exiit. At ubi eædem adhuc subest, cùm nihil proprii habere possit, morali necessitate alimentorum præstatio atque educatio nepotis spectat ad avum, qui etiam similiter omni familiæ de victu & amictu debet prospicere.

§. 7. *Nisi in diversum indicia.]* *Conf. Vult. 2. de Feud. 3. n. 21. &c.*

Ei, qui mortem peccatis suis.] Non video, quomodo hoc possit actu obtinere. Præstationem alimentorum ex necessitate obligationis provenientem ulteriùs non porrigendam existimamus, quàm impotentia naturalis alimenta sibi comparandi suadet. Adulto autem, quique sacris paternis ampliùs non subest, ideo denegamus, quia jam à parente modum ac artem aliquam sibi consulendi, (utpote quæ sub alimentatione comprehenduntur) accepit, ut non sit opus indulgere ignaviæ; Jam infans, cui debentur alimenta, nihil potest peccare, quod mortem vel abdicationem mereatur. Adolescenti autem doli capaci, & ob delictum familiâ ejecto,

ideo alimenta præstare non convenit, quia hæc sibi ipsi comparare valet.

§. 8. *Naturaliter is partus.]* Rectè. Neque enim illud Struvio concedendum est, sepositâ lege civili naturaliter magis succedere natos ex legitimis nuptiis, quàm naturales. Statuimus potiùs cum *Arcedura Conclus. Feud. cap. 2 concl. 7. n. 16.* Jus naturæ non distinguere inter legitimum & non legitimum, sicque eo jure pariter utrisque successionē deberi. Quod verissimum sanè assertum frustra Struvius refutare nititur, dicendo: *non videri simpliciter concedendum, jure naturæ inter legitimum & non legitimum non esse differentiam.* Quare autem hoc concedendum non sit, non explicat. Sed si modò paulò attentiùs considerasset nomen legitimi, & vocabuli originem, fortasse nihil à nobis statuisset diversum. Scilicet leges particulares, quælibet ad suæ civitatis instituta & genium inventæ, & inter has præcipuè jus Romanum hoc vocabulum juri naturali incognitum, (ut sc. capitur in hac materiâ, & contrà distinguitur aliis liberis, non ex adeò justis nuptiis natis) produxere. Quippe naturaliter & ante specialiores legumlatorum curas matrimonii essentialia sunt, ut vir & fœmina habilis ætatis consensu connubili illud contrahant. Neque quicquam enim ulteriùs ad nuptias celebrandas requiritur. Supervenit jam legislator, & illas angustioribus terminis circumscripsit. Et primò quidem ante omnes optimum Numen, postquam genus humanum paulò ampliatum erat, lege omnes homines obligatura cavit, ne quædam personæ, nimia sibi invicem con-

consanguinitate conjunctæ vinculo illo copularentur. Hoc interdictum, quia universos tangit, rectè nunc quis etiam ad necessaria matrimonii requisita retulerit: Cæterùm alii Legumlatores, náque homines ulteriùs progressi sunt, & Civibus suis tempus determinarunt, & quasdam personas ex causis civilibus prohibuerunt, ne conjungantur, quas aliæ Civitates nullo pudore admittere potuerunt. Ita Romani justam ætatem ad connubialia ineunda duxere in maribus annos 14. in fœminis 12. De hac determinatione & planè jus naturæ & Deus in generali sua sanctione tacuit. Item prohibitum est eodem jure, ne tutor pupillam, Præses provincialé, senator libertam, liber servam, & cætera, uxorem haberet. Moribus nostris deinde accessit benedictio sacerdotalis aliiqúe ritus. Qui contra fecerit, ejus nuptiæ pronunciantur injustæ, & nati inde liberi dicuntur illegitimi & naturales, neque dos neque donatio propter nuptias intelligitur, quin liberi comparantur spuriis, quos mater vulgò concepit, neque etiam in potestate patris sunt, ut ex §. *pen. I. de nupt.* videre est. Hæc inquam ita apud Romanos. Cæterùm si aliæ gentes, quibus leges dare Romani non poterant, aliter fecissent, justi fuissent liberi, neque ulla distinctio inter naturales solùm & legitimos quærenda extra jus Romanum: ut non nisi impertinenter quæstio de liberis legitimis & naturalibus tantùm secundùm jus naturæ esse possit, quo jure hæc differentia planè nulla est & incognita. Quod si verò aliquis ulteriùs progredi & natos ex incesto coitu velit illegitimos vocare, hactenus quidem aliquid largiri

giri posſem, sed non videtur mihi Struvius tam strictè hoc vocaculum sumpsisse.

Matrimonium ad Morgengabicam.] Vid. Ziegl. h. variè enim hoc nomen usurpatur. Hîc intelligit Grotius, cùm secundas nuptias contrahentes inter se conveniunt, ut liberi ex altero matrimoninio nati certa bonorum parte contenti cum prioribus per concursum hæreditatem non cernant. Quale pactum præcipuè in illustribus familiis frequens est, magnificum familiæ decus per opum potentiæque unionem conservans.

§. 9. *Nobis omnino distinguendum videtur.]* Sed nobis hæc distinctio inter bona paterna avitaque & noviter quæsita ideo non probatur, quoniam utraque in pleno dominio defuncti extiterunt, & per successionem deinde ab intestato aliis deferuntur, non tam ex jure in iis quæsito, quàm tacita defuncti possessoris voluntate, quæ voluntas non ex rerum originaria acquisitione, sed caritate & affectu colligit debet. Nam & in bonis noviter quæsitis possunt quædam venire titulo lucrativo, ex donato vel legato, quæ post mortem domini ob necessarium referendæ gratiæ officium ad donantem vel legantis liberos venire oporteret, id quod nec Grotius asseverat. Nulla tamen differentiæ ratio inveniri potest, cur bona, quæ ab ascendentibus venerunt ad eosdem remunerationis causâ redire debeant, non verò ea, quæ venerunt ab extraneis, cùm utrobique par referendæ gratiæ ratio sit, & non minùs donator donatarium ad ἀντίδωρα obligaverit, quod quidem ipsum donationis actum attinet, quàm parens.

rens. Imò ille eò magis, quia parentes naturalis amor jubet, ut liberis ſuis conſulant, extraneum verò vel amicitiæ ſaltem vel alia quædam non neceſſaria ratio ad liberalitatem impulit. Quamobrem ſapienter admodùm obſervavit Dn. Zegl. niſi ad beneficii materiam vel naturalis ratio vel aliud quid, ex quo præſumptivè de voluntate defuncti conſtare poſſit, acceſſerit, non videri eam ſufficientem transferendæ hæreditatis rationem. Sed ne ordinem ſuccedendi, quem nos ante leges civiles naturali rationi maximè conſentaneum exiſtimamus, ſicco prætereamus pede, ſubſtituamus quendam ad modum præſumptæ voluntatis omninò congruentem; Ideoque fundamenti loco illud rurſus repetiiſſe liceat, naturaliter deferri hæreditatem ab inteſtato illis, quibus præſumitur defunctus ſua bona maluiſſe relinquere. Ex his primò omnium ordine collocandi ſunt liberi, nepotes & ulteriores deſcendentes. Nec enim major ac vehementior amor eſt, quàm parentum in ſobolem, adeò ut ſalutem fortunasque liberorum ſuis propriis ſæpiſſimè anteponant, unde ab Euripide non malè dictum, cunctis hominibus liberos vitam alteram eſſe. Quod autem deſcendentes anteponamus aſcendentibus, ratio ex voluntate parentum, qui deſcendentibus magis quàm aſcendentibus conſultum volunt, ſatis perſpicua eſt, quam egregiè confirmat Lucianus, dum ait, καὶ τοιγε ἡ Φύσις τοῖς πατράσι τὰς παῖδας μᾶλλον, ἢ τοῖς παισὶ τὰς πατέρας ἠνάγκασε φιλεῖν. Cum quo optimè conſentit Ariſtoteles, Philoſophorum Princeps, inquiens. μᾶλλον συνῳκείωται τὰ ἀφ' ἑαυτῷ γινόμενα, ἢ τὸ γεννῆσαν μέρος

μᾶλλον τῶ ποιήσαντι. τὸ γὰρ ἐξ αὐτοῦ οἰκειότατον τῶ ἀφ' ἑαυτοῦ.
Atque ita jus civile, & omnium, quos novi, gentium mores, illud naturale institutum egregia sapientia suis legibus confirmavere. Deficiente descendentiũ linea hæreditas devolvitur ad parentes. Hos enim ideo fratribus prælatos volo, quia amor liberorum erga parentes major esse præsumitur, quàm qui fratres afficit. Nam, quòd vivimus, beneficio parentum habemus, quibus & alimenta, educationem & natales nostros debemus. Excluderem igitur fratres à secundo ordine, quamdiu primi gradus parentes adfuerint, quoniam principium, à quo quis est, magis diligitur, quàm illud, quod est ab eodem principio. Quod ex parte etiam jus civile observavit, & cum parentibus solùm fratres & sorores germanos admittit, consanguineos autem & uterinos excludit, ut notissimum est *ex Nov. 118.* Ulteriores graduum prærogativas itidem ex præsumpta voluntate desumuntur, quæ colligitur ex eodem benevolo affectu, qui hos magis quàm illos prælatos cupit. Carissimus autem in his ordinibus semper is præsumitur, qui est gradu proximus; Qua ratione in successione conjungerem avum & fratres. Proavum & Patruum cum fratrum liberis. Abavum, patruum magnum, patrueles atque fratrum nepotes. Et sic deinceps. Duo tamen hîc observanda veniunt; Primò quòd avum fratri conjungimus, ratio ea est, quia pari gradu sunt, & idcirco par etiam benevolentia defuncti in utrosque præsumitur. Neque quisquam rectè replicaverit, avum ideo fore vehementiore amore prosequendum, quia quodammodo sit

causa

cauſa noſtri, dum eſt cauſa patris. Nam hoc non ita verum, ut in parente primi gradus, qui per ſe cauſa liberorum proxima eſt, avus verò non niſi mediata & ſaltem per accidens; Scilicet ut ſim, neceſſariò hoc ex parente habeo: at illud per accidens, quòd & pater meus habeat parentem, licèt reſpectu patris etiam neceſſariò ſit. Quam in rem paulò antè Simoncellam allegavimus, aſſerentem ob eandem rationem, jure naturæ conjugia deſcendentium & aſcendentium non niſi in primo gradu prohibita eſſe. Alterũ nota dignum eſt, ante leges civiles repræſentationem præterquam in linea deſcendente nullam eſſe, utpote cùm extra hanc voluntas defuncti ultima circa ſua bona ſimpliciter ex proximitate graduum deſumatur, & ita avus & fratres excludant liberos fratris prædefuncti, quod & Saxones hodie obſervant, apud quos in collateralibus nulla eſt repræſentatio. *Hahn. ad Weſ. de Gradib. & affin. n. 15.* Ubi linea aſcendens planè deficit, in collaterali proximum locum fratres obtinent: Secundum patrui & defunctorum fratrum liberi; Tertium patrui magni, patrueles & fratrum nepotes: Atque ſic deinceps. Dubium hîc alicui ſuboriri poſſet, quid cauſæ ſit, cur nepotes patri defuncti prætulerimus, cùm tamen hic illis ſit gradu proximior. Veruntamen ſuprà verbo indicavimus, nos niſi in linea deſcendentium repræſentationem non agnoſcere, cujus beneficio nepos in parentis ſui defuncti locum ſuccedit, & ita excludit avum. Repræſentationem autem in ſola linea deſcendente ideo ſtatuimus, quoniam veriſimile eſt, maluiſſe defunctum bona ſua potiùs

potiùs ad filios, nepotes & ulterioris gradus, pervenire, quàm ad adscendentes. Ferè enim omnis & maxima parentum cura in eo consistit, ut liberos suos, aut ex iis natos, tanquam familiaris stemmatis subnascentem propaginem abundantissimis fortunæ bonis felices reddant; & ita commune eorum votum est, non alios successores habere, quàm quos ipsis natura & connubiale vinculum concessit. Quibus demum deficientibus turbato mortalitatis ordine amor ille & benevola voluntas ad ascendentes aut collaterales migrat, prout quisque proximiore gradu contingit defunctum. Bene enim observandum hîc judicamus, cùm de amore & inclinata ad benefaciendum voluntate defunctorum toties iteratam mentionem fecerimus, nolle nos hoc crudè & indifferenter de quavis benevolentia intellectum, sed potiùs restringere ad illam, quæ versatur circa successionem in bona, ut ita nullam aliam intelligamus, quàm quæ colligitur ex præsumptione voluntatis relinquendi per successionem bona iis, quibus maximè relinqui cupit. Itaque cùm dixerim majorem in nepotes quàm parentes amorem defuncti esse, non quemvis amorem indigito, cùm & parentes infinitè amare debeamus, sed talem, juxta quem mavelit intestatò mortuus nepotibus deferri bona quàm avis. Quibus rectè perceptis non difficile erit ad aliam quoque objectionem respondere, quæ prima facie non exigui momenti esse videtur. Scilicet amor conjugalis interdum tam vehemens est, ut eum, qui venit ex sanguine, etiam superet. Sed hic à nostro, ut diximus, est diversus, & matrimo-

nii

nii ſcopum non ſucceſſionem intendit, quare jus quoque pro eo non præſumit: in iis enim, quæ in mera præſumpta voluntate conſtant, præſumptiones ſumendæ ſunt, non ut in uno altero individuo ſe habere poſſunt, ſed quæ rationi & communi hominum ſenſui magis conveniunt. Quamvis illud libenter concedam, ad excludendum fiſcum uxorem admitti. His omnibus tandem deficientibus ſi quis inteſtatus moriatur, diſtinguendum exiſtimo, an defunctus vixerit ſub Rep. an verò ſui juris fuerit. Priori caſu fiſcum ſubſtituo, ad quem naturali ordine vacantia bona devolvuntur. Poſteriori res ad priſtinam libertatem perveniunt, & homines quidem ſervi ſui juris fiunt, alia verò bona tanquam ἀδέσποτα occupantibus cedunt. Atque hæc quidem in ſpinoſo hoc argumento rectior mihi ſententia viſa eſt; Quod ſi tamen veritatem, quam omnes quærimus, non ubique aſſecutus ſim, veniam me facilè impetraturum confido, quod & errare humanum ſit, & tota res non certis rationibus, ſed ex præſumta tertii voluntate dependeat. Lubentiſſimè tamen ceſſurus ſum meliora docentibus, at Grotii opinionem propter datas rationes indiſtinctim apprehendere non potui. Illud interim nullo modo nego, bono Reip. & ad ſplendorem familiarum conſervandum utili edicto inter bona avita & noviter quæſita legislatorem diſtinguere poſſe, ſicut in Gallia factum eſſe memorat Thuanus *Hiſtor. l. 41.*

Quàm tacitum teſtamentum.] Equidem ſi hoc vocabulum ex uſu juris Romani quis ſume-

re

re vellet, quatenus semper opponitur intestato, nullo modo successio ab intestato tacitum testamentum est; Quando autem sumitur pro tacita quadam & præsumpta mentis nostræ testatione, ex voluntatis conjecturis collecta, hactenus testamentum dici posse reor, & ita non tantùm negativè, ut putat Ziegl. *quatenus qui adimere potuit hæreditatem, non ademit*, sed & positivè, quatenus hæres ex tacita defuncti voluntate succedit.

§. 12. *Distingui debent regna.*] Periculosa est hæc distinctio. Nobis interesse videtur, num Regi adempta sit alienandi potestas nec ne. Ut priore casu, sicut inter vivos non potest cum effectu alienare, ita nec possit disponere de successore: quia & hæc est quædam alienatio collata in eventum mortis. Altero autem casu Regi utrumque liceat. Sicut paulò antè diximus.

§. 13. *Ut quisq; natu est maximus.*] Iterum anceps admodùm casus, ubi specialiora conventa sive expressa sive tacita æquabilis successionis usu introducta primogeniti prælationem non determinavere. Videtur enim quilibet ex liberis ad regnum tanquá patrimoniũ, à parente relictum, æquale jus habere Quod si tamé conjecturis agendum, dicendum existimo, in regnis, quę absolutissimè quoad alienationem habentur, successioné instituendam esse ex tacita defuncti Regis voluntate. Illam autem præsumi debere, prout subditis maximè prodest. Ferè autem semper maiori commodo masculum Reip. sceptrum gerere, quàm fœminam, & proinde non quemlibet ex liberis promogenitum successurum, sed masculum

lum ſecundogenitum fœminæ primogenitæ præferendum, quam ſententiam omnia penè exempla, quæ Grotius ex ſcriptoribus allegat, confirmant, & non de utroque ſexu indifferenter, ſed maſculo loquuntur. Quod verò primogenitus frater aliis præferatur, inde eſt, quoniam ſimul cùm eſt natus, jam regno à parente deſtinatus cenſetur, in qua deinde voluntate parens perſeveraſſe creditur, donec de mutata voluntate conſtiterit.

Cohæredibus tenebitur.] Non videtur hæc refuſio æſtimationis pro quota eſſe juris coactivi, ſed benignitatis ſuadentis. Is enim, qui hoc modo in regno ſuccedit, id habet tanquam aliquid præcipui ex voluntate defuncti. Ratione cujus hæredibus pro partibus non obligatur.

Si & quatenus id fieri poteſt.] Quia regna ſunt inæſtimabilia, & ſua pretioſitate omne pretium excedunt. Obſervandum tamen in regnum non computari bona mobilia & pecuniam vel nomina, quæ privatis Regum uſibus deſtinata erant. Item immobilia, quæ præcisè ad regnum non ſpectabant, ſed ſingulari jure poſſidebantur à Rege mortuo. Hæc omnia enim dividuntur æqualiter inter liberos relictos, nulla ætatis aut ſexus habita ratione.

§. 14. *Ex præſumpta populi voluntate.]* Nego hoc, niſi expreſſis pactis jus alienandi Principi ademptum fuerit. Nam hæc regna, quod concernit alienationem, liberè habentur, & in illa ſuccedunt ii, quibus veriſimile eſt anteceſſorem maluiſſe imperium deferre.

Individuum ſit regnum.] Niſi ita cautum,

existimo, posse Regem regnum inter liberos suos dividere in portiones, quibus eos succedere voluit. In dubio tamen ex commodo subditorum pro regno indiviso præsumitur.

§. 15. *Qui descendunt à primo Rege.]* Sed & hîc, si pacta non dent modum, testamento in extraneos imperium transferri posse statuo, non solùm ubi liberi legitimi deficiunt, sed & ubi adsunt.

§. 16. *Non naturales tantùm.] Conf. h. omn. Joh. Frider. Horn. de Civit. l. 2. c. 9. thes. 17.* Naturales duplici potissimùm modo considerari possunt, vel quatenus nascuntur ex concubitu, habente jam Rege aliam uxorem, eamque legitimam, vel quatenus ex matrimonio non adeò solemni; ubi Rex puellam aliquam affectu quidem maritali sibi copulat, cum qua tamen regium nomen decusque non vult communicatum: nam cùm solemnium nuptiarum ille etiam non minimus effectus sit, ut uxor sequatur conditionem & dignitatem mariti, dicendum videtur, dum Rex uxorem quandam non tamen Reginam habere cupit, natos ex hoc matrimonio non tam legitimorum, quàm naturalium nomine venire. Atque ita in quæstione de successione naturalium sub distinctione respondendum erit hoc modo: Liberi, qui ex concubitu seu secundario illo matrimonio prodiere, non præferuntur iis, qui legitimam uxorem matrem habent, etiamsi ante hos nati essent, nisi expressa patris voluntas eos ad successionem voeet, quo casu, quia nullum morale vitium obstaculum ponit, sicut Rex, cui libera est disponendi de successore potestas,

teſtas, extraneum quemvis liberis potuiſſet præferre, ita quoque hunc ſuum naturalem. Verùm ubi illa voluntas deficit, & adſunt ex ſolemni matrimonio liberi, hos in dubio ſucceſſores facio; quia voluntas parentis defuncti non expreſſa ita præſumenda eſt, ut maximè eſt honeſta, dignitatique imperii & rationi conveniens. Concubinatus autem ſive ſecundarium tale matrimonium hodie inter Chriſtianos omninò aliquid vitii intrinſeci fovet, ideoque tam ad dignitatem imperii, quàm populi exiſtimationem erga Imperantis auctoritatem pertinet, ſucceſſorem ex juſto matrimonio habere. Altero caſu, quando Rex legitimam uxorem actu nullam habet, aliam verò non adeò ſolemnibus nuptiis, affectu quidem maritali & in finem habendæ ſobolis, non tamen animo communicandi dignitates regias, quæ regulariter à viro in uxorem transfunduntur, ſibi copulari curavit, natos ex hoc matrimonio liberos, quos uxor Regis non Regina edidit, ſolio aptos judicamus, etiam tunc, quando Rex uxore mortua juſtis legitimisque nuptiis aliam ducit, ex qua tanquam Regina poſt natam progeniem ſuſcipit, & illos his jure primogenituræ in dubio præferimus, niſi alia lex vel voluntas parentis obſtet, quia non minùs eſt filius ex vero matrimonio, quàm alter, & ſolemnitas illa ad accidentalia non eſſentialia pertinet, neque vitium permanens actui adeſt? Quid verò, ſi Rex vivente adhuc priore uxore aliam velit ut Reginam legitimis ſolemnitatibus ducere? Reſpondeo, hoc et hodie non licere, quia polygamia Chriſtianis eſt prohibita, priùs autem matrimonium verum

matrimonium est, & sic secundarium hoc in concubinatum transiret, & ob rationes suprà dictas liberi ex priori matrimonio etiam iis ex secundario postnati in dubio præferendi essent. Rex enim habens actu uxorem veram, aliam tanquam Reginam facere nequit. Et si Reginam habere omninò vult, uxorem suam hac majestate ornare potest, sicut Heinricus VIII. Annam Bolenam, Equitis Anglici filiam, regio diademate & complexu suo dignatus est.

§. 17. *Ideo quòd mares.*] Quæ ratio quoque, cur pater in dubio semper censendus sit malle regnum ad secundogenitum filium quàm filiam primogenitam perveniri. Sunt enim ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ mares aptiores regimini quàm fœminæ.

§. 18. *Natu maximus.*] Ita omnes ferè inter gentes obtinet, ut natu major in regno individuo præferatur minori fratri. Quæ autem hujus rei sit ratio, non constat inter viros eruditos: aliis ad divinum, aliis naturale, aliis gentium jus, aliis aliorsum referentibus. Nobis quid animi sit, aperiendum est, rejectis tamen priùs aliorum opinionibus. Qui jure divino se fundant, imprimis solitum Judæis morem à Deo ipso introductum probatumque urgent, quo filius primogenitus duplo plus cæteris liberis ex hæreditate paterna auferebat, allegant & locum *Deut. 21, 15.* ubi primogenitus vocatur prima & princeps patris virtus. Verùm in promptu est responsio, ad privatas successiones pertinere, quæcunque Deus de primogenitura lege edixit, nec forenses leges alios populos extra Remp. Judaicam unquam devinxisse. Nullum omninò ne minimum

mum indicium ſacra Biblia evolventi occurret, ex quo colligere liceat, Deum generali ſanctione jus primogenituræ omnibus voluiſſe injungere, quin potiùs ipſe præterito Saulis filio opilione Davidem ſolio impoſuit; & Davidis primogenitum excluſit Salomon ex parentis Regis voluntate. Qui ad legem naturalem confugiunt, vix præter inſtinctum aliquem naturæ occultum ætatis prærogativam majoremque prudentiæ ſpem, aliud adducunt, puerilia ſanè crepundia ad tantum negotium. Nunquam inſtinctus naturalis ſceptra coronásve contulit, & quid ætatis prærogativa ad ſucceſſionem in regno? Præſumptio ſolidioris ſapientiæ ut ſæpè fallit, ita imperium nullum largitur. Quicunque jus naturæ accuratiùs conſiderare vult, infirmam aſſerti valitudinem facilè deprehendet. Indagamus enim hîc cauſam & fundamentum, cur primogenitus unanimi ferè omnium gentium conſenſu regnum paternum obtineat? Hujus quæſiti ſolidam rationem in jure naturæ non niſi ineptiſſimus quæſiveris; Nihil de hæreditate aut acquiſitione imperii conſtituit lex illa. Circa actuum moralium bonitatem vel malitiam occupatur, illam præcipiendo, hanc vetando, nullum jus primogenituræ producit. Idem judicium ſit de jure gentium, quod majori ſpecie quàm veritate huic negotio deſtinatur. Paſſim apud ſcriptores legere eſt, jure gentium primogenito regnum deberi, quod ſi quis aliter quàm de recepto quodam inter multas gentes more intellexerit, immane quantum erraverit. Non magis verum eſt, jure gentium propriè ſic dicto, primogenitum jus habere

bere ad imperium, quam quòd eodem jure dominiorum distinctiones, servitutes, contractus & alia complura introducta vulgò perhibentur. Hoc cum omni alio jure jus gentium commune habet, ut sit directrix actionum, non alicujus potestatis productrix. Actus publici, qui gentibus intercedunt, quà gens sunt, quique mutuam Rerump. necessitudinem & contingentiam inferunt, ad jus gentium pertinent. Ubi autem in nostro negotio ille contextus Rerump. & mutua relatio, per quam sibi invicem Civitates conjunguntur? Modus & arbitrium succedendi ad curam cujuslibet Reip. pertinet, alias gentes non tangit, quibus nihil interest, major an minor natu succedat: nulla Resp. ex surrogatione secundi geniti læditur, & ob ordinem inversum neque querimoniæ neque vindictæ jus habet. Non melioris notæ sunt, quæ de publica utilitate afferuntur, & indissolubilem regnorum compagem laudant causam prælationis primogeniti. Sed esto, conducat Reip. ut indivisa sit, unde autem jus primogeniti? cùm æquè integra civitatis membra coadunata manerent, si natu minor succederet. Suadet igitur hæc utilitas, ne regnum dividatur, sed illud primogenito non confert. Quam eandem censuram subeunt, quæ de jure hæreditatis atque sanguinis scriptores commentantur in §. seq. à nobis refutanda: nunc verbo monebimus, hæreditatem nullum primogenito jus concedere. Omnes liberi naturaliter æquale jus ad hæreditatem patriam habent, neque primogenito ulla prærogativa nascitur, nisi pacta specialia vel leges civiles defectum suppleant.

Idem

Idem de jure ſanguinis ad §. ſeq. dicemus. An igitur temerario & cæco impetu negotium peragitur, cùm nullum ex his juribus primogeniti prælationem ſibi vindicet? Minimè verò. Nam æquabilis primogenituræ obſervantia nos non ſinit dubitare de aliquo jure ſive fundamento, quod enim per multa retro ſecula uniformi tenore proceſſit, id aliquam regulam habere oportet, cui perpetuitatem ſuam acceptum ferat. Quare ita cenſemus, in omni tali ſucceſſione, per quam primogenitus jure ſuo ſolium patrium aſcendit, latere quandam electionem tacitam, quæ ab expreſſa & communiori hoc differt, quòd in hac populus, aut ii, quibus competit electio, judicium futuri Principis ſingulis vicibus vacantis imperii in ſingulos eligendos depromant, in illa verò idem populus ſemel primogenitum nominaverit, qui continua ſerie defuncti patris locum ſupplere debeat. In quocunque igitur regno primogenituræ jus obſervatur, diligenter conſiderandum erit, num pactis inter Regem populumque initis hac de re aliquid cautum ſit. Scilicet ubi regna conduntur, & multitudo in civilem ordinem coit, ante omnia de regiminis genere diſpicitur. Quod ubi regium illudque ſucceſſione continuandum placuit, plerunque Rex, ſive proprio motu aut petentibus Civibus promittit, ſe, quantum quidem poſſit, populo Regem filium daturum, eumque ſemper fore primogenitum. Idem omninò obtinet, ubi liberæ Resp. aut electitia regna in hæreditaria transfuſa eodem primogenituræ jure muniuntur. His conventionibus, quæ inter Regem populumque

celebrata sunt, utraque pars firmiter obligatur; Rex quidem, ut alium ex filiis primogenito præferre nequeat. Populus verò, ne planè extraneum. Primogenito vero spes quædam ad capessendum regnum quæritur, quæ eidem non nisi gravissimis de causis auferenda. Quoniam autem quælibet aliæ leges, quæ boni publici causâ feruntur, ita interpretandæ sunt, ne in pernitiem civitatis expetant, ita quoque hæc conventio de primogeniti successione, Reip. emolumento stabilita, ne successor in incerto sit, in illius injuriam retorquenda non est. Quamobrem communiter auctores sentiunt, posse excidere primogenitum hoc privilegio, si vel hostis patriæ sit, vel in apertam Tyrannidem abeat, vel furiosus aut alio modo incapax regni. His casibus secundogenitus anteponitur fratri, quia universa societas natu majori sub tacita quadam conditione successionem promisisse videtur, si dignus sit, qui imperet. Ubi igitur vel natura vel siniſtra morum feritas eum effecerit incapacem, deficiente conditione deficit jus ipsum, & non censendus est Rex atque populus cum jactura publicæ rei alterius improbitati vel impotentiæ voluisse consulere. Hujus voluntatis interpres & executor erit ipse Princeps pater, cui soli facultas arbitrandi est, num primogenitus filius sceptro aptus sit vel non. Quod si inidoneum eum deprehenderit, executio etiam, quæ fit per surrogationem in remoti locum junioris filii, ab eodem solo expectanda est. Nullum hîc populo judicium concedimus, nisi expressè jus arbitrandi sibi stipulatus sit, tum omnium audienda erit sententia decreto-

cretoria circa exauctorandum primogenitum. Ubicunque autem providentia legum, quod ſecundum erat membrum, de ſucceſſione primogeniti nihil cavit, quod in iis regnis uſu venire ſolet, ubi alienandi poteſtas unius Principis arbitrio relicta eſt: tunc ſolam primogenituram adeò efficacem non exiſtimo, ut parenti neceſſitatem imponat transferendi imperium in eum, quem ſucceſſorem habere nolit, ſed pro liberrima poteſtate, quam ad actum alienationis habet, poterit præterito primogenito alium ex filiis ſubſtituere, aut omiſſis omnibus filiis, ſi eos parùm idoneos vel magis è Rep. eſſe putaverit, planè extraneum ſibi ſucceſſorem deligere, juris divini, naturalis, gentium aliusque cujuscunque ſecurus. Illud tamen lubens conceſſerim, non facilè ſolere parentes primogenitos præterire, ſi illos æquè habiles futuro imperio cognoverint. Sed aliud eſt quærere de jure, quid liceat, & aliud de conſilio, quid faciendum ſit. Quid verò ſi Rex moriatur non edito voluntatis indicio, quem habere ſucceſſorem velit? Hîc iterum fit locus conjecturis, ex quibus voluntatem colligimus. Voluiſſe autem id cenſetur, quod magis ipſi jucundum optandumque eſt. Cùm verò commune parentum votum ſit, ut bona ſua dignitatesque ad liberos perveniant, quibus quàm maximè conſultum cupiunt, ideoque & in regno ex præſumpta patris voluntate liberi ſuccedent excluſis extraneis. Defuncti tamen voluntas ita explicanda, ne officiat bono publico, cujus cùm interſit unum habere Principem, ne diviſo in plures partes regno civile robur debilitetur, uni-

cum saltem ex filiis successorem optasse iterum rectè concluditur: Et deinde ex eadem voluntatis conjectura ideo primogenitum in dubio prælatum volumus, quia ei jam tum, cùm nasceretur, pater tacito voto solium spopondit, cùm illo tempore nemo alius extaret, cui Princeps magis collatum regnum cuperet, quàm huic suo unigenito, quem & statim hæredem nominasse videtur, ne, si ipsi aliquid humani accideret, regnum careret successore: in qua voluntate tamdiu perstitisse existimatur, donec sufficientissimis contrariæ signis ostendat, nolle se primogenito collatum imperium. Quibus deficientibus præsumitur continuata voluntas, & præfertur primogenitus cæteris fratribus, quia verisimile est ipsum parentem hunc prælatum hoc ipso voluisse, dum utili silentio neminem alium successorem nominavit: cui convenit, quod DD. dicunt, præsumi unamquamque rem in eadem statu permanere, in quo est, donec probetur contrarium. Qui plura in hoc argumento desiderat, is conferat *Clar. Dom. Joh. Frid. Horn. de Civit. l. 2. c. 9. thes. 8. usque ad 16. inclusive.*

§. 19. *Verius est esse hæreditatem.*] Si res secundùm antecedentia examinatur, facilè apparebit, jus succedendi in regno ex privilegio primogenituræ non competere jure hæreditario, quoniam ita major natu succedit ex tacita omnium electione, qui mansura pactione constituerunt, ut regis primogenitus in patrium succedat regnum. Sentit quidem nobiscum paulò antè laudatus *Hornius, l. 2. c. 9. thes. 13.* sed rationem, quam suæ sententiæ confirmandæ adduxit, probare

bare non possum 9. Dicit enim ideo successionem in regna jure hæreditario non fieri, *quia hæreditate acquiruntur res, quæ in patrimonio sunt, quæ ultro citroq; alienari, distrahi & acquiri possunt. Majestatem supra nundinationes humanas positam tales transferendi modos ignorare. Successionibus hæreditariis acquiri res, quarum dominium testator obtinebat, exemptam verò humanis dispositionibus & transactionibus majestatem esse, quæ ad Deum redit, quamprimum Rex decesserit.* Verùm hæc quæstionem non adeò exhauriunt, quin supersit refugium. Quid enim si quis concederet, hæreditatis additionem non largiri quidem majestatem, esse tamen modum quendam hanc acquirendi? Ita electio & successio non sunt causa majestatis, sunt tamen modi, per quos Deus immediatè personæ electæ aut succedenti imperium confert. Ita nihil planè obstaret idem de hæreditate sive testamentaria sive legitima pronunciare, esse modum majestatem acquirendi, non ipsam causam, & sanè hoc asserere non verebor in illis regnis, ubi libera alienandi potestas Regi permissa esse. Tunc quemcunque Rex hæredem regni testamento nominaverit, illum per hunc modum majestatem à Deo consequi assero: eodem res recidit, si neminem quidem nominavit, reliquit tamen filios aut agnatos, quibus maluisse præsumitur imperium relinquere, & hæredes ab intestato facere. At in regno, ubi jus primogenituræ valet, hæc specialis ratio, cur illud regnum ut hæreditas non deferatur, quoniam alicui unum imperium duobus acquirendi modis uno eodemque tempore obvenire nequit.

Hoc

Hoc autem, quod jure primogenituræ defertur, venit per modum tacitæ electionis: ideoque tanquam hæreditas acquiri non potest. Sunt alii, qui existimant, jus primogenituræ ex sanguine competere, sed quis & qualis sit ille sanguis, non satis explicant. Si denotat, ut communiter fit, propinquitatem & necessitudinem quandam, quæ est inter patrem & filium, egregiè huc non pertinet, quia hanc consanguinitatem omnes liberi æqualiter participant, ut nulla ratio illam soli primogenito attribuat. Deinde etiam illa necessitudo naturalis est immutabilis, nec posset primogenitus ob vitia aut alias politicas rationes privari sceptro, quod jure sanguinis habet. Nullum vitium morale efficit, ut filius non sit filius patris, quia quòd talis est, per generationem habet, factum aliquod, quod dum est, infectum fieri nequit.

Sed ita, ut etiam sine liberis.] Rectè. Equidem in illa successione, quæ fit jure primogenituræ, ratio non longè petenda est, quia successor regnum habet ex electione tacita, cui cum hæreditate nihil juris aut affinitatis est. Sed & ubi regnum jure hæreditario defertur, idem obtinere statuo, quoniam non est de natura & essentia agnoscendæ hæreditatis, ut quis non partem, sed totam vel agnoscat, vel repudiet. Jus sanè civile in honorem defunctorum, & ne quædam eorum bona jaceant cum contumelia, totam hæreditatem vel acquiri vel rejici voluit, idque etiam in filiis jure feudali quoad feuda obtinet, ut ipsis non sit integrum repudiata paterna hæreditate bona feudalia agnoscere, licèt feuda non tam

hære-

hæreditario jure quàm ſanguinis veniant. Quod deinde DD. & ad legitimam extendunt, quæ etſi liberis ipſo jure debeatur, iis tamen non conceditur, agnitâ legitimâ cæteræ hæreditati ſe non immiſcere: *quia filius non debet parentes eâ contumeliâ afficere, ut eorum hæres eſſe nolit.* Sicuti loquitur *Rittersh. ad Novell. p. 6. c. 4. n. 13.* Hæc, ut dixi, jure civili in honorem defunctorum ita conſtituta ſunt, quo nihil decernente res aliter ſe habet. Neque enim ullum eſſentiale impedimentum obeſt, quò minùs hæreditas pro parte acquiri & pro parte repudiari poſſit. Cùm autem Reges, qui ſupra omne jus civile conſtituti ſunt, ſolisque juris naturæ & gentium ſcitis obligantur, ſuccedant in hæreditate, prout naturaliter eſt affecta, non ut per leges particulares informata; illis nulla religio ſit, rejectis vel in alios hæredes transmiſſis cæteris paternis facultatibus, ſolum regnum tanquam partem hæreditariam agnoſcere.

§. 20. *Diverſus in allodiis & feudis.*] Succeſſio in regnum neque propriè allodialis eſt, neque feudalis, ſed tam ex teſtamento quàm ab inteſtato ſucceditur, ut natura hæreditatis & voluntas deferentis expreſſa vel tacita requirunt.

§. 22. *Quæ linealis dicitur.*] Differt ab hæreditaria ſucceſſio linealis, quòd illa transmittat hæreditatem de perſona in perſonam jure repræſentationis, i. e. jure ſubitionis in locum defuncti, ut Grot. loquitur: i. e. Quòd nepos ex filio præfertur fratri, id fit, quia videtur repræſentare patrem ſuum, eundemque filium avi. Hæc verò linealis transmittit ſucceſſionem per lineam,

lineam, in qua semel esse cepit, ita ut continua in eadem linea successio fiat, quamdiu fieri potest, sive quamdiu successores in linea extant: quibus deficientibus pervenitur ad lineam proximam, in qua deinde idem ordo observatur. Unde apparet primò, quòd nepos aut pronepos avo non succedant, quatenus repræsentant patrem suum, sed quatenus sunt in continua descendentium linea, quo respectu etiam excludunt cæteros, quia nimirum in linea earum semel cepit successio, tamdiu continuanda, donec illa linea cum successoribus deficiat. Secundò sequitur, in lineali successione non haberi simpliciter gradus aut sexus aut ætatis rationem; Gradus nulla ratio planè habetur, nisi quoad ipsam lineam, quoniam filium minorem superant ex defuncto filio majore nepotes vel pronepotes, aut neptes proneptesque, &c. Causa est, quia per primogenituram semel successio cepit in filio majore, quæ perpetuatur, usque dum deficit linea illius primogeniti, tum defertur successio ad ejus fratres, illorumque secundogenitum & ejus liberos: quo extincto ad tertiogenitum ejusque lineam, & sic deinceps. Deficientibus omnibus liberis cum linea descendente defuncti Regis, succedunt illius fratres secundùm prærogativam sexus & ætatis. Ita ut minor natu mas superet majorem natu fœminam: quod si tamen in linea aliqua cepit successio, tum in illa linea fœmina præfertur mari alterius lineæ, quoniam in linea successio priùs non desinit, quàm desinit ipsa linea: Atque in eo multum distat à successione hæreditaria, in qua præsertim quoad lineam transversam maxi-

mam

mam haberi graduum proximiorum rationem, nemo non ſcit, cùm adeò etiam nepotes ex fratre vincantur à fratribus eorumque liberis: ut DD. hæc & multa alia ad materiam de ſucceſſionibus ab inteſtato diligenter exponunt. Ita quoque ætatis & ſexus ratio in linea ipſa habetur, non extra eam. Sic ſuccedit natu minor nepos idemque filius filii majoris defuncti Regis præ nepote majore eodemque filio filii minoris ejusdem Regis: in eadem tamen linea vincit juniorem fratrem ſuum filius major. Simili modo res, quoad ſexus prærogativam, affecta eſt, ut in eadem linea ſit aliqua ſexus præſtantia, quando nimirum filius natu minor præfertur primogenitæ, in diverſis non, ſed filia ex filio præfertur filio ex filia, & filia ex fratre filio ex ſorore. Eſt itaque certus ordo in hac ſucceſſione, ſed linealis, i. e. qui in eadem linea obſervatur: quoad lineam verò aliam neque gradus, neque ſexus, neque ætatis eſt prærogativa, ſed ſimpliciter ea linea prior eſt, quascunque etiam perſonas, ſive mares ſive fœminas, ſive puberes ſive impuberes habet, in qua ſemel cepit ſucceſſio. Ordo autem, qui eſt in eadem linea, bene explicatur à Grotio, quòd ſc. vocentur liberi ultimi poſſeſſoris primi gradus, tam qui vivunt, quàm qui mortui ſunt, (quod ideo adjecit, quia mortuorum linea ſi potior eſt ſexu vel ætate, potior etiam eſt fratribus viventibus, licèt ſint gradu proximiore.) Tum verò inter vivos & mortuos ratio habeatur ætatis primùm, deinde etiam ſexus. Mortuorum autem jus, ſi prævaleat, (quod fit, ſi mortuus fuerit natu major, vel mas, reliquis liberis extan-

extantibus fœminis) transeat ad eos, qui ab ipsis descendunt, pari rursum inter pares prærogativa sexus ac deinde ætatis, sic ut ob sexum vel ætatem nunquam tamen transeatur de linea in lineam. Habet cum hac lineali successione cognationem quandam successio feudalis, præsertim feudi fœminei; Successio feudalis in genere convenit cum hac lineali, quòd, sicut hæc defertur non à proximitate gradus, sed lineæ, ita in illa quoque non sufficiat, esse aliquem, qui vult mortuo vasallo succedere, gradu proximum, sed requiritur, ut & in linea sit proximiori, in qua si vincit, etiamsi gradu remotior sit, præfertur. V. gr. defuncto Vasallo sine liberis, si existant nepotes aut pronepotes ex fratre, & patruus, qui in feudum succedere cupiunt, patruum non juvat, quòd proximiori gradu defunctum attigerit, sed nihilominus prædefuncti fratris nepotes aut pronepotes præferentur, non quidem jure repræsentationis, quod extra fratrum filios non extenditur, sed ea sola de causa, quia in linea sunt proximiori. Habent enim cum defuncto unam eandemque lineam, sc. defuncti patrem, à quo mediante suo patre descendunt. Idem planè modus in lineali successione observatur, ut deficiente aliqua linea ad proximè succedentem fiat transitus. Deinde successio feudalis fœminea lineali in hoc quoque similis est, quòd utrobique successio fiat cum prærogativa sexus, exclusis semper fœminis à maribus. Discrepant verò primò in genere quidem, quòd in lineali successione semper æquabiliter transitus de linea ad lineam fiat, nec unquam potiori lineæ proximior gradus præ-

præjudicet. At in feudali deficiente illa linea ſpeciali, ex qua defunctus erat, ſucceditur absque ulla linearum proximitatis habita ratione ſecundùm potiores graduum computationes. Ut pluribus explicavit *Dn. Struv. Synt. Feud. c. 9. theſ. 7. n. 3. 4. & 7.* Secundò feudalis feudi fœminei à lineali in eo diverſa eſt, quòd ſucceſſio in lineali ſemel cepta duret, donec linea deficiat: nec ob ætatis aut ſexus prærogativam in aliam fiat ſaltus. V. gr. filia fratris majoris præfertur fratri minori. Secus quàm in feudis, ubi feudum ſemel ad aliquam fœminam devolutum in illa linea non permanet, ſi in alia mas naſcatur, in hac verò ſolùm fœmina, ſed omiſſa filia fœminæ, quæ feudum habuit, id tranſit ad filium marem ſororis, ſi quam habet. Quam in rem *eſt text. expreſſ. 2. Feud. 51. §. ſimiliter. Conf. Struv. d. c. 9. theſ. 8. n. 9.*

§. 23. *Linealis ſucceſſio agnatica.*] Hæc quatenus in regno Francico obſervatur, à cognatica in eo differt, quod non ſolùm fœminas ad ſucceſſionem non admittat, ſed nec natos ex fœminis maſculos. Ita ut per matris incapacitatem ſemel excluſus ſemper excluſus maneat. Quoad cætera ſucceſſio fit de linea ad lineam, ita ut ad aliam non perveniatur, niſi illa, in qua ſucceſſio eſt, ſterilis interierit. *Conf. Dn. Ziegl. h.* Videtur etiam huc pertinere ſucceſſio in Electoratum, de qua *Limn. Jur. publ. l. 3. c. 7. num. 34. &c.*

§. 25. *Exheredari poſſit.*] Ex iis, quæ ſuprà de alienatione imperii ſcripſimus, hujus quæſtionis difficilis expeditio non eſt. Quod ſi enim

Regi libera potestas alienandi relicta est, unumquemque ex filiis exhæreditare, alterum alteri præferre, vel etiam planè extraneum hæredem instituere potest, neque hîc causas spectari oportere censemus, quas jus civile exhæreditationi sufficientes posuit, sed quæcunque alia causa satis prægnans erit, imò etiamsi nulla planè adsit, quæ filium reum faciat, ut si fortè non sit regno idoneus, perpetuò sonticus aut furiosus, aut aliàs simplicioris ingenii, quàm ut in artes regnandi & imperiorum arcana penetrare queat. Quod si verò ad arbitrium Principis plenaria alienatio non pertinet, sed populus vel sibi soli vel unà cum suo Principe judicium in hoc negotio sibi competere voluit, tunc exhæreditatio non efficiet, quò minùs post mortem testatoris populo integrum sit exhæredatum eligere in imperantem. Reservavit autem populus sibi soli arbitrium futuri Principis in regnis electitiis, quando mortuo Rege optimum quemque dignissimum judicat, qui cæteris imperitet. Cum Rege verò suo illam facultatem communicavit, quando inter se invicem mutuis pactis convenere, ut primogenitus Regis sit regni successor. Nam in hac successione tacita quædam latet electio, ut suprà ostendimus, & succedit primogenitus non ex solius patris voluntate, sed & ex tacita populi electione, quæ semel facta æquabili tenore semper continuatur. Non licet itaque patri primogenitum suum, prout lubet, privare spe successionis, sed nisi gravissimæ causæ accedant, quæ primogenitum regno indignum faciunt, omninò successorem suum pati debet. Si quæ autem causæ rejectionis

ctionis intercedunt, illarum quidem examen & executio ad Regem spectat, nisi populus suas partes hîc etiam stipulatus sit, æquissimum tamen eum judicem in hoc agere oportet, ne amore vel odio aliisque effectibus, quibus liberum animi judicium impeditur, distractus contra sponsionem publicam suamque fidem statuat. Aliàs post ejus mortem nihilominus populo contra facta & judicata venire licebit.

Si crimen morte dignum &c.] Conf. omn. quæ not. ad §. 2. h. c. ad verb. & qui mortem peccatis suis.

§. 26. *An & pro liberis.]* Ego omninò distinguendum existimo inter abdicationem parentis omnimodam, relicta populo potestate aliud sibi caput eligendi; & inter eam, quæ fit quidem pro se suisque descendentibus, cum impositione tamen alterius extranei in solium. Priori casu pater pro liberis adeò abdicare nequit, quò minùs illi aliquando ad regnum capessendum venire queant. Quoniam enim populo libera Regem eligendi facultas competit, liberum ipsi est tam ad abdicantis liberos quàm alium redire, iisque volentibus deferre imperium. At casu posteriori, ubi simul alius regno possessor quæritur, faciliùs negotium procedit, modò Regi, qui abdicat, jus alienandi quoad actuale exercitium competiit. Siquidem tunc extraneus, in quem facta alienatio, cum sua familia in regnum succedet, excluſis planè anterioris Principis liberis: Ubi autem jus primogenituræ viget, aut populo reservata est quædam circa alienationem arbitrandi licentia, solus Princeps non efficiet, quin

populus ad primogenitum regressum habeat. Illum tamen utriusque populi & Regis voluntate excludi posse, non dubito, quia primogenitus in regno jus quæsitum non habet, sed saltem κατ' ἐλπίδα, quemadmodum liberi rerum paternæ domus domini dicuntur: ideoque res similis est feudo novo, quod per mutuam domini ac vasalli pacisicentium voluntatem naturam feudi antiqui induit ad effectum successionis agnatorum ex latere. Per hanc enim conventionem agnatis non priùs jus quæritur, quàm si beneficio contrahentium in eadem voluntate perseverantium actualiter in feudum succedere: antea verò ipsis agnatis etiam non consentientibus solius domini. Vasalliique contrario arbitrio spes successionis agnatis auferri & feudum ex pacto antiquum rursus per pactum in novum mutari potest. *Conf. Struv. & ab eo all. in Synt. Feud. c. 3. thes. 3. n. 1. & 2.* Eodem ferè modo aliquando inter Regem & populum convenit, ut Regis primogenitus, aut deficiente eo cætera familia ejus succedat in regnum. Hoc pacto Rex & populus sibi invicem obligantur, ut alter absque voluntate alterius à publico illo ordine recedere nequeat. Primogenito interim jus ad regnum strictè sic dictum non quæritur, quoniam tertio nihil mandanti nulla obligatio quæri potest. Quare ante actualem successionem contraria pacisicentium constitutione illa spes rectè auferitur, quæ antè competere cœperat. Hinc verum esse non existimo, quod ait Grotius, *illud interesse inter natos & nascituros, quòd nascituris nondum quæsitum sit jus, atque ideo auferri iis possit populi volun-*

voluntate, si etiam parentes, quorum interest jus ad filios transire, jus illud remiserint. Populi enim & Regis voluntate non solùm nascituris, sed & jam natis ipes illa auferri potest, nisi fortè actibus quibusdam promissionem regni inferentibus vel etiam expresso consensu se primogenito obligaverint. Cujusmodi actus consensus illativos esse puto, si primogenitus ab omnibus tanquam successor regni colatur, si in regiam indolem educetur, præceptisque variis, ut regnum futurum bene administret, instruatur. His similibus quo actibus ex utriusque partis consensu fluentibus facilè concedo ipsum jus primogenito quæri. Attamen adhuc nego, solum nascendi actum alicui jus ad regnum, quod ante nativitatem non habebat, conferre posse. Agnosco nihilominus aliquam differentiam inter natos & nascituros, in quantum parens abdicans regnum liberis nondum natis spem quoque successionis adimit, natis verò sine populi consensu nequaquam. Ratio differentiæ utrinque est, quia qui nondum est natus, eligi in Regem non potest, regna autem celeri curatione indigent, ne damnum aliquod capiant. Quod cùm per abdicationem vacet, malè expectaretur is, qui nondum est in rerum naturâ, quemque incertum est aliquando natum iri. Ideoque morali necessitate itur ad alios, in quorum deinde familia continuatur successio exclusis posthumis prioris Regis, qui abdicavit. Cæterùm quod Dn. Ziegl. ad hunc §. velut sententiæ Grotianæ confirmandæ causâ notat, nec refutationem feudi antiqui nocere posse liberis, nihil videtur facere in rem præsentem. Primò enim illud in-

ter omnes Feudistas non satis constat, & communem DD. opinionem latissimè refutat *Struv. Synt. Feud. c. 13. thes. 16. n. 5. & 6.* qui multis rationibus tenet, filios sive descendentes Vasalli refutantis oportere ejus factum ratum habere, nec ipsis competere jus revocandi. Deinde inter feuda & regna magnum est discrimen. Cùm in illis jus natis vel nondum natis possit quæri immediatè ex ipsa legis dispositione. In his verò lex civilis deficiat, utpote quæ ad summas potestates non pertinet, ideoque nec contra eorum voluntatem effectum juris productivum habere potest.

An de successione regni judicare possit.] Admodùm in h. §. est obscurus Grotius, ut veram ejus intentionem vix consequaris: quid enim est de successione regni judicare. Si intelligit, an Rex possit de successore futuro aliquid disponere, sub distinctione, quam de alienatione imperii suprà multis locis dedimus, respondendum est. Malo tamen cum Dn. Ziegl. hîc intelligere, *præsentem Regem non posse cogere eum, quem sibi vult succedere, neq; prohibere posse alios, quò minùs aliquando succedant.* Quod ultimum de regnis saltem non alienabilibus admitto: in aliis, ubi Regi potestas alienandi est permissa, potest de certo successore disponere: & ita per consequentiam excludere alios, ne succedant. Hic sensus §. quem Grotii fuisse opinor, juvatur conjectura verborum, quæ in eod. §. habentur, cùm author noster dicit, quòd Rex nunc regnans nulla lege possit obligare successorem: sc. ut necessariò succedat. Nam generaliter hoc accipi non debet,

quoniam

quoniam non rarò successor antecessoris sui factis conventionibusque obligatur, ut infrà videbimus.

§. 28. *In quavis successionis specie verum est.]* In dubio omninò hoc verum est: quod si enim publica lege de hoc negotio aliquid fuerit cautum, lex modum dabit. Sin minùs, patris judicium erit, quem ex liberis velit succedere. Ubi etiam de hoc non satis constat, primogenitus ante regnum illa potissimùm juvatur conjecturâ, quòd eo tempore, quo pater regnum adipiscebatur, ille solus erat, quem successorem optaret, quippe aliis liberis non extantibus: in qua voluntate pater tamdiu permansisse præsumendus est, donec de contraria constiterit. Quo omisso ex tacito parentis judicio filius natus ante regnum jure primogenituræ succedit, & natos in regia fortuna excludit.

An nepos ex filio priore, filio posteriori.] In lineali successione vel ubi Reip. pactis aut expressa Regis voluntate aliquid constitutum est, negotium non adeò intricatum existimo. In regnis autem, ubi jus primogenituræ ætatisque privilegium viget, nec certum Regis defuncti judicium supereſt, quod ambiguam litem dirimere possit, impeditior difficultas jus successionis involvit. *Clariss. Joh. Frider. Horn. l. 2. de Civit. c. 9. thes. 16.* existimat, hoc casu, *si scilicet decedat Rex neutrum eligens, dicendum esse, eligendi potestatem devolvi ad populum, vel eos, quibus à populo id commissum fuerit, hac restrictione, ut alterutrum sumant in Principem.* Id quod mihi neutiquam probatur. Quoniam si solus vel ne-

pos vel filius adesset, non erat dubium, etiam sine expressa electione quemvis eorum successurum. Nunc causam non video, cur in concursu electioni populari locus detur, cui locus non esset, si unicum saltem successorem haberemus: Neq; mihi videtur concursus plurium circa rem aliquam tertio jus conferre, quod extra illum concursum non habuerat. Neque quicquam efficies, si replicaveris, rem in illam conditionem deveniſſe, unde propter ambiguitatem exitum nequeat habere; Namque hoc jam in controversia est, annon alia litem dirimendi via sit. Præterquam enim ut de sorte nihil dicam, quæ rebus dubiis plerunque adhiberi solet, ex ipsissima natura negotii concinnam admodùm expeditionem docet *Grotius ad h. §. h. m.* In regnis, ubi ratio juris primogenituræ ætatisque habetur, *neq; semper nepotem neq; semper filium secundogenitum præferri, sed ut inter pares, quippe juris effectu quoad gradus adæquatos potiorem futurum eum, qui ætate præcedit.* Ita sanè major natu habebitur pro primogenito, qui etiam ob ætatem variamque rerum experientiam regimini maximè aptus est. Adde, quòd eidem faveat præsumptio parentis, de qua suprà diximus. Quod si enim Rex haberet filium, ex eoque nepotem; filio quidem statim successionem destinat, sed ita tamen, ut, si is decedat, succedat nepos. Quod si verò ante susceptum nepotem secundum generavit filium, illum censetur habere voluisse successorem, ut, si quid majori humanitus contingat, imperium perpetuetur in familia. Nam si major natu nepotem fortè non esset habiturus, secundogenitus

nitus filius unicus esset, cui mortuo primogenito collatum imperium optaret, ideoque eidem ante nepotem natum statim in eventum mortis filii sui majoris sceptrum præsumitur dedisse, in eademque voluntate permansisse, usquedum contrariam explicaverit. Eadem nepoti ante filium secundogenitum nato applicari rectissimè possunt.

§. 31. *Pari distinctione.]* Ita ut semper is præferatur, qui ætate & generatione prior est: quoniam verisimile est, oppidò huic in eventum regnum attributum, ne illud vacaret, si præter hunc ex postfacto non extitisset alius: Maluit enim Rex saltem per familiam patriam continuare regnum, si per descendentes non potuit, quàm sinere, ut planè ad extraneos deveniat.

CAPUT VIII.

DE ACQUISITIONIBUS, QUÆ VULGÒ DICUNTUR JURIS GENTIUM.

§. 1.

Non pertinere ad jus gentium illud.] Rectissimè: & mirum quàm egregiè hîc Grotius de vero jure gentium differat, *pertinere illud ad mutuam gentium inter se societatem*, ac fidelissimè distinguat à recepto more inter multos, qui spectat *ad cujusq; populi tranquillitatem, unde & ab uno populo aliis inconsultis mutari potest. Imò & hoc evenire, ut aliis locis atq; temporibus longè alius mos communis, ac proinde jus genti.*

um impropriè dictum introducatur. Hunc pragmaticum sanè juris gentium characterem si Grotius ubique secutus fuisset, non adeò multa retulisset ad jus gentium, quæ interiùs examinata illius objectum non sunt. V. gr. ut nunc solùm de servitute dicam, eam juris gentium strictè sic dicti non esse, ex eadem patet regula, quoniam non habet mutuam gentium inter se societatem, & apud nos Christianos etiam inconsultis aliis gentibus & sine illarum læsione potuit antiquari. Interim tamen neque hoc Grotio concedo, quosdam acquirendi dominii modos, de quibus JCti Romani agunt, pertinere ad jus naturale, si verum jus, non juris permissionem intelligas. Qua de re suprà pleniùs egimus. Cæterùm sine absurditate dicere possum, licere naturaliter occupatione rerum dominium quærere, sed hanc occupationem esse objectum juris naturalis, de quo illud præcipiat vel vetet, non nisi insolenter admodùm & falsè etiam dixeris.

Quamdiu aliud lex nulla constituit.] Vel hæc solùm verba satis ostendunt, Grotio non esse sermonem de vero jure naturali. Quoniam hoc nulla lege humana corrigi aut abrogari potest.

§. 2. *Nam qui in stagno.]* Omninò hîc statuendum est, JCtum Nervum intelligere Sylvam circùmseptam & stagnum, ubi adhuc est via elabendi. Aliàs enim feræ & pisces non essent in naturali libertate, sed possiderentur à Domino, sicut illi, quos caveis aut piscinis inclusos habemus: Et quòd stagnum in jure civili accipiatur pro eo, in quod & aqua influere, rursusque ex eodem effluere potest, multas ex legibus conjecturas

ſturas habeo. Primò quidem edicit prætor *in l. 1. ff. ut in flum publ. nav. lic. ut per lacum, foſſam, STAGNUM liceat navigare.* Cui bono verò hoc interdictum, niſi lacus & ſtagnum haberent exitum, per quem in illa ingredi & egredi poſſemus. Publicum enim eſt hoc interdictum, & omnibus competit civibus, quibus vigore hujus fortè ex flumine quodam per brachium in ſtagnum publicum continens navigare licuit. Quò pertinet etiam quod in *l. 69. ff. de Contr. empt.* creſcere ſtagnum dicitur, quod niſi per influxum aquarum qui aliter fieri poteſt? ſic & dicitur in *l. 12. ff. de A.R.D. & l. 24. §. fin. ff. de aq. & aq. pluv. arc.* locum non dari alluvioni in ſtagno, quo alio verò modo alluvio fieri poterit, niſi aqua moveatur? quomodo autem moveri aqua in ſtagno, niſi per influxum? Sed quid multis verbis opus? *Thuanus libr. hiſtor. 47.* prope Arnæum *duo ſtagna vicina fluentia ac ſeſe conjungentia memorat*, ut his argumentis palàm ſit, non ſolùm JCtos Romanos, ſed & alios auctores ſtagnum latinè de aqua in- & defluente dixiſſe. *Conf. etiam Dom. Ziegl. ad h. l.*

§. 3. *Atqui in rebus omnibus aliis.*] Rationem differentiæ dat *Dn. Ziegl. quia fera per amiſſionem libertatis fiunt noſtræ. Ergo & per recuperationem libertatis noſtræ eſſe deſinunt.* Sed hoc non erat in quæſtione. Veriſſimum enim eſt, feras per recuperationem libertatis noſtras eſſe deſinere, at de hoc quæritur, an ſolo evaſionis auctu etiam invito domino naturaliter libertatem recuperent? Ita etiam liberi homines per amiſſionem libertatis fiunt noſtri, & per recuperatio-

rationem servi esse desinunt. Non tamen continuò servus fugitivus per solam fugam se domino subtrahere & in libertatem asserere potest, imò ne possessionem quidem intervertere, nisi alius eum possidere ceperit, *l. 3. §. 13. l. 13. & 15. ff. de A. vel A. P.* quare placet sententia Grotii, *naturaliter non per se amitti dominium eò, quòd feræ custodiam evaserint, sed ex probabili conjectura, quòd ob difficillimam persecutionem eas pro derelictis habere credamur, præsertim cùm internosci, quæ nostræ fuerint, ab aliis non possint.* Lex Romana autem, quod ex probabili conjectura deducebatur, constituit pro certo, & feras per evasionem libertatem pristinam recuperare voluit.

§. 6. *Cùm ad dominium producendum.*] In iis sc. rebus, quæ jam occupatæ sunt ab universitate; illæ sola lege in dominium alicujus tradi possunt. Quæ autem nondum omninò occupatæ, ad illarum dominium acquirendum requiritur actus corporalis, id quod & de servis dicendum. *Vid. Dn Ziegl. h.*

§. 7. *Quod, cur injuria accusari non possit.*] Imò plenissimum æquitatis jus est, quod Principi thesauros vindicat. Quicquid perpetuò est in territorio alicujus Reip. neque tamen ex privatis dominum habet, illud pertinere ad communitatem, eumque, qui eidem præest, videtur. At thesaurus est quædam olim abscondita pecunia carens domino privato, ideoque fiscum habet dominum, quemadmodum aurifodinæ aliorumque metallorum proventus patrimonium Principis augent, licèt superficies terræ, & quicquid

in

in ea naicitur, sit privatorum. Quare si quis rem velit rectè inspicere, dicendum foret, thesauros in Rep. inventos etiam antè latam ullam legem pertinere ordine civili ad Remp. neque fieri naturaliter inventoris. Fient autem tum demum inventoris, si in locis, quæ planè nullius sunt, reperti fuerint, nam tunc quoque thesaurus nullius est, sed occupanti cedit.

§. 9. *Utrumq; est populi.*] Nec enim hîc audiendus Vinnius, qui existimat *ad §. 22. I. de R. D. n. 6. alveum non simpliciter publicum esse, sed quatenus tenetur à flumine, eoq; per flumen populus utitur.* Nam in distributione rerum, quas universitas occupavit, privatis quidem circa flumen agri assignati sunt; ipsum verò flumen & alveus populi mansit, ut nihil causæ videam, cur privatorum esse debeat, quod nunquam privatis est distributum. At in jure civili sententiam Vinnii obtinere non nego. Cui tamen moribus nostris derogatum est, & reditum ad id, quod magis naturaliter obtinet.

§. 12. *Non ad mensuram.*] I. e. si mensura non tam restrictionis vel limitationis, quàm demonstrationis gratiâ fuerit adjecta. *Vid. Dn. Ziegl. h.*

§. 13. *Siccata parte alvei.*] Notanter adjicit *parte*: nam si totum flumen exaruerit, siccatus alveus etiam in agris arcifiniis manebit populi, quoniam flumen defecit, quod agros arcifinios poterat terminare.

§. 14. *Ut discretum videatur.*] I. e. ut insula videatur id, quo majori temporis parte navigio transiri solet: alluvio verò, quod non adeò

cohæ-

cohærenter eminet, ut in eo majori temporis parte navigari possit. Multum autem refert, alluvio an insula censeatur, quoniam insula pertinet ad Remp. alluvio verò interdum ad privatos, interdum ad universitatem: ut Author noster paulò suprà exposuit.

§. 18. *Ut partus ventrem sequatur.*] Quoad imperii subjectionisque conditionem illud omninò naturale est, & in omni imperiorum genere procedit. Ita natus ex mea serva & tuo servo meus fit, & quem peregrinus pater ex matre cive suscipit, nascitur civis. Non enim attenditur, utrobi majorem partem fœtus capiat, sed à quo sit in lucem editus. Hodie enim inter naturæ scrutatores non constat, an materiale patris semen ad partum aliquid conferat; Harvæus sanè ac plerique eum secuti præter vim πλαστικὴν nihil agnoscunt. De quo ut in re nobis incomperta judicare nescimus. Quod nostrum autem argumentum attinet, non solùm in genere hominum verum est, sequi partum conditionem matris, sed & omnibus aliis rebus, dominio nostro subjectis. Sic equæ aut bovis matris conditionem sequitur partus, non verò maris, cujus domino interdum quidem aliquid admissionis loco datur, sed non nisi ex conventione, qua cessante naturaliter nihil debetur, quoniam equus mas natura instigante egit, & suo facto tertio dominum obligare non potuit.

§. 19. *At si naturalem.*] *Conf. omn. h. Dn. Ziegl.* ubi optimè Grotium explicat, & vindicat contra Vinnium.

§. 21. *Vix autem ulla est tractatio juris.*] *Vid.*

Vid. Goth. ad l. 41. ff. de Contr. empt. & vend. lit. b.

§. 23. *Ut jus habeat.*] I. e. teneri ad fructuum, qui ex re percipiuntur, restitutionem, in quantum est factus locupletior. Censetur autem hactenus locupletior factus, quatenus non est factus pauperior. *Vid. huj. libr. tit. 10. §. 3. 4. 5.*

§. 24. *Idem dicendum videtur.*] Malæ fidei possessor, quatenus sumptus & impendia deducere vel tollere possit, alibi tradunt JCti. Extra leges civiles Grotii opinio veritati maximè est consentanea.

CAPUT IX.

QUANDO IMPERIA VEL DOMINIA DESINANT.

§. 1.

Quia voluntate cessante.] Ita rectè naturaliter, quia sola animi destinatione desino esse dominus. Lex verò civilis *in l. 17. §. 1. ff. de A. vel A. P.* insuper factum requirit, ad hoc scilicet, ut de derelictione constet, & alius occupans, qui à priori domino, quem fortè derelictionis pœnituit, convenitur, certa quadam abjectionis probatione legitimet occupationem rei à possessione & proprietate vacuæ. Neque Grotius in *h. §. & §. 3. c. 4.* sibi contrarius est, ut existimat Ziegl. Ibi enim nudis animi actibus per signa non indicatis efficientiam juris negat, & hoc quoad jus extraneo conferendum verum est, non quoad jus proprium amittendum. Distinctissima hæc sunt, & non

non tam facilè jus alteri confertur, quàm suum amittitur, ad illud enim pertinet & voluntas dantis signis externis indicata, & accipientis consensus. Ad hoc sola amittentis voluntas sufficit.

Quia non sunt hæc occupabilia.] Antiquo Romanorum jure servus pro derelicto à Domino habitus non perveniebat in libertatem, sed cedebat occupanti, ut existimant DD. *per l. ult. ff. pro derel. & l. 38. §. 1 ff. de Nox. act. & l. 36. ff. de stipul.* Quamvis hæ omnes leges commodam interpretationem accipiunt. Quicquid sit, id Nov. 22. §. 12. correctum est, quam malè *Ludvvell ad Inst de his, qui sui vel. al. jur. §. 2.* eò restringit, *ut quidem domini eos repetere nequeant, ab aliis occupari vel apprehendi possint.* Nam hoc & favori libertatis & verbis à Nov. minimè congruit, in qua *constituuntur liberi, & secundùm pro derelicto titulum, sui.* Qui autem semel liber est, ille occupanti non cedit, non obsistentibus ultimis d. nov. c. 12. verbis, quia illa exempli gratiâ saltem adjecta sunt.

§. 3. *Particulis paulatim commutatis.]* Citata ad marg. *l. 76. ff. de judic.* meretur legi, ubi id præcipuè notandum venit, quod dicitur, *nos ipsos non eosdem esse, qui abhinc anno fuimus, quod ex quibus particulis minimis consisteremus, hæ quotidie ex nostro corpore decederent, aliæq; extrinsecus in eorum locum accederent.* Quod Medicis discutiendum relinquimus. *Vid. Quarin.* von Greul der Verwüstung menschlichen Geschlechts *l. 4. c. 1.*

Idem tempore putatur.] Id quod tamen in pœnis aliisque, quæ de universitate dicuntur, non

per

per se, sed derivatione à singulis facta notabilem limitationem recipit. *Vid. Grot. l. h. c. 21. §. 8.*

§. 8. *Quo loco in conventibus sedere debent.*] Quo fundamento nitebatur Cosmus Magnus Hetruriæ Dux. Cùm enim ei quæstio præcedentiæ mota fuisset ab Alfonso Ferrariensi, qui *Attestimi familiæ antiquitatem, quâ omnibus Italiæ Principibus procul dubio antestant, & Principatus dignitatem ingerebat.* Responsum à Cosmo est, *se Reip. Florentinæ loco esse, quæ semper Ferrariæ Ducibus dignatione præviisset.* Ac Ferrariensis quidem pro tempore in Gallia favore primas obtinuit. (*a*) Apud alios verò Christianos Principes præcipuè verò Imperatorem Ferdinandum Cosmus rationibus vicit, nec æquum visum fuit, Cosmum possessione dejici, quâ à multis retro temporibus potior erat. *Vid. Limn. jur. publ. l. 4. c. 9. n. 87.* Tandem etiam Ferrariensis in Gallia possessione primùm, deinde omni jure excidit, & sic ab omnibus pro Duce Etruriæ pronunciatum fuit, ex nulla ferè ratione alia, quàm quòd Cosmus loco Reip. Florentinensis sit, quæ semper dignitate Ferrariensem præcesserat. (*b*) Atque hinc vanum omninò metum fuisse existimo, quem Parlamenti Anglici Proceres Jacobo Regi Angliæ, Scotiæ atque Hiberniæ, (qui tria hæc regna titulo magnæ Britanniæ conjungere in animo habebat, *(* insinuabant, dicentes, *que la preseance du Roy devant un autre Roy Chrestien, qui se considere & se conserve par l' antiquité du Royaum, & non par la*

Mm gran-

(*a*) Thuan. Hist. l. 33.
(*b*) Ibid. l. 44.

grandeur ni l'eſtendue pourroit eſtre offensée, & ſeroit a craindre, qu'on ne lui donnaſt la denire place, pource qu'il ſeroit nouveau Roy & le dernier venu (a) Jacobus enim, ſi ſe Regem Magnæ feciſſet Britanniæ, in ſeſſionibus eum obtinuiſſet locum, quem ex tribus illis regnis antè obtinuerat id, quod cætera dignitate præceſſit.

§. 11. *Nobilis.*] Hoc argumentum pleniorem curam poſtulat, quàm ut hîc tractari poſſit. Enucleatè de eo nobis in (b) Aquila Germanica agendum erit. Quò lectorem interim differimus.

CAPUT X.

DE OBLIGATIONE, QUÆ EX DOMINIO ORITUR.

§. 1.

Bona quis an mala fide.] Illud tamen interest, quòd malæ fidei poſſeſſor ſuis quoque ſumptibus rem teneatur reſtituere, quia obligatur ad omne id, quod domino ratione rei abeſt. Quò & impenſæ pertinent, quas dominus ad recuperationem rei facere coactus eſt.

§. 2. *Replicabitur de dolo.*] Quam replicationem eò pertinere exiſtimo, ut is, qui replicat, dicat, etiamſi ſervus ob revocatum mandatum non teneatur ex inſtituto, quia tamen in rem domini vertit, aut peculium habet, de in rem verſo vel peculiari actione dominum conveniri rectè poſſe: non attenta exceptione revocati mandati, quæ ad omnem actionem elidendam ſufficiens non

(a) Pierre Matthieu l. 7. narrat. 1. p. 652.

(b) l. 1. c. 2. theſ. 75. 76. 77. &c.

non est. Illa itaque doli replicatio non directò elidit exceptionem revocati mandati, nec enim hoc potest, quia mandatum revera erat revocatum, & si neque in rem domini esset versum, neque servus haberet peculium, non potuisset opponi. Sed saltem est, ut ita dicam, præparatoria actionis de in rem verso, aut de peculio, quia dolo videtur facere, qui revocati mandati exceptionem opponit ad actoris intentionem repellendam, cùm tamen teneatur alia de in rem verso vel peculii actione, per quam idem actor consequi potest.

Utilis ni fallor.] Quærit hîc Dominus Zieglerus, cur verò utilis? negotium enim gestum esse ipsius defensoris, ait, qui fidejussoris pecunia liberatur, & hoc sufficere ad negotiorum gestorum actionem. Sed malo ego accedere Grotio. Non enim ad directam negotiorum gestorum actionem sufficit, alicujus negotium esse gestum, sed & insuper requiritur, ut negotium gerendum sponte sua ac libera voluntate suscipiat. Qui verò ex necessitatis opinione licèt falsa gerit, negotiorum utilem actionem habet. *Ut DD. communiter ad tit. ff. de Negot. gest. commentantur. Vid. Wes. ibid.* Quare cùm in nostro casu fidejussor gerat negotium defensoris non sponte, sed ex mandato & jussu matris filii, pro cujus defensione voluit fidejuberi, ideo rectè non directam, sed utilem negotiorum gestorum actionem fidejussori in defensorem damus.

Utilis vindicatio.] Datur item pupillis utilis earum rerum vindicatio, quæ ipsorum pecuniâ comparata sunt,

Cum debitore meo.] Supplendum *ex l. 32. ff. de Reb. cred. quem tibi promittere jussi.* Ut ita mea voluntate meoque facto debitoris mei mihi debita ad te perveniant. Nam si absque meo jussu cum debitore meo contraxeris, mihi nulla acquiritur obligatio.

§. 4. *Nam industriæ fructus.*] Hi tamen hactenus rei deberi videntur, quatenus sine illa non poterant generari. Itaque cum Dn. Zieglero mihi magis naturale videtur, ut dominus aut pretium impensarum solvat, aut, si nolit, patiatur sumptus & industriam cum fructibus pro rata compensari.

§. 5. *In hoc locupletior censetur.*] Quia non est factus pauperior, *l. 47. ff. de Solut. Dn. Ziegl. h.*

§. 7. *Non tenetur.*] Exceptio est, si illius donationis intuitu rursus à donatario dona accepit. Tunc enim tenetur pro quantitate rei donatæ.

§. 8. *Prodegerit pretium.*] Bona tamen fide, pecuniam ex re gratuitò quæsitâ acceptam hilarè iterum consumendo, quam adeò liberaliter non esset consumpturus, si cum opum suarum onere fuisset acquisita.

§. 10. *Non posse eam restituere venditori.*] Contra venditorem tamen habebit nihilominus condictionem pretii ex eadem æquitate, quia venditor ex re aliena factus est locupletior. Emptor enim rem restituit, pretium autem, quod in eam impendit, est apud venditorem, quod illi restitui æquum & bonum est. Ne quis cum damno alterius nullâ ejus culpâ fiat locupletior.

§. 12.

§. 12. *Prioris domini voluntate.]* Objicit hîc Dominus Zieglerus, quòd voluntas domini in causa turpi sit corrupta, & ideo dominium non transire putat. Verùm ut naturaliter dominium transeat, sufficit sola domini consentientis voluntas libera, dolo vel metu non intercepta. Causa autem impulsiva transferendi dominii turpis an honesta sit, quod quidem ipsam translationem attinet, nihil refert. Cum quo convenit, quòd ad dominium transferendum nihil interfit, bona an mala fide quis acquisiverit. *Bachov. allegat. à Ludvvell. ad §. 25. num. 2. I. de R. D.*

CAPUT XI.
DE PROMISSIS.

§. 1.

Præsertim ubi lex civilis.] Notanter admodùm hanc exceptionem Grotius adjicit; Nam quando lex civilis quibusdam actibus obligationem subtrahit, tunc cives contrahendo non obligantur, non ideo, quòd naturale vitium sit in obligatione, sed quoniam majestas, quæ est quædam domina & moderatrix omnium subditorum actionum, contractum lege lata irritum esse voluit, ademptâ contrahentibus facultate agendi ad illum actum necessariâ. Nam hoc in confesso est, etiam naturaliter eum non obligari, qui facultatem sive contrahendi jus non habuit. Sive itaque illa facultas ex defectu naturæ cesset, ut fit in infantibus & furiosis, qui, quid agant, nesciunt, sive per legem civilem subditis auferatur,

actus nullus est ob defectum legitimæ agendi potentiæ. Atque in hunc modum explicanda sunt omnia, quæcunque in jure Romano legere licet, in quibus naturalis obligationis efficaciam jus civile suspendere dicitur. Non quòd aliquid per legem civilem in jure naturæ mutetur, hoc enim est impossibile, sed quòd objectum juris naturalis esse desinat, quod ante legem verum objectum erat. Sic quando docemur in Romana jurisprudentia, nudis pactis neminem efficaciter obligari, id non eò pertinet, quasi jus naturale in hoc articulo mutatum esset, quod vult, ut omnes ad id, quod seriò promiserunt, adstringantur. Sed ideo non servantur nuda pacta, quoniam in iis deficit facultas paciscendi. Quippe majestas, quæ prudenti consilio prospexerat, multa incommoda, innumerasque lites in Remp. inundaturas, si ex quolibet temerario promisso quivis obligaretur, certos modos formulasque obligationum verbalium esse voluit, ex quibus certò liceret colligere, animum & voluntatem contrahentium non fuisse erroneam aut præcocem. Neque enim etiam jus naturale per quodvis præceps & inconsideratum promissum promissorem devincit, sed insuper deliberatam ad se obligandum voluntatem, & cognitionem ejus, quod agitur, plenariam requirit. Ex quibus verò argumentis aut conjecturis illa voluntas colligenda sit, non determinat. At legislator, qui propiore cura Remp. administrat, cùm videat, ex ipsa illa disputatione de adhibita sufficiente voluntate, damnosa rei communi litigia seri posse, ad omnem difficultatem tollendam certos modos se

per

per verba obligandi conſtituit, & quicquid extra eos ſit, hoc loco atque ſtatu eſſe juſſit, ac ſi ſeriò negotium geſtum non fuiſſet, ademptâ ſubditis contrahendi facultate, adeò ut actus finem, quem intendit, nequeat conſequi. Non igitur hac ratione corrigitur jus naturale, ſed explicatur, non mutatur, ſed determinatur & confirmatur. Simili modo per SCtum Vellejan. prohibetur mulier fidejubere, & fidejubens non obligatur, quæ non habebat jus ad fidejubendum. Non ergo obligatio eſt per ſe valida, ſi totus actus cum ſuis circumſtantiis inſpicitur, ſed tum demum, ſi fidejuſſio mulieris conſideratur abſtracta lege civili. Tunc enim nullum morale vitium impedimento eſt obligationi acceſſoriæ mulieris.

In actiones noſtras par jus habeamus.] Id quod rurſus ſubdata limitatione intelligendum, ſi lex civilis impedimentum non affert, quod omninò facere poteſt. Sic enim voluntas atque actiones ſubditorum imperantis voluntati directioniſque ſubjacent, ut ab illa omnem validitatem & ſubſtantiam quandam civilem conſequantur, irritumque & nullum omninò ſit, quod publicæ proviſioni repugnat.

De pecunia conſtituta.] Iterum ſola & adæquata cauſa, quòd conſtitutum valeat, eſt voluntas legislatoris, in cujus rationes ſcrupuloſo examine non debemus inquirere. Ineptiunt cum legibus omnes Jureconſulti, qui duplicem fidem, quam violare iniquum ſit, urgent. Nam & ſimplicem violare fidem flagitioſum eſt, & duplex illa fides non ſemper commodè concurrere videtur.

Digitized by Google

Quoniam enim etiam constitui id potest, quod alter debet, quomodo in eo, qui constituit, si pacta non servet, duplex fides periclitetur, non video, quandoquidem ipse semel tantùm de obligatione alterius in se recipienda promisit; quid verò data fides tertii ad me, ut graviùs peccem, si noluerim stare conventis? Deinde datur actio ex constituto contra eos, *qui aliquid ex priori obligatione sive valida sive invalida, ut ait Wes. de Const. pec. n. 1. soluturos se constituerunt.* At verò, ubi obligatio est invalida, quomodo fides data in periculo est? cùm invaliditas obligationis fidem quasi manumittat, ne teneatur servare placita. Porrò nudum pactum semel initum per se non valet ad producendam actionem, qua ratione ergo duo nuda pacta valebunt, quorum utrumque seorsim consideratum inefficax est? Ex eo enim, quod suâ naturâ est inhabile, licèt millies cumules, & ad quintam usque essentiam trutines, nulla surgit habilitas; cùm pluralitas nequicquam conferre possit, ubi res in se non est apta nata ad effectum producendum. Quapropter laudanda est Dn. Hahnii candida ingenuitas, quando deplorata *l. 1. ff. de Constit. pec.* ratione (*quòd grave sit fidem fallere*) rei potiùs veritati, quam auctoritati legum studet, & ad præsentissimam, causam, legislatoris sc. voluntatem se confert. *Ratio*, inquit, *quare hoc constitutum producit actionem, est, quòd Prætor hoc faciat pactum vetitum.* Et ita non fides duplex, sed auctoritas Prætoris constitutum ad producendam actionem habilitat. *Neq;*, pergit, *ad rem facit, quòd ex nudo pacto, cujusmodi est constitutum, nulla*

est

est actio. Etenim subinde fit in Rep. ut quæ generaliter & uno modo constituta sunt à primo legislatore, (cujusmodi est quod dicitur in l. 7. §. 4. de pact. nudum pactum jure civili non producere actionem,) certis in casibus ac ratione circumstantiarum, à secundo legislatore, qualis est Prætor, aliter statuantur. Hic data occasione breviter admonere, temperare mihi non possum, gravissimos lapsus & perpetuos errores eorum esse, qui splendore & majestate jurisprudentiæ nostræ occæcati, nihil præter eam videre aut dicere volunt, & quibus religio maxima est, vel latum unguem à vestigiis & assertis legum Romanarum discedere. Cùm tamen in aprico sit, non solùm quædam injusta, (*qualis est l. 5. C. ad L. Jul. Maj. de qua infr. c. 20.*) sed & multa inconsiderata corpus nostrum juris continere. Id quod ejus dignitati nihil detrahit; Nævi enim quidam in corpore venusto non minuunt pulchritudinem ejus, sed quandoque augent, & ex varietate amicæ repugnantiæ amabiliorem speciem conciliant.

§. 2. *Assertio explicans de futuro animum.*] Mallem Grotius hanc suam assertionem verbis magis perspicuis aut exemplo subjecto declarasset, ut nobis constaret, quousque illam vellet extensam. Nunc quandoquidem hoc non factum, & insuper Dn. Ziegl. hunc & seqq. aliquot §§. religioso prætereat silentio, per quod tamen lectori dubio non admodùm consulitur, auguror ego, assertionem hîc Grotio aliud denotare nihil, quàm spem quandam, quæ alicui sit, posse fieri, ut aliquando eidem ego rem meam vel do-

nem vel vendam. Quæ spes promissum quoddam obligans non inducit, cùm ego me obligare noluerim, sed solummodo retenta libertate sic vel aliter agendi continet explicationem animi mei, qui nunc est, ut & de futuro ita esse possit, sic tamen ut sine ullo inconstantiæ crimine esse etiam non possit. Quoniam *animus humanus non tantùm habet naturalem potentiam mutandi consilium, sed & jus*, ut rectè ait Grotius; i. e. non tantùm potest quis de facto consilium, de quo semel cogitare cepit, mutare ex aliis rationibus, sed & optimo jure hoc licet: & si in mutatione sententiæ vitium sit aliquod, quod fit, quando prior sententia erat melior, id non est intrinsecum mutationi; (h. e. illud de jure seu competente facultate mutandi consilium nihil derogat,) sed provenit ex materia, quòd prius consilium fuerat melius, cui non substitui debuisset deterius aliquod. Itaque capio mentem Grotii hoc modo: assertionem explicantem de futuro animum, qui nunc est, præter spem factam de futuro promisso, si ita mihi libuerit, nihil aliud importare; qua in sententia me confirmat non solùm, quòd locus pœnitentiæ detur absque ulla perfidia, sed & quia ad essentiam & validitatem hujus assertionis sufficit sola veritas cogitationis pro tempore præsenti, non autem ut in ea cogitatione perseveretur, quod naturæ spei incertæ examussim convenit, utpote nullius obligationis introductoriæ, nec indeterminato & innocuo promisso quicquam de plenaria agendi libertate delibantis. Quod si verò falsitas cogitationis pro tempore præsenti intervenit, tunc vitiatur

asser

assertio ex ratione, quia in ipso actu dolus quidam subest, & animi sententia non verè, prout erat, sed subdolè explicabatur, faciendo alicui spem de futuro, revera autem & interiori cogitione de eodem verbis inanibus implendo ac eludendo consilium capiens.

§. 3. *Pollicitatio dici potest.]* Est itaque pollicitatio, quando quis ex sua promissione alteri obligatur ita, ut tamen ei, cui obligatur, jus non sit, quicquam exigendi, quia promittens sine vi illa ἀναγκαστικῇ se voluit obligare, quod ipsi cavere integrum est, qui res suas quocunque modo & conditione transferre potest. Et distat hæc pollicitatio ab assertione in §. præc. explicata, quòd in illa, sc. pollicitatione, pœnitentiæ non sit locus, sed omninò ad exsolvendam fidem promissa implenda sint, quamvis ad eorum impletionem cogi nequeas. Multis enim casibus evenit, ut obligatio sit in nobis & nullum jus in alio: A pacto autem & perfecta promissione, de qua in seq. §. differt, quia hoc pactum confert jus exigendi quod promissum in eum, cui promissum. Pollicitatio verò facultatem hanc exigendi non concedit, sed fidei præstationem arbitrii sui esse vult, quoad coactionem sc. externam. Moraliter enim nihilominus cogitur ad servanda pacta, nisi gravissimum perfidiæ crimen incurrere malit. Quamobrem imprimis hîc cavendum est, ne pollicitationum naturalem & primogeniam indolem juris Romani præjudicium corrumpat, in quo circa eam multa innovata videas. Primò enim illo jure pollicitatio seu promissio unius consensu facta non obligat, si privatis fiat. Id quod tamen

men commodè secundùm naturam pollicitationis intelligi potest, ut non obliget, quoad exactionem, quam potissimùm in omni obligatione spectare legislatores solere extra controversiam est, nec illam conventionem contractus nomen mereri putant, ex qua alteri nullum jus quæritur. Quo sine si esset, plerosque contractus præter inane nomen nihil habituros providebant, nec in tantis humanæ naturæ corruptelis sperandum fore, ut quisque sua sponte fidem exsolveret, quam alteri obstrinxerat, nisi ad id in eventum contumaciæ efficacissimis juris remediis posset compelli. Quanquam igitur pollicitatio μονοπλεύρως obligans effectibus suis non careat, sed gravet conscientiam & perfidiæ reos faciat, qui pactis non stant, illos tamen legislator non admodùm attendit, quia in ejus, qui tenetur pacta implere, arbitrio est, ut etiam absque metu & coactione physica possit non implere. Idcirco dicunt leges ejusmodi pollicitationes non obligare, & nullarum esse virium. Deinde Romanis legibus tum demum pollicitatio valida est, si fit Reip. aut Civitati cuipiam, idque ex justa causa, per quam seria animi nostri se obstringere volentis appareat deliberatio. Quare qui pollicetur munus edere aut ludos exhibere, si fuerit factus consul vel ædilis, si honoris, si decreti impetrandi gratiâ promisit: tenetur, & ad præstandum cogitur, *l. 1. §. 1. & fin. l. 6. l. 9. ff. de Pollicit.* idem est, si ob alias causas, quæ Remp. concernunt, ut propter cladem vel incendium, quod Resp. passa est, voverit, *l. 4. l. 7. ff. eod.* Et his casibus promissoris liberalitas initio

initio voluntatis ex promisso necessitatis esse incipit. Quod si autem sine justa causa facta est pollicitatio, etiamsi Reip. non valet, quia seria ad se obligandum cogitatio non præcessisse præsumitur, nisi ex aliis indiciis possit colligi. Quorum præcipuum est, si negotium promissum jam inchoare ceperit, *l. 1. §. cepisse ff. de pollicit.* inchoatio enim maturam & deliberatam promissionem infert; *Wesenb. de pollicit. n. 2.* Hæc ita, ut dixi, jure Romano circa pollicitationem. Absque illo autem longè aliter. Quippe sive Reip. sive privatis pollicitatio fiat, valet quoad obligationem & necessitatem implendi ex uno latere. Et quamvis Reip. quid promissum fuerit, non magis illa ad exigendum jus habet, quàm privatus quilibet alius. Sicuti & inchoata res nemini per actum inchoationis jus exigendi concedit, sed potest is, qui fecit pollicitationem, à cepto opere cessare, quia pollicitatio, quamdiu intra terminos suos consistit, secundùm indolem naturalem ad impletionem propriæ fidei provocat, omnem verò extraneam coactionem excludit. Atque ex his simul lux affunditur assertioni Dn. Hahnii, qui *ad Wesenb. tit. de pollicit. n. 1.* scribit: *Equidem pactionem & conventionem fieri duorum consensu, & pollicitationem esse solius offerentis promissum, sed inde non sequi, ergo pactum fieri duorum, pollicitationem verò tantùm unius consensu.* Scilicet etiam in pollicitatione fingit consensum ejus, cui fit pollicitatio, nimirum Reip. *cujus assensus statim intelligitur adesse, ubi justa causa subest pollicitationis ob favorem & utilitatem Reip.* Quæ assertio hacte-

nus

nus tolerari potest, si pollicitationem capit, ut jure Romano informata est. Extra illud verissimum manet, alicui etiam sine ejus consensu pollicitationem fieri posse, & promittentem efficaciter, quod ipsum concernit, obligari, licèt deficiat jus exactionis, ut impleatur fides. Porrò illud quoque notari velim, ne quem turbet, quod dixi, pollicitationem jure civili dum demum valere, si fiat Reip. cùm tamen *Zas. in pr. de V. O. n. 6.* scribat, valere, etiamsi privatis fiat. Nam vix est, ut hanc sententiam recipiamus, quandoquidem in toto Pandectarum titulo *de pollicitat.* illud legere non datur, sed in omnibus ferè legibus, Reip. aut civitatis, honorisque vel muneris publici mentio fiat, nullibi verò pollicitationis, quæ in privatos collocata est. Deinde plerique DD. necessarium requisitum esse statuunt, ut pollicitatio in Remp. vel Civitatem conferatur. *Ita Wesenb. & ad eum Hahn. de pollicit. n. 2.* quemadmodum etiam in eo lapsus est Zas. d. l. quod pollicitationem regulariter ne naturaliter quidem obligare existimat, quòd non sit respectiva, nisi certis casibus. Deceperunt enim Zasium legum civilium asserta, extra quæ nos rem se multò aliter habere, & pollicitationem non solùm duobus casibus, sed semper, quando se voluntas semel pro futuro cum signo sufficiente ad indicandam perseverandi necessitatem determinavit, obligare diximus, quamvis alteri jus exigendi non largiatur. Non enim est de essentia obligationis, ut sit respectiva, sicut loquitur Zas. licèt nec satis capiam, quid sit illud, esse respectivum? Obscura & ambigua loquendi ratio potissimùm duo-

bus

bus modis accipi potest. Vel enim respectiva obligatio dicitur, quæ habet synallagma, sive mutuam ad invicem obligationem. Vel quæ dat alteri simul jus exigendi, & ita non tantùm obstrictæ fidei, sed & juris alteri concessi respectum habet. Neutro modo respectus iste intrat naturam & essentiam obligationis. Non priori: quoniam aliàs mutuum, stipulatio & alii contractus μονόπλευροι verè non obligarent, quia non sunt utrinque obligatorii, id quod tam à ratione quàm juris veritate abhorret. Non posteriori: quia jam suprà demonstravimus, multis casibus evenire posse, ut obligatio sit in nobis, & nullum jus in alio. Sicut & qui liberalitatem exercet, ex virtutis præcepto obstrictus est donare iis, quibus maximè convenit. Et si secus fecerit, non facit ea, quæ recta ratio & honestas jubent. Nemini tamen jus est petendi, ut sibi potiùs, quàm alii donet, licèt is, cui donat, te minùs sit dignus. Antequam à Zasio abeam, allegatus locus dat mihi occasionem Canonistarum quorundam stoliditatem ridere; Ita enim allegati à Zasio ajunt; ex æquitate canonica pollicitationem obligare. Quasi verò jure civili iniquè circa hanc rem quicquam esset constitutum, quod intempestiva interpretum correctione egeret, cùm tamen in dubio utraque jura invicem dissentire non præsumantur.

Quibus simile.] Ex quo simul colligitur, si is, qui pollicitationem fecit, fidem non servat, eum non peccare contra justitiã expletricem, utpote quę jus strictè sic dictum alteri concedit, sed attributricem, dum non ea facit, quæ honestas

&

& recta ratio facere imperant, excluſa omni coactione ad implendam pollicitationem.

§. 4. *Venire ex natura immutabilis juſtitiæ.*] Et ita ex norma & fundamento ultimo juris naturalis, in quod omnia ejus effata reſolvuntur.

Quod autem ſit animo non deliberato.] De hoc jam *in pr. h. cap. egimus.*

§. 5. *Aliud cenſendum de minoribus.*] Obſervandum, quòd Grotius hîc minores intelligat, non ut in noſtro jure opponuntur pupillis, qui ubi in ſuam tutelam pervenerunt, in minorennitatem tranſeunt: Sed quatenus uſu & exercitio rectę rationis uti poſſunt: id quod generali determinatione comprehendere impoſſibile eſt, ſed, ut rectè vult Grot. ex actibus quotidianis, & ex eo, quod in quaque regione communiter fit, dijudicandum erit. Illud tamen bene exinde colligere licet, ſi in aliqua Rep. tetminus ætatis ad contrahendum habilis fuerit poſitus, quòd is poſſit in quodlibet ejus civitatis membrum & inprimis quoque ejus Principem retorqueri, hoc modo. Si Princeps pacta cum quadam Rep. contracta nolit obſervare eo colore, quaſi lubrico ætatis lapſus, qui tamen communem in illa Civitate ad ſponſiones faciendas maturitatem conſecutus eſt, tunc eum ætatis exceptione non debere juvari exiſtimo, quoniam allegaret propriam turpitudinem, utpote qui, quam ætatem ſuis civibus & ſubditis rebus prudenter & circumſpectè gerendis habilem maturamque judicavit, illam in ſe Princeps eludendæ fidei & quærendi diverticuli causâ fallaciis obnoxiam eſſe velit, eodem

dem simul in honesto effugio omnium Principum religiosæ existimationis ob vile bonorum fortunæ emolumentum nefarius proditor, quos opinio vulgi & scriptorum consensus non solùm ex divino quodam semine conceptos, sed & spiritu singulari animatos prudentiæ & rectissimi judicii usu vulgaris conditionis homines tempore antevertere constanter asserunt.

Tanquam subditus temporarius.] Non quòd verè subditus sit, qui secundùm omnes summæ potestatis facultates obsequium præstat, idque ideo, quoniam imperio Principis subest. In hunc enim numerum advenam nemo facilè collocaverit, cui omnibus horis jus est, iterum è Civitate discedendi, seque subducendi illius jurisdictioni. Id quod vero subdito concessum non est, qui majestati perpetuo vinculo ita obligatur, ut ea invita se civitate & imperio eximere nequeat. Vera autem ratio, quæ peregrinum institutis & moribus Reip. obligat, est tacitum quoddam pactum, per quod se videtur implicitè ipso adventus sui facto adstringere, cupere omninò, quando sibi expediat vel necesse sit per territorium meum iter facere, aut in eodem aliquantisper commorari, etiam meis legibus cultum præstare & obsequium. Qui consensus tacitus vel ideo solum præsumendus est, ne facto contrario se prodat hostem Reip. & civilis tranquillitatis conturbatorem, in quem deinde potestatibus summis liceret jure gentium animadvertere. Quare sortitur ex hac sua conventione forum legitimum, & sicubi in ordinem publicum deliquerit, legum pœnis subjacet, quas mo-

quod concedendum nullo modo eſt, tamen quavis hora à lege per privilegium poſſet eximi, & eo ipſo, quo ageretur, exemptus eſſe cenſendus foret? Confirmat me in hac opinione egregiè, *l. pen. C. de donat. inter vir. & uxor.* ubi dicitur, *donationes, quas Divus Imperator in piiſſimam reginam ſuam conjugem vel illa in ſereniſſimum maritum contulerit, illicò valere ſancimus, & pleniſſimam habere firmitatem.* Ex quo textu videmus, donationes inter virum & uxorem, quæ regulariter inter privatos prohibitæ & factæ nullæ ſunt, in Principis & Auguſtæ perſona valere. Quæ procul dubio non valituræ eſſent, ſi legibus, quæ in privatis actum faciunt irritum, etiam tenerentur Principes.

§. 6. *Promiſſio fundata ſit in præſumptione quadam facti.]* Rectè hîc annotat Dn. Zieglerus, præſumptionem illam facti debere eſſe talem, quæ promiſſionem ſubſtantificet. Non verò ſi eidem ſaltem cauſam & occaſionem præbuerit: quo cum ferè convenit diſtinctio erroris in antecedentem & conſequentem. Error antecedens eſt, qui dat actui cauſam, ita ut niſi præceſſiſſet voluntatem, actio ſecuta non fuiſſet, qui ſine dubio pactum nullum facit, & ille eſt, quem Grotius intelligit. Error conſequens ſive concomitans actum dicitur, qui actionis cauſa unica non eſt, ſed etiamſi abfuiſſet, actio tamen fuiſſet ſecuta. h. e. ubi quis ita affectus eſt, ut etiamſi ſciret aliter quàm exiſtimat, nihilominus faceret: quem Zieglerus ſaltem occaſionem actui præbere dicit. Quod dolum malum attinet, Dn. Hahn. exiſtimat naturaliter & ſepoſita lege civili

ad contractuum, quibus dolus intervenit, validitatem aut invaliditatem examinandam attendi debere ad substantialia contractus atque ejus accidentalia. In substantialibus dolum contractum vitiare, non verò in accidentalibus. Hæc jure civili ita recipi potuisse, sicut nullus dubitaverim, ita sine ullius adminiculo naturaliter dicto modo se habere vix credo. Quod ut ostendam, res ab ovo est petenda. Distinguunt DD. communiter contractum in ejus essentialia, naturalia & accidentalia. Essentialia esse ajunt, quæ cujuslibet pacti essentiam concernunt, & quibus deficientibus ipse contractus nullus est. Naturalia, quæ quidem tacitè contractibus insunt, ita tamen ut possint etiam non inesse, & contrario placito mutari. Accidentalia, quæ neutro modo insunt, neque tamen etiam naturæ contractuum repugnant, sed expressa contrahentium voluntate adjici conventionibus possunt. V. gr. in emptione & venditione contractus essentiale est, merx, pretium & consensus. Quorum uno omisso, emptio & venditio celebrari nequit. Naturale est evictio. Utpote quæ omni emptioni tacitè adhæret, sed ut possit pacto excludi. Accidentalia verò, quæcunque pro lubitu à contrahentibus adjiciuntur pacta, ut legis commissoriæ, addictionis in diem. His præmissis quomodo dolus in accidentalibus interveniens contractum naturaliter non vitiet, non video: quoniam enim accidentalia ea sunt, quæ contractui præter ejus naturam pacto adduntur, omninò præsumptionem contrahentium in illis simul fundari dicendum est, quoniam voluntatem utrinque luculenter expresserunt,

runt, contractum non inituri, si de dolo pacti adjecti constitissent.

Nam & hîc distinguí solet.] Hahnius distinguit inter contractus lucrativos & onerosos, *ad Wesenb. quod met. caus. n. 5.* existimatque, *quòd ad donationem plenum voluntarium requiratur jus natura, quia non conveniunt liberaliter disponere de rebus, & cogi, atque ex iniquitate alteri lucrum concedere, cùm alterum per alterum destruatur, nec dici possit liberaliter dare is, qui donat invitus. Contra contractus onerosos metu celebratos validos censeri, quòd substantia eorum saltem requirat titulum legitimum, &, ut habent, non quidem praecisè & omnimodo, sed simpliciter voluntarium.* Quæ mihi tamen non adeò probantur. Quod enim de libero & voluntario dicit, ejusque liberiorem usum in contractibus lucrativis quàm onerosis esse debere vult, ideo non recipio, quia in omnibus conventionibus rectè atque ex ordine celebrandis metum injustum abesse oportet, & ex adverso liberum contrahendi arbitrium utrinque adesse, & non video, quomodo omnes rationes, quas pro donatione Dn. Hahnius adduxit, non possint etiam contractibus onerosis applicari. Neque etiam hoc verum est, quòd substantia contractuum onerosorum saltem requirat titulum legitimum. Nam & in onerosis extra titulum dolus interveniens contractum nullum facit, ut ita titulus legitimus non sufficiat. Verior itaque est nostri Authoris sententia, metum per se contractum non facere nullum, quia consensus purus & absolutus fuit adhibitus.

Nec obstat, quòd metu fuerat extortus: nam nihilominus liber est, quoniam actus eliciti nulla vi externa cogi possunt, & potuisset consentiens consensum suum etiam non adhibuisse. Et quamvis extra metum maluisset non contrahere, consideratis tamen temporis & loci circumstantiis simpliciter & absolutè contrahere vult: ut rectè Grotius authoritate Aristotelis & exemplo naufragium metuentis comprobat. At verò metum inferens ex suo maleficio lucrum capit? Neutiquam verò: sed tenetur illum, cui vim intulit, promisso liberare, & restituere in integrum ex capite damni injuriâ dati. Atque sic is, cui est metus illatus, naturaliter habet jus vel opponendi exceptionem metus, si res nondum sit tradita, aut saltem promissum de aliquo dando vel faciendo factum cum petitione cautionis de ampliùs non molestando. Aut si res tradita est, ob damnum injuriâ datum ad restitutionem rei, & reparationem damni emolumentique amissi agere potest, adjuncta, si velit, dictæ cautionis præstandæ petitione: ne ampliùs offendatur.

At absolutè vult.] Optimè hîc commentatur Dn. Ziegl. quem vide.

Non justum.] Quod ideo adjicit, quoniam in metu justo & legitimo cessat actio & repetitio ob damnum injuriâ datum. Nam qui jure suo utitur, alteri injuriam non facit. Ideoque etiam Jureconsulti nostri ei, qui in carcerem conjectus aliquid promisit, non indistinctè actionem quod metus causâ concedunt, sed diligenter animadvertunt, dignè an indignè carceri mancipatus fuerit. Illo casu vel quis condemnatus est ad aliquid

quid dandum aut faciendum, quod non vult præstare, & tum Magistratus eum in carcerem jure conjicere & metu carceris ad id præstandum adigere potest: nec propterea locus datur restitutioni, quia Magistratus sententiam latam hoc modo exequitur, & vim justam facit. Vel quis præstitit judicatum, & tum si ab eo per carcerem denuò quid injuriâ extorqueatur, justè petit restitutionem ex capite metus. *Hahn. ad Wes. quod met. caus. n. 3.*

Quamvis levem.] Distinctio enim metus levis & gravis, juris civilis est.

§. 8. *Promissum futuri matrimonii.*] Verùm tale promissum non attenta specialiori legis civilis cura invalidum esse videtur, quòniam materia promissi non est in jure promittentis. Illi enim, qui uxorem actu habet, moraliter non licet alterum superinducere, quare nec de ea ducenda sponsionem facere: cùm tota fides connubialis hodie ita præsenti conjugi debeatur, ut ne sub conditione quidem alteri communicari queat. Cùm & incertum adhuc sit, an secundi matrimonii promissor viventi jam uxori superstes sit futurus. Ut nunc taceam, ejusmodi promissiones improbas spes & illicita in conjugis vitam diuturniorem vota ansamque insidiarum fatalem excitare. Illud libenter concedo, mortuo altero ex conjugibus naturaliter continuò licere superstiti transire ad secunda vota, licèt naturalis honestas jubeat, defuncto quodam temporis intervallo in signum mœroris abstinentia parentare. Sed multa fiunt contra honestatem, quæ

effectu suo non carent, nec defectum quoad substantiam patiuntur.

§. 9. *Promissio facta ob causam naturaliter vitiosam.]* Hic principio observandum est, aliud esse promissionem facti illiciti, & aliud ob causam sive factum naturaliter vitiosum. Exempli causâ, promissio facti illiciti est, si quis mihi promittat homicidium vel furtum &c. Et de hoc *in §. superiori 8.* egerat noster Grotius, illamque nullarum virium dixerat, quoniam materia seu factum non erat in jure promittentis. Promissio autem ob causam naturaliter vitiosam est, cùm ego alicui promitto centum, v. gr. florenos, si mihi hunc vel illum hominem occiderit, si hanc vel illam rem furto abstulerit. Et de hoc *in §. præsenti* quærit Author, an ejusmodi promissio valeat? Et quantum quidem ejus mentem percepisse videor, ita distinguit, ut quod promissarium attinet, i. e. eum, qui ob mercedem malum facinus in se recipit, obligatio nullas habeat vires, nec ipsum ad vitiosum actum obliget: quoniam tamen promissio pecuniæ sub conditione certi facti fuit celebrata, ad quod ob suam turpitudinem nemo adstringitur, idcirco etiam actionem ad pecuniam petendam fore in pendenti, donec promissarius ex libera voluntate conventionis legem impleverit, quâ impletâ incipere obligationem ejus, quod ob turpem causam promissum est: quia ab initio non intrinsecè defecit conventio, sed ejus effectus ab accedente vitio fuit impeditus: at peracto crimine cessat illud impedimentum, & promissio ob turpem causam efficaciter obligat. Quæ tamen sententia mihi non arri-

arridet, nam quoniam promiſſio ſub conditione illiciti facti inita fuit, ad quod promittendum nemo jus aut facultatem habet, ideoque cenſeo, ſicut in aliis conventionibus, quæ conditionem annexam habent, ea deficiente vel impoſſibili ipſa etiam obligatio vel ex poſtfacto annullatur, vel ſtatim deficit: ſic & hîc conditionem continuò tanquam impoſſibilem defeciſſe, quoniam id non poſſe debemus, quod non honeſtè poſſumus: propterea quæ planè nullam obligationem aut exactionem ſubeſſe, etiamſi facinus juxta placita patratum fuerit. Id enim, quod ab initio nullas omnino vires habet, non poteſt ex poſtfacto convaleſcere. At talis conventio, cui facinus illicitum annexum, licèt nondum impletum, propter turpitudinem eſt invalida, tanquam ſub conditione moraliter impoſſibili inita, ideo poſt ſcelus commiſſum neque vitium deponere, neque obligationem, quam nunquam habuit, parere poteſt. Nec me moratur ratio Grotii, putantis, vitium peracto crimine ideo ceſſare, quia promiſſio ampliùs mali illex eſſe nequit, utpote cùm jam illud peractum ſit, ad quod ſua liberalitate illicebat. Reſpondeo enim, primò, omnimodam turpitudinem non tolli, ſed nihilominus ſupereſſe. *arg. l. pen. ff. de Condict. ob turp. vel inj. cauſ.* Deinde obligationem idcirco non naſci, quoniam ſtatim ab initio conventio fuit irrita, ex annexa conditione impoſſibili non phyſicè, ſed moraliter, qualis conditio & inter impoſſibiles refertur, & plerunque eandem vim ac qualitatem quoad actus vitiandos habet, *l. 15. ff. de Condit. Inſtit.* Itaque hoc, ut dixi, modo ſe

res habere videtur, ſi primariam ejus originem non attentâ legum civilium proviſione conſideres. Cæterùm in jure Romano hoc intereſſe exiſtimo, quòd ſc. turpis facti promiſſio ab initio ſtatim non valeat. Velut ſi quis homicidium vel ſacrilegium ſe facturum promittat, §. 23. *I. de Inutil. ſtipul.* promiſſio verò ob turpem cauſam valida ſit, & exceptione demum elidi debeat. *l. pen. ff. de Condict. ob turp. vel injuſt. cauſ.* Qua ſanè pulcherrima diſtinctione hos duos textus, qui primo intuitu invicem collidere videntur, amicè compoſueris, nam §. 23. de turpis facti *ſive ex turpi cauſa* promiſſione, non de ea, quæ ob turpem cauſam fit, loqui, vel ſola ſubjecta exempla declarant. *l.* verò *pen.* agit apertis verbis *de promiſſione ob turpem cauſam.* Neque quisquam mihi rectè objecerit verba initialia §. 23. *ex turpi cauſa.* Quoniam aliud eſt promittere ex turpi cauſa, & aliud ob turpem cauſam. Illud turpis facti promiſſionem denotat, hoc verò promiſſionem dandi vel faciendi ob turpem cauſam tanquam ejus mercedem. Hac luculenta & ad mentem legislatoris accommodatiſſima diſtinctione ſi quis uti velit, non neceſſe habet ad infantes & inſipidas aliorum concordiæ rationes recurrere, quibus textus noſtros magis implicant, quàm ſolvunt. Omiſſis cæteris Dn. Ludweli medelam his legibus adhibitam examinabo, ut lectori conſtet, quàm oſcitanter etiam in leviſſimis cauſis interdum doctiſſimi Viri labi ſoleant. Ita verò ille (*a*) cenſet: Diſtinguendum eſſe, *utrum ſtipulatio expreſſè turpe quid contineat, an tacitè.*

Ut

(*a*) In Comment. ad Inſtit. §. 23. de inutil. ſtipul.

Ut priori casu ipso jure nulla sit, posteriori verò demum exceptione infirmetur. E.gr. si promittat quis se homicidium facturum. Expressa turpitudo stipulationi inest, ideoq; ipso jure nullius momenti est. Si verò inter duos primùm agatur de homicidio perpetrando, postea stipulatio interponatur, promittis id, de quo inter nos convenit, te facturum, tacita turpitudo continetur, proinde ipso jure valet stipulatio, sed exceptione infirmatur. Ingenuè fateor, cùm primùm in elementis Justinianeis periculum feciſſem, & pro tempore in hunc locum, (nam semper Commentariis Dn. Ludvveli cum magno meo emolumento usus sum, de quo ipsi æternas gratias habeo) incidiſſem, continuò super hac conciliatione hæsi, & utramque promissionem eadem indole & effectu esse existimavi, ut propterea utrobique idem juris necessariò statuendum sit. In qua opinione deinde confirmatus sum, quotiescunque vel repetitione vel studio extra ordinem in illo argumento ingenium exercui. Neque me adhuc sententiæ semel conceptæ pœnitet. Nam quod posteriorem stipulationem attinet, ubi primùm actum fuit de homicidio faciendo, & postmodum stipulatio interposita de illo exequendo, de quo paulò antè erat conventum, vel ideo etiam hîc expressa turpitudo continetur, quoniam agitur de homicidio, licèt illud nominetenus non exprimatur: exprimitur tamen re ipsa & stipulantium cogitatione atque animo destinato, qui in omnibus contractibus imprimis advertendus est, adeò ut si appareat de vera mente, etiam verba interdum impropriam interpretationem admittant.

Digitized by Google

mittant. Quare præpostera diligentia [illegible] cavillatoria fuga quæritur, quando certissimè de mente & voluntate constat: atque eadem operâ omnes stipulationes, quæ post mutuam deliberationem super placito, licèt nomine negotii non expresso, interponuntur, tacitè rem continere dixeris, id quod tamen absurdum & à jure nostro incongruum est. Nam si dicitur, promittis, id, de quo antè inter nos actum erat. Vocabula, *id, & de quo*, negotium satis expressè nominant, & nescio, cur in nomine appellativo major vis ad effectum juris producendum sit, quàm in eo, quod rem alio modo clarissimè definit. Si falsa demonstratio legatum non vitiat, quando minùs vera & seria de re quadam, licèt sub ea formula, de qua dictum, conventio ejus naturam & effectum mutabit? Est itaque una eademque stipulatio, sive dixeris, *promittis ne homicidium*, an, *promittis id, de quo jam inter nos erat actum*, actum verò erat de homicidio. Ultima enim hæc verborum structura non minùs homicidium notat, & eo sensu ab utraque parte accipitur, quàm si genuinum vocabulum pacto fuisset insertum. Nomina enim rebus data sunt, non res nominibus, & nihil refert, utro modo rem quandam dixeris, si saltem sic dixeris, ut ab eo, quocum colloquerêre, possit intelligi. Quo ipso nunc satis patet, jejunam planè differentiæ rationem à Dn. Ludvvelo substerni: quod sc. turpis stipulatio propriè dici nequeat, quæ expressè nihil turpe continet. Nam etiamsi hoc concesseris, (de quo tamen cum Bartoli discipulis meritò ampliùs cogitare liceat) nihil inde contra nos concluditur, quoniam satis hîc

turpe

turpe factum expressum est, quod ita stipulationi inest, ut ab utraque parte unanimi consensu & placito de illo actum fuerit : aliàs nuda nomina majorem vim haberent, quàm res ipsæ, non suis quidem nominibus, sed sufficientibus aliis signis intellectui communicatæ, id quod absurdissimum est. Quare huic Ludvveli (*a*) conciliationi quadrat, quod ille ad antinomiam alio loco componendam, sc. *l. 9. C. de Fideic. libert. cum §. 1. I. Qui testam. tut. dar. poss.* absque ingenuo rubore scripsit. *Quamvis ineptum & pene ridiculum videatur, amplectendum tamen potiùs esse, quàm vel inextricabilem antinomiam statuere, vel expresse Justiniano contradicere.* Quis verò non videt, hoc inerti admodùm refugio aperto, legum omnium conciliationes, quæ DD. ingenia tantopere sæpiùs exercent, facillimo labore confici. Continuò enim quis intrepidè subjecerit, ad evitandam repugnantiam quodlibet puerile & immaturum infelicis ingenii specimen admittendum esse. Qua ratione eluderetur Justiniani Imperatoris prudens admonitio, omnia in jure civili in speciem contraria ingeniorum solertiâ uniri posse, si cuilibet liceret sua somnia concordiæ causâ potiùs amplectenda propinare, quàm antinomiam in jure agnoscere.

Quod in prodiga donatione.] Dubitat hîc Dn. Ziegl an *prodiga donatio etiam omnium bonorum vitium in se habet, præsertim si intuitu rerum cœlestium & beatitudinis æternæ ea fiat.* Sed opinor egoGrotium loqui non de donatione, omnium bonorum indistinctè, nam & aliis donatio

(*a*) Ad d. §. 1. I. qui testam. tut. dar. posi.

tio ex justis causis facta etiam extra respectum juris civilis non prodiga esse potest. Sed de prodiga donatione, vocabulum prodiga moraliter accepta, ut vitium includat. Quatenus quis nulla suarum rerum habita computatione nec inito facultatum calculo sine modo vel ratione solo depravato animi habitu bona impromiscuè dilapidat, & extra ullam selectionem cœco impetu tam indignis quàm dignis omni tempore locóve, & mensura privatas facultates excedente donat. Qui actus sine dubio vitiosi sunt & verè prodigi.

§. 10. *Ob causam antè debitam.]* Quod ita accipio, si creditor debitori suo promittat aliquid, ut sibi debitor aut citiùs tempore solvat, aut ne solutionis tempus moratoriis dilationibus extrahat, & sic creditorem fastidiosis interpellationibus litibusque vexet. Quo cum ferè convenit, quòd creditores cum debitoribus suis, præsertim si eminentioris conditionis sunt, & ob potentiam difficiliores adversarii, de debitis antiquis paciscí solent, certamque remittere quantitatem, ut residuum sine molestia habeant.

§. 12. *Ex vi instrumenti procuratorii.]* Ingens differentia est inter instrumentum mandati procuratorii, quod plerunque legatis ad legitimandam personam cum plenissima agendi potestate conceditur, & instructionem privatam, per quam eisdem seorsim injungitur, in quantum agere vel contrahere debeant: Illud enim alteri parti, cum qua conveniendum est, tam pingui stylo exhibetur, ne contra defectum mandati excipere, & futuras transactiones eludere possit.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam ille ad tractandum non videtur idoneus accedere, qui uno eodemque momento modum transigendi præscribit. Est enim tractatio, quando post varias & interdum difficiles altercationes augendo vel minuendo tandem in unum placitum itur. Instructio autem datur legato, ut Domini sui extremam voluntatem sciat, quousque litis decidendæ causa descendere & quantum de jure remittere possit. Qui si instructionis fines egreditur, vi mandati publici obligatur dominus, sed proditæ causæ gratiam ab irato domino non est quod exspectet.

§. 14. *Sed revocari vetat..]* Potiùs ex principiis juris nostri dicendum, pollicitationem ex causa rationabili factam statim tacita præsumptione populi seu Reip. consensum & acceptationem subsequi, propterea que revocari non posse. *Dn. Ziegl. h. Hahn. ad Wes. de pollic. n. 1. Vide quæ nos suprà ad §. 3. diximus.*

Quod pro infantibus.] *Vid. nos in c. 3. §. 6. h. libri.*

§. 15. *Posterior sensus præsumitur.]* At quæ ratio differentiæ est? Nam qui alteri formam & modum dat cum tertio contrahendi, v. gr. hoc vel illud emendi, conducendi, permutandi, si is, cui mandatum est, præscripti formam diligenter observaverit, statim contractum perfectum esse cupit, nec in pendenti sinere velle præsumitur, donec rursus de eo ipsi innotuerit, quod interdum diuturniori mora rebus suis haud parum incommodaret, cùm alter ante cõtractus perfectionem mutare voluntatem & à priori consensu pœnitentiâ ductus resilire posset. Nullum igitur

tur hîc inter contractus oneroſos & donationem video diſcrimen, ſi fines mandati non egrediamur. Aliud tamen utrobique ſine dubio dicendum, ſi mandans ante contractum perfectum eſſe noluerit, quàm ipſi de placito utrinque convento conſtiterit.

§. 17. *Aliud in tabellario.*] Hoc ita intelligendum, tabulario mortuo non continuò evaneſcere promiſſionem ante acceptationem, ſicut evaneſceret mortuo eo, qui electus erat voluntatis internuncius, ſed à quolibet inſtrumentum donationis ad donatarium perferri poſſe, ut acceptet. Attamen ante acceptationem licet donatori revocare inſtrumentum, & annihilare libertatem ſuam.

Irrita erit revocatio.] Excipio tamen caſum, quando is, qui donare alterius nomine juſſus eſt, donationem fecit, alter verò, cui facta, non ſtatim acceptat, ſed de ea accipienda aut repudianda ſpatium ad conſultandum ſumit. Intra hoc igitur exiſtimo licere donatori donationem revocare. Nam quod donatarium attinet, ille ob defectum acceptionis nihil juris ſibi acquiſivit, licitum verò eſt omni tempore à contractu imperfecto accedente pœnitentia aut ſolo arbitrio reſilire, quoniam contractus imperfectus non eſt contractus, & per conſequens nemo ad illum ſervandum tenetur. Mandatarius verò, à cujus voluntate pendebat jus promittendi, ideo revocationi impedimentum dare nequit, quoniam jam facta donatione officio ſuo functus eſt, & nihil habet, quod ampliùs agat.

Altero caſu non poterit.] Excipit hîc Dn. Ziegle-

Zieglerus, *si ante mortem donatoris à mandatario jam expositа fuerit donatio; Quia enim mandatum ante mortem non fuit revocatum, & mandatarius, post expositum vivente adhuc donatore mandatum, nihil habet, quod amplius agat, videtur ex parte donatoris totum id jam expeditum esse, quod ad donationem facere potest, ut ita integrum sit donatario rem donatam acceptare aut non acceptare.* Quæ sanè proba est & erudita limitatio, atque diligenter notanda.

Qualis est mors mandantis.] Omne enim mandatum re integra morte mandantis extinquitur. Quid verò si mandatarius mandantem mortuum esse nesciens mandatum exequatur? Placet data superiùs distinctio, an quis jussus fuerit promittere, an solùm factam promissionem nunciare. Ut priori casu mors superveniens ignaro nihil noceat. Posteriori verò omnino, quoniam & eodem nescio mandatum revocari potuisset.

§. 18. *Distinguendum ultra non puto.]* Sed nec Romana jura distinctionem facere videntur. Si enim mandatum præcesserit, alteri obligationem per Procuratorem quæri posse indubium est. *Vid. Hahn. ad Wesenb. de pact. n. 7.*

Non est adhibitus.] Ideo, quoniam ista acceptatione jus sibi nullum quæsivit, non enim erat ea agentium intentio; idcirco quod non habet, non potest remittere. An verò propter hanc acceptionem, quæ nihil alteri tribuit, promittens firmiter obligetur, ita ut revocationi non sit locus, propterea aliquis fortasse non

que errore detecto repetita nil nisi nova obligatio est.

§. 22. *Modo facere.]* In eo est juris naturalis & civilis differentia, quòd hoc, qui alium facturum stipulatur, nihil agat, §. 3. *I. de Inutil. stipul.* Illo verò is eatenus teneatur, ut omnem operam adhibere debeat, quo is, quem facturum stipulatus est, id faciat. Quod si non attenta monitione & diligentia recusaverit alter, promittens erit liber ab obligatione, quia impossibilium obligatio non datur. Sed qui promisit, se effecturum, ut tertius hoc vel faciat aut det, tum utroque jure sola sua diligentia non excusatur, sed est quasi quidam fidejussor, qui cessante principali ipse tenetur. Non enim solum alterum facturum promisit, sed & se effecturum, ut faciat. Quod si hoc directò non potest præstare, præstet id obliquè & per æquipollens, ut scilicet ipse det aut faciat. Atque huc refero verba Grotii limitativa, *nisi verba aut negotii natura obligationem inducant strictiorem*; id quod promissio *se effecturum*, sine dubio includit. *Confer etiam quæ habet Author infr. h. libri. c. 15. §. 3.*

CAPUT XII.

DE CONTRACTIBUS.

§. 2.

Sed nullum juris effectum] Existimat Dn. Ziegl. habere aliquem effectum *propter actionem negotiorum gestorum.* Sed quoniam Grotius loquitur de actionibus humanis meris, non

utrinque obligatoriis, vix est, ut actio negotiorum gestorum locum habere possit: Aliàs enim pertineret non ad actus meros, sed utrinque obligatorios. Opinor itaque Grotium de iis casibus locutum esse, quibus ex utili gestione negotiorum gestorum actio non nascitur. Ut si quis animo non repetendi, sed pietatis aut amicitiæ intuitu negotia gessit, si quis in gerendis negotiis principaliter suum emolumentum & compendium, non ejus, cujus gessit negotia, attendit. Si invito domino se in ejus negotia immiscuit. Quibus aliisque casibus neque jura Romana actionem contrariam dant.

§. 3. *Habet enim hoc & permutatio.*] Respondent communiter DD. *tale nomen permutationem non esse, quod non & aliis conventionibus commune esse possit. Nam & emptionem & venditionem quandam permutationem esse, & universum ob rem dati contractum. Dn. Ziegl. h.* Ego ut fatear, quod sentio, mihi hæc ratio nunquam satisfecit, ut in ea potuerim acquiescere. Neque enim nomina, quæ contractus nominati habent, adeò sua natura & intrinseca verborum indole sunt affecta, ut aliis negotiis applicari nequeant, neque quædam contractuum innominatorum adeò generalia, ut certis speciebus non potuissent adscribi. Ut in rem præsentem eamus, depositum, pignus, locatio, mandatum, &c. certos nominatosque contractus esse non nego, ita ut vel solo nomine cujusque naturam & essentialia, quæ à jure habent, includant. At interim nego, hanc essentiam & limites solam nominis ratione ipsi indidisse, sic ut vim homini face-

facerem, si illud aliis actibus applicarem. Insuper & hoc nego, permutationem, æstimatoriam, hypothecam, constitutum, transactionem, donationem, & ejusmodi alios certum nomen habentes contractus ob solius nominis generalem nimis significationem in certam nominatamque speciem à legislatore vel consuetudine non potuisse transferri. Exemplis res utrobique fiet clarior. Sic mutuum eum contractum realem esse scimus, qui rebus fungibilibus initur, & ubi rem accipio, eandem non in individuo, sed genere, quantitate & qualitate redditurus. Sed nominis ratio hoc non solùm indigitat. Nam si mutuum dicitur ab eo, quòd à meo tuum fiat, mutuum etiam erit emptio & venditio, quoniam meum pretium tuum fit, & res tua, mea. Si à mutuari, quin commodato, locato, applicari queat, nullus planè dubito: imprimis verò bene notari volo, depositum illud irregulare, ut vocant, quando mihi pacto expresso aut tacito licet re deposita uti, ut tantundem restituam, omninò ferè in mutuum incidere, & salva verborum proprietate mutuum vocari posse, quemadmodum & quasi ususfructus, quem Senatus earum rerum, quæ usu consumuntur, constituit, nihil penè est, nisi contractus mutui, certa lege celebratus. Commodatum etiam in ipso jure Romano videmus pro mutuo sumi, in *l. fin. C. de iis, qui ex publ. ratioc.* Insuper & vocabulum certo respectu locato quadrat. Neque minùs depositum, quod regulariter gratuitum est, mercenarium interdum fit, aut planè re consumpta alia redditur: Sed & ipsum vocabulum in aliam speciem & rem

transit, quando videlicet pecuniam creditori oblatam & obsignatam depositum juris dicimus. Cur pignus in specie sic dictum contractus realis nominatus, hypotheca verò sine rerum traditione inita pactum tantùm vestitum sit, adhuc solidam differentiæ rationem quæro. Et utut dari posset, illud nihilominus verissimum est, utraque vocabula inter se permisceri, & utrumque utrique bene convenire. Ut ita sola vocabuli *pignus* ratio præ hypotheca nihil peculiare habeat ad contractum nominatum constituendum. Locatio quoque non rarò pro quavis concessione rei ad usum, etiam quæ utendo consumitur, accipitur: quomodo mutuo locatio fit, *Novell. 160. præf. & c. 1. Hahn. ad Wes. de Locat. n. 2.* Sicque contractum libellarium, censiticum & Emphyteusin comprehendit. Denique mandatum propriissimè edicta & præcepta Magistratus denotat, quæ civium actiones & vitam moderantur, *t. t. C. de Mandat. Princ.* alio item sensu mandata dicitur jurisdictio, tutela, cura, &c. & tamen utut hoc vocabulum generale sit, si de contractibus privatis loquimur, ex juris principiis certum eumque nominatum contractum intelligimus. At verò ne quis hæc à me scripta sinistrè interpretetur, protestor publicè, animum mihi non esse, omnem contractuum in jure civili vigili cura & utili diligentia excogitatam differentiam tollere, atque sic rerum distinctiones audaci insania in confusum chaos redigere: sed me voluisse solùm hac deductione probare illud, nominis solius rationem contractus nominatos non efficere, & eadem opera populum Roma-

num,

num, ſi ei viſum fuiſſet, potuiſſe & permutationem, & conſtitutum & donationem, & transactionem, &c. quæ omnia non magis generale nomen habent, quàm mutuum, locatio, mandatum, depoſitum, &c. in nominatorum dignitatem collocare, nihil omninò vocabuli natura vel ratione repugnante: idque eò magis, quoniam & hodie, cùm permutationem, donationem, conſtitutum, &c. dicimus, certum contractum ex nomine intelligimus, qui cum alio confundi non debet. Hoc ipſum dum Dn. Hahn. (*a*) attendit, ingenuè fateri coactus eſt, *rationem innominatorum non ponendam in nomine tantùm re accidentali & externa.* Quæ igitur eſt vera nominatorum ratio, & cur certi tantùm contractus, iique non adeò multi civitate hac donati ſunt, manentibus reliquis peregrinis, quæ tamen eadem facilitate in iſtam familiam potuiſſent adoptari? Res ſanè indagatu difficilis, & de qua ferè illud JCti dixeris, cujus rei nulla eſt ratio, ejus rationem indagare rationem nullam eſſe. Dn. Hahnius (*b*) *veram & primam cauſam eſſe ſtatuit, quia nominati non ſtant in ſuo nudo nomine conventionis, ſed formam ſingularem acceperunt.* Simulque rejicit Grotii noſtri ad h. §. opinionem, qui frequentiorem uſum ponit. Sed utut aliquid dixiſſe videatur, mihi non ſatisfacit. Quoniam & permutatio, conſtitutum, hypotheca, donatio & alii certam in jure eamque ſingularem formam habent, ex qua quis ſingulos ad unguem poterit judicare, actionisque cujuslibet

(*a*) Ad Weſ. de pact. n. 2.
(*b*) d. n. 2.

adornare formulas, quæ ex contractu resultant. Ego ut intrepidè & sine fuco dicam, videtur mihi totum negotium ex arbitrio & moribus populi Romani pendere; Huic placuit quosdam contractus nominatos vocare, alios innominatos, nec nobis multum in hac re situm est, cur in rationem sollicitè inquiramus, imprimis cùm expressè scriptum sit, non omnium, quæ à majoribus excogitata sunt, rationem reddi posse. Itaque non adeò displicet, quod Grotius de frequentiori usu tradit, si illum non ut causam unicam & æquivocam, sed concurrentem accipiamus. h. m. quod cùm populus Romanus quibusdam contractibus assiduè uteretur, illos ex mero arbitrio voluisse vocare nominatos, cæteros innominatos, non ideo præcisè, quasi eisdem non adeò frequenter usus fuisset, sed planè quod ipsi sic placuerit. Quo sensu ambabus ulnis amplector, quod Wesenb. (*a*) appositè scribit: *Cùm hi contractus ita sint forma & nomine constituti, ut formata & specialis nominataq; actio jure civili inde dari possit, cùmq; ob commerciorum utilitatem Resp. his carere non possit: meritò ex jure civili, vel potiùs, quantum arbitror, Romanorum moribus, l. 1. fin. in verb. receptum est. de Rer. permut. conventiones tanquam utiles Reip. & aptæ ad agendum approbatæ sunt.*

Daretur pœnitendi libertas.] *Conf. Hahn. de Condit. caus. dat. n. 2. & de Præscript. verb. n. 3.*

Ad tria, quæ diximus, genera.] Grotius fortassè ideo quartum, *do, ut facias*, omisit, quoniam ipsi

(*a*) De pact. n. 9.

ipsi videbatur referri posse, *ad facio, ut des*, cum quo reciprocari debere putat: Rectiùs tamen meâ sententiâ illum adjecisse, eam maximè ob rationem, quoniam principium cujusque actus inspiciendum est. Quod si igitur operarius quis operas suas certa mercede obtulerit in rebus non locari solitis, erit facio ut des, non do ut facias: initio contractus inspecto, licèt effectu idem sit. Unde verò & quo indicio infallibiliter quilibet contractus dignosci queat, *vid. Hahn. ad Wesenb. de præsc. verb. n. 2.*

Specialiter dicitur permutatio.] *Vid. Hahn. ad Wesenb. de Permut. n. 10.*

Hæreditarius.] Huc pertinere videtur emphyteusis, bona majoratus, vaccæ ferreæ & jus perpetuæ coloniæ. Imò & ipsum feudum pecuniâ emptum. Est enim illud ususfructus quidam hæreditarius, quem dominus, dominio rei suæ directo sibi reservato, utilis dominii nomine in vasallum transfert. Illud autem, quod gratuitum confertur, idcirco alterius loci est, quia tum non est contractus, do sc. pecuniam, ut des usum feudalem rei tuæ: sed donatio quædam vel spontanea vel remuneratoria.

Quæ pondere, numero & mensura.] Scilicet fungibiliter. Non enim omnia, quæ pondere, numero & mensura constant, sunt objectum mutui, sed ita demum, si sunt in suo genere fungibilia, i. e. ut tantundem qualitate, quantitate & genere reddi rectè citra damnum possit: nam & equus, bos, pondere & numero constant, nec tamen ad mutuum pertinent.

Assecuratio.] Quando aliquis datâ ad usu-

Digitized by Google

ras etiam trigesimas pecuniâ in se recipit ejus periculum. Cùm enim regulariter mutui natura sit, ut transferat dominium, & sic pecuniæ periculum pertineat ad mutuatarium, dum res quævis domino perit: hac peculiari conventione contractus naturæ derogatur, & mutuans stipulatis usuris in se recipit pecuniæ casum, ita ut si salva redierit, liceat cum pecunia exigere etiam gravissimas usuras, si verò perierit, mutuanti perierit. Excipitur tamen communiter, si pecunia culpâ mutuatarii amissa sit: quòd ille v. gr. in navibus illicitas vexerit mercedes, quarum occasione etiam licitæ fuerunt confiscatæ. Aut si insolitum & piraticis excursionibus infestum iter navigaverit. Atque hoc modo assecuratio communiter intelligitur. Potest tamen ad quodvis aliud placitum extendi, quo inter aliquos convenit, ut quidam pecuniâ acceptâ circa casus fortuitos rei cujusvis periculum præstet.

§. 5. *Ut de suo auro.*] In jure civili est hoc negotium mera emptio, §. 3. *Inst. loc. cond.* Naturaliter tamen Grotii sententia vera est, quoniam non solùm aurum emitur, sed & operæ ad faciendum annulum locantur, ut hac ratione contractus ex emptione & locato mixtus sit.

§. 9. *Propiùs quiddam exigit.*] Ideo, quoniam v. gr. venditor equi vitiosi, domus pestilentis, servi fugitivi, auri corrupti, si vitium tacuerit, talia emptori pro integris vendit, & sic rem majoris æstimat, quàm revera est; vel emptor emisset vitio cognito. Atque sic ob læsam æqualitatem, quam contractus exigunt, emptori decepto contra venditorem datur actio redhibitoria

vel

vel quanti minoris, justissima ratione. Nam vel planè non emisset, vel emisset quidem, sed tanti minoris, quanti revera erat, æstimatione ad rem ipsam & ejus qualitates exactè habitâ. Atque hoc ipsum est illud propius quiddam, quod in contractibus requirit Grotius.

§. 11. *Nec præsumendus est.]* Hinc fluit, quod DD. communiter scribunt, donationem factam non censeri, modò alia erronea aut fatua saltem causa rei gestæ reddi possit *Menoch. l. 4. Præsumpt. 146. n. 13.* Præsumitur potiùs precarium quàm donatio. *l. 13. ibiq. Gothofr. l. x. ff. Commun. præd.*

§. 13. *Mandatarius indemnis præstari debet.]* Circa indemnitatem mandatario præstandâ notandum, quòd omne necessariò vel utiliter in rē mandantis impensum contraria mandati actione possim consequi. At verò si quid damni mandatarius in suis rebus esset passus, alia inspectio est, in eoque id, quod naturaliter obtinet, ab eo, quod civiliter, videtur discrepare. Habemus enim *l. 26. §. 6. ff. Mand.* ubi legimus, *non omnia, quæ impensurus non fuit, mandatori imputari. Veluti quod spoliatus sit à latronibus, aut naufragio res amiserit, vel languore suo suorumq; apprehensus quadam erogaverit. Nam hæc magis casibus quàm mandato imputari oportere.* Casum igitur mandans mandatario secundùm jus civile non præstat, sed hujus periculo contingit. Quam tamen legem ego hactenus intelligo, ut loquatur de casu contingente in re mandatarii, & quidem ea, quæ directò ad mandatum exequendum non spectat: v. gr. si spoliaretur vestibus,

bus, quos, etiamsi nihil mandatum esset, induere debuisset; aut si res mandatum quidem contingat, sed subsidiariè saltem: ut si ipsi ademptæ fuissent res, quas itineris faciendi causâ necessariò secum duxit. Nam & de hoc casu §. 6. loqui verba initialia declarant, *non omnia, qua impensurus non fuit.* Huc enim profectò res illæ itineri deservientes pertinent. Quare vix hisce salvis verbis admittere possum limitationem DD. ad h. §. h. nimirum tunc casum imputari mandanti, *si mandatarius mandati causa in iter impendat, qua aliàs non impendisset. Utpote in res itineris subeundi causâ necessarias*, de hisce enim rebus sine dubio & §. 6. loquitur, dicitque non imputari, ut rem rectè inspicienti sine difficultate patet. Quare harum rerum casu amissarum jacturam mandatarius solus fert, quia quælibet res casuali interitu domino perit, nec poterit quicquam earum intuitu à mandante exigere, nisi quantum illis etiam salvis exigere potuisset: V. gr. in quantum res itinere deteriores factæ aut attritæ sunt; tantùm enim in commodum mandantis impensum censebitur, & contraria actione repeti potest. Ex qua ratione etiam illud infero. Pecuniam ad iter mandati exequendi causâ faciendum destinatam & casu in itinere amissam rectè repeti, quoniam & executo mandato repeti potuisset, amissa autem est, sine culpa mandatarii, quare utiliter in rem mandantis expensa creditur, licèt res non habuerit exitum, *arg. l. 10. §. 1. ff. de Negot. gest.* juvat hanc explicationem optimè sæpè laudatus §. 6. *d. l. 26. ff. Mand.* ubi dicitur, *non omnia, qua impensurus*

non

non fuit, mandatori imputari. Ergo imputabuntur, quæ fuit impensurus. Et nescio an non ex hisce verbis talis possit formari conclusio. Omnia quæ impensurus fuit, imputabuntur, etiam casu amissa. Ex his verò, quæ non fuit impensurus, non omnia, i. e. quædam non imputabuntur. Cæterùm æquitati magis congruit, mandantem teneri mandatario ad quodcunque damnum & incommodum, quod suscepto mandato subiit, aliàs non subiturus. Quemadmodum socius pro parte damnum socii ferre cogitur, quod hic in itinere casu accepit, *l. 52. §. 4. & 15. ff. pro soc.* qua æquitate motus *Accursius* scribere non dubitavit, justius esse, illum §. 6. de Curialitate non debere observari. Quam sententiam usu esse comprobatam asserit *B. Autumnus all. à Dom. Hahn. ad Wes. Mand. vel Contr. n. 10.* Quamvis nec ipse §. indistincte quemvis casum subitum mandatario injungat præstandum, sed eum demum, quo res talis periit, quæ, si salva mansisset, nec principaliter in mandatum fuisset impensa, nec mandati contraria actione potuisset repeti. Qua interpretatione rigor legis nostræ, qui primo intuitu occurrit, multis modis enervatur; Quare opus non est, ut deinde excipiamus cum aliis à regula §. 6. ut non obtineat, si damnum casuale contigerit in re mandata, quæ fortè fortuitò sine mandatarii culpa naufragio incendióve periit, aut à prædonibus direpta est. Quoniam enim per acquisitionem mandatarius mandanti continuò acquirit, ideoque res naturali ordine domino perit, nec mandatario casus imputari potest, sicut & nemo alius præstare fortunam jure tenetur,

tur; & ipse mandatarius in suis rebus, quas impensurus non fuit, de casu solus tenetur, quare æquum & bonum est, ut & mandans solus de casuali rerum suarum discrimine teneatur.

§. 14. *Maximè naturalis est indigentia.*] Rectissimè: solus enim usus est, qui pretia rebus imponit, & interdum res rebus æquat, quod in permutatione fit. Frustra omnes ii sunt, qui in naturali rerum bonitate, & intrinseco, ut loquuntur, numi valore, æqualitatem quærunt. Omnes ferè res inter se maximè dispares sunt, nec ulla computatione ad æquivalens reduci possunt, nisi adsit aliquod extrinsecum, quod æqualitatem conciliet. Sic nunquam oves, quotcunque velis, tauro adæquabis, ut neque in defectu neque excessu pecces, & ipsi quoque boves inter se non exactè conveniunt. Sic nunquam pecuniam rem sterilem & nullorum per se fructuum cum alia quadam fœcunda, v. gr. agello aut prato, gregibus armentisque ad comparationem reduces, si naturalem bonitatem spectare velis, cùm inter hæc distantissima disparitas reperiatur: quin & illud sequi necesse esset, rerum pretia & æstimationes nec augeri nec decrescere posse, cùm res, qua tales, semper in uniformi bonitate reperiatur. Solus igitur usus est & indigentia, quæ se mediatorem quasi interponit, & inæqualitatem reducit ad convenientiam. Hæc pro temporum & locorum conditione nunc auget pretia, nunc minuit, & res majoris vel minoris æstimat. Itaque quòd frumenti modius duplo aut ultrà annonæ tempore cariùs veneat, quàm cùm anni felicitas eduliorum nos implevit copiâ, non ex

boni-

bonitate frumenti, sed indigentia venit; Mures & glires, vilissima animalia, nec nisi ad odium hominum nata, obsidionis & famis tempore ingenti pecunia comparata esse legimus, quæ in pace ut veneno aut decipulis è medio tollamus, pecuniam impendimus: Sed & illud intrepidè asseverabo, non posse exactam rationem iniri, cur unam rem secundùm naturam suam altera pluris vel minus æstimemus. Omnia Deus summa perfectione & bonitate creavit, nec quicquam cuiquam deesse voluit, quò minùs plenissimè natura ejo absolveretur. Si ad naturales proprietates recurrimus, ecce, omnes res bonæ sunt, nec quærendum est, quid sit melius, cùm omnia sint optima. Qui nobiliores operationes objicere volunt, non attendunt, earundem operationum nobilitatem æstimari ex usu. Sicut sine dubio diligens & laboriosus agricola robustum bovem generosissimo etiam & instructissimo equo, fugacissimo accipitri aut venatico cani, utcunque optimo, quæ Principibus ad insaniam usque æstimantur, præponet; Et quamvis saluberrima unionum vel auri in medicina operatio sit, quam ægrotans multis millibus ad sanitatem recuperandam comparat; Integra tamen valetudine famelicus opifex efficacissimum ex unionibus & auro potabili haustum, aut pretiosissimum lapidum pretiosorum pulverem cum frusto panis aut casei commutabit. Itaque usus est, qui moderatur hæc omnia. Verùm illud advertendum cupio, usum vel indigentiam nolle me tam arctis includere cancellis, ut solam necessitatem inferant, quoniam & tunc usum pretia rerum

æsti-

Digitized by Google

æstimare dico, si ad fastum pompamque inanem comparantur; Ex vana enim & distorta hominum opinione quis eo egere putatur, quod ipsi ad cultum ornatiorem & comptiorem mundum deest. Ita gemmulas, quas profusissimè corpori ornando emimus, viator aut opilio asperâ hieme pro penula aliáve toga pellibus lupinis instructa non permutabit, si contractui lex diceretur, ut tegendis membris ea adhiberet, non lucrum feliciori permutatione quæreret. Quare quæ Grotius ad voluntatem hominum refert, mihi sine incommodo ad usum etiam pertinere visa sunt, quia voluntas humana iis opus habere sibi persuadet.

Ratio haberi solet laborum.] Hoc eò pertinet, quòd licèt ex solo usu rerum æstimationes pendeant, tamen cùm in contractibus nemo plus æquo vel lucrari vel damno affici debeat, ideoque & ratio temporis habenda est, quanti res communiter veneat: Tanti enim quilibet alius, qui eam venum exponit, vendere potest, computato & laborum, & damni emergentis, & lucri cessantis & periculi & affectuum calculo. Nemo enim in emolumentum alterius suo damno rem distrahere tenetur. Uno verbo, Ex parte emptoris rem usus æstimat. Ex parte verò venditoris aliarum etiam circumstantiarum in pretio dictando ratio haberi potest.

§. 15. *Transferri dominia posse.*] Dissentire hîc Hahnius deprehenditur, qui *in tit. ff. de Contrab. Empt. ad Wesenb. n. 10.* contra Grotium disputat, & opinatur, non nuda voluntate, sed insecuta traditione transferri dominium. Potissimæ

mæ ejus rationes ſunt hæ. *1. Quia ut ipſa emptio indifferens eſt, ita & hoc, maxime quoad ſpeciem actus, an nudo conſenſu hic dominium transferri debeat, an traditione, jus enim naturale talia ignorare. 2. Quoniam cultiores populi, Ebræi, Græci, Quirites, placitum Grotii non amplexi ſunt, ſed traditione demum dominium hic translatum voluerunt, quæ ideoq; dicitur juri naturali conveniens, in §. 41. I. de R. D. 3. Quia plurimis ſancitum, venditorem dominum eſſe rei debere, donec emptor eam acceperit, teſt. Theoph. ap. Stobæ. 4. Summas item in Rep. difficultates exoriturus, ſi nuda verborum emiſſione dominium continuò transferreretur, quæ ſic maximè poſſeſſione acquiſita difficillimè corriguntur.* Hactenus Hahnius. Cujus equidem argumenta tanti eſſe non reor, ut nos à Grotii noſtri ſententia dimoveri poſſint. Illud ante omnia repetendum eſt, quod ſuprà Author noſter, *in c. 6. §. 1. h. l.* aſſeruit, ad dominium transferendum neceſſariò & naturaliter traditionem non requiri, ſed etiam ſola voluntate actum illum abſolvi poſſe. Nihil enim moralis impedimenti obſtat, quò minùs hoc domino non liceat, volenti rem ſuam ſola voluntate in alium transferre. Quare ſi tale quid naturaliter fieri poteſt, videamus jam in emptione & venditione, quid in dubio contrahentes magis probabiliter voluiſſe præſumi debeant. Qua in re mihi intereſſe videtur, num emptione & venditione perfecta emptor venditori pretium dederit, nec ne. Illo caſu mens utriusque partis ea fuiſſe cenſebitur, ut & ſtatim dominium rei venditæ in emptorem

transeat; Quorsum enim pretii adnumeratio, nisi ut rem sibi emptor acquirat modo, quo potest, compendiosissimo? qui sine dubio erit, si dominium statim à venditore ad eum transiverit. Magis enim sic ipsi jure in re, eoque præstantissimo, sc. dominio, cautum erit, quàm personali actione. Nec dicendum, venditorem aliter sentire potuisse, nam non quod quis potest, sed quod rectè potest, in dubio præsumitur. Cur enim accepto pretio nollet rei dominium ad emptorem transferre, nisi malignè & subdolè cum eo agere constituisset? At in præsumptionibus æquitati naturali non malitiis hominum indulgendum est, & quilibet id voluisse censendus, quod honestè velle potest. Quod si neutra pars contractum impleverit, nec dominium emptori acquisitum esse existimo, quia venditor videtur voluisse rei venditæ dominium retinere & continuare, quousque ipsi de pretio satisfactum fuerit, ad conciliandam sibi retentione illa securitatem. Atque hæc ita obtinere sentio, quando specialior lex contractui non est data. Quando verò expressè conventioni additum, ut vel continuò simul ac de pretio convenit, dominium rei in emptorem transeat, aut ne priùs transeat, quàm ipsi res à venditore tradita fuerit, tum omnino voluntati partium standum erit, ratumque fore, quod ita placitum, nullus planè dubito. Neque me multum Hahnii rationes à concepta sententia dimovent. Nam primò, nihil adversus nos, quin potiùs pro nobis illud acceptamus, quòd emptio & venditio, & imprimis actus dominii transferendi sit actio quædam indifferens, de qua

jus

jus naturæ nihil edixit. Ex hoc enim alterto simul sequitur, posse legislatorem de illa pro lubitu & Reip. emolumento statuere: in dubio autem & ubi hæc sanctio deficit, sequendum id esse, quod æquitati naturali & voluntati contrahentium, qui legem contractibus dare valent, maximè congruum contiguumque videbitur. Quod si verò hac de re jus naturæ quicquam edixisset, ob ejus immutabilitatem nobis nihil liceret mutare. Quoniam autem determinavit nihil, voluntas hominum pro regula est, ut in indifferentibus semper usu venit. Et quando dicimus, in emptione & venditione hoc vel illud naturale esse, vel magis naturaliter obtinere, non statim eò interpretandum est, quasi jus naturæ hîc perpetua sanctione aliquid constituerit, sed quod juri naturæ non adversetur, ad tacitam autem partium voluntatem, & naturalem commerciorum æquitatem, ipsiusque rei primævam indolem ut plurimum collimet. Deinde, utcunque populis quibusdam aliud circa hoc negotium placuisse probaretur, id nehilum nobis officit, quia suprà confessi fuimus, licere legislatoribus sic & aliter statuere ob rei indifferentem naturam. Nobis autem sermo est, ubi expressa constitutio deficit, quid naturæ contractus magis congruat? & quando *in* §. 41. *I. de R. D.* dicitur, juri naturali congruens esse, ut traditione demum dominium transferatur, hactenus verum est, ut jure naturali non repugnet: possit tamen & aliter se habere. Nec nobis multum curæ est, apud quos populos per traditionem dominia acquirantur, sed quærimus, quid juris, apud quos

lex civilis circa hanc rem nihil sancivit? Obiter noto, feciſſe hic Hahn. ex una ratione duas, quod ipſi admodùm ſolenne eſt: Denique percuperem, ut Hahnius illas difficultates & pericula pinquiori ſtylo explanaſſet, quæ hæc noſtra ſententia in Reip. tranquillitatem invehit, de quibus ſanè mihi nondum conſtat. Non enim ſufficit dicere, hoc vel illud periculi plenum eſſe, niſi & offenſionis anſam & originem ſcaturientis mali demonſtraveris. Et cur ſaltem in iis Reip. ſalus periclitari debet, quæ ad Hahnii palatum non admodùm ſapiunt, in aliis verò non æquè? Ecce enim multis noſtri juris Romani caſibus absque ulla traditione rerum dominia tranſeunt, ut in dote poſt mortem mariti ad uxorem reverſa, in omnium bonorum ſocietate, in legato, in mortis cauſa donatione, &c. quæ omnia etiam vel ipſius Hahnii judicio optima ratione & Reip. ſaluberrimo conſilio conſtituta ſunt. Cur? ideò procul dubio, quia ſic in Romanis legibus prævisa ſunt, quas DD. plerunque usque ad unguium ramenta defendunt, nec extra illas quicquam æquum aut bonum eſſe volunt. In emptione & venditione idem ſaluti publicæ adverſari debet; At cauſam Scævole docte rogo? Quia nimirum ita Juſtiniano viſum. Non nego, dum aliquid in Reip. ſalutem ſancitum eſt, id non facilè corrumpendum eſſe. At non ſtatim exiſtimandum, illud ſolùm Reip. aptum fuiſſe, imprimis ſi res ita comparata ſit, ut utrinque indifferenter ſe habeat, quod noſtro negotio accidit: ſed juſtæ rationes ſunt, cur in ſpecialibus quibusdam caſibus dominia absque traditione acquirantur:

Quaſi

Quasi verò illæ in emptione & venditione deficiant, præsertim si pretium numeratum sit, ut paulò antè diximus. Et sanè mihi nullum dubium est, si in legibus Romanis id prævisum esset, non defuturas DD. rationes, imò multo numero congestum iri, quas ad tuendam legis æquitatem, vel à sepimentis, ut dicere solemus, decerperent. Et verò quæso unde turbarum illud velut apium examen, quæ maximè possessione acquisita difficillimæ corriguntur? Et in quam rem correctione opus est, quando emptor adipiscitur, quod sibi ex contractu deest? Illud inter emptorem & venditorem semper agitur, ut hic accepto pretio rei dominium & possessionem in illum transferat: quæ omnia sive nudis verborum emissionibus, sive traditione emptor acquisiverit, nihil est, quod venditor quæratur de injuria, quæ nulla est: quippe accepto pretio non nisi veteratorie dominium translatum nollet, quod bona contractus fide apud se diutiùs retinere nequit. Quin & satis speciosè quis dicere posset, ipsam quoque possessionem si contrahentes voluerint, sola voluntate transferri. Quemadmodum in quibusdam locis sine corporali apprehensione certis casibus acquiritur. De quo tamen nunc videndi mihi otium non est. Etenim ad alia.

Res erit commodo & periculo venditoris.] Officere admodùm videtur, quòd emptione & venditione celebrata venditor constituatur rei certæ debitor, cujus interitu absque sua culpa liberatur, ducto argumento ab emptione quantitatis seu rerum fungibilium, in qua usque ad traditionem sive admetionem res periculo ven-

ditoris est, quia ibi certa species non debebatur. *Dn. Ziegl. h. Hahn. ad Wes. de peric. & commod. rei vend. cum Molina, quem ibi citat.* Verùm his non obstantibus mihi Grotii sententia magis arridet, quæ usque ad dominii translationem rem periculo venditoris committit, quia sine dubio mens contrahentium, si super hac re interrogarentur, talis fuisset, ut contractus utrinque perfectus non sit, nisi adnumerato pretio & translato dominio, & propterea re perempta liceat pretium repetere quasi causa data causa non secuta. Atque hoc, quod magis naturale est, secuti sunt Græci & Hebræi, quibus emptio re perficiebatur, ut Hahnius ad cit. locum testis est. Sicut & illud dubio procul ex jure civili profluit, quòd emolumentum ad emptorem pertinet ante traditionem. Naturaliter enim fructus ad rei dominum, non eum, qui ad rem jus personale habet, spectant: Dominus enim in re sua præ omnibus alii prælationem quandam moralem habet ratione suitatis, sub qua res ejus est.

Si res bis sit vendita.] Consentit hîc jus civile, quod rem duobus venditam illi addicit, non qui prior contraxit, sed qui per traditionem dominium accepit. Ratio est, quia hic fortius jus, in re sc. habet, cui jus ad rem semper cedere debet. Cæterùm objicit hic Dn Ziegl. *Si ipso contractus momento transfertur dominium, quæ est hypothesis Grotii, quorsum hic faciet traditio. Sic enim potiùs ex mente Grotii ex duabus venditionibus semper & ubiq; prior erit valida, quippe per quam dominium jam est translatum.* Respondemus, Grotium intelligi posse de eo casu,

ubi

ubi priori vel posteriori emptioni lex addita, ne nisi per actualem traditionem dominium transferatur. Vel ubi in una emptione & venditione jam pretium est numeratum, in altera verò nondum: secundùm ea, quæ paulò antè diximus.

§. 17. *Functionem recipere.*] I. e. pro rerum copia aut inopia valorem earundem crescere vel decrescere. *Dn. Ziegl. h.* Quin & valor pecuniæ pro Reip. & temporum necessitatibus mutatur, id quod præcipuè tricennalibus nostris calamitatibus accidit, ubi imperialis ad decem usq; florenos anno 1622. excreverat. Cæterùm si pecuniam incrementa vel decrementa capere dicimus, ad solum valorem respiciendum est, non ejus materiam, quâ licèt mutatâ non continuò & nummi valor mutatur. Ratio est, quia nummus formam suam ex imposito valore habet, qui valor in quacunque materia sit, nihil admodùm refert.

Cujus loci hic sensus.] Equidem mihi ad manus ipse Ephesius non est, ut antecedentia cum consequentibus pro vero sensu expiscando conjungere possem. Interim tamen ex verbis, quæ allegat Grotius, sensus iste non percipitur, sed planè alius. Hic scilicet. Ideo nummi pretium aliarum rerum æstimatione diuturnius esse, quòd illud authoritate publica inditum privatorum arbitrio non mutetur, sed semper æquali tenore decurrat, donec à Rep. novatio instituatur. Idque non solùm in iis nummis verum esse, quæ ex auro & argento constant, sed & quæ ex plumbo, ligno, corio. Utrosque enim non materiæ præstantia, sed publica authoritate in pecuniæ censum transcriptos esse; (Neque enim hic

ab Ephesio ulla differentia constituitur, multò minùs ejus ratio redditur.) Alias verò res plerunque arbitrio contrahentium æstimari, ut tanti veneant, quanti eas venditor dare & emptor sibi comparare voluerint.

Per se enim fermè tantùm ubiq.] Verùm neque hoc universaliter procedere, nos Indi & Americani docuerunt, qui mercatoribus nostris ingentes auri argentique massas vilissimis quisquiliis aut crepundiis permutarunt. Neque profectò ratio diversitatis ulla est, quæ aurum, argentum & æs naturali & perpetuæ æstimationi vindicet, alias verò res, prout copiosæ aut raræ sunt, valorem mutare jubeat. Nam & quibusdam in regionibus major auri quam ferri fœcundia est, ubi & sanè hoc plus æstimatur. Nihil poterit simul esse æstimatio & ipsum æstimatum. Quod si igitur aurum vel argentum se ipsa naturaliter & æquali tenore ubique semper tantundem æstimarent, non essent merces à pecunia æstimandæ; quod est absurdum.

§. 18. *Proxima est.]* Non tamen eadem. Specifica differentia in hoc consistit, quòd in emptione & venditione certo pretio appenso mercis cujusque dominium transferatur, in locatione verò certa mercede rei usus.

Damno sunt conductoris.] Dissentit Dn. Ziegl. & naturali æquitati convenientiùs existimat, ne conductor casum fortuitum præstet. Rationem addit. *Quia sicut in venditione ipsa res, ita in locatione usus rei vel facti transfertur. At ubi nulla adest res, quæ venditur, frustra omnis venditio, ita frustra est locatio, ubi nullus*

est

est usus. Æquitas enim, qui in contractibus bona fide attenditur, non dictat, ut solvatur pensio pro bonis, quibus uti & frui non potuit. Verùm sufficienter Grotius respondet, satis esse, si facultas utendi transferatur, quæ eo tempore tantum valebat. Hoc enim in locatione & conductione non agitur, ut locator in conductorem ipsum usum actualem transferat, quia tunc magis rei, i. e. fructuum venditio esset: Sed solùm jus utendi re sua, in qua ipse aliàs prælationem quoad usum præ omnibus aliis haberet. Hanc utendi facultatem locator conductori concedit, ut hic deinde re uti & frui possit, salvâ tamen ejus substantiâ, & quidem conductori tanti addicere solet, quanti inter eos habito tractatu convenerit. Quod si jam ob anni infelicitatem usus rei expectationi non respondeat, nulla in eo locatoris culpa est, nec eò minùs jus habebit, pro concessa usus facultate mercedem exigendi, qui, etsi rem ipse tenuisset, non collegisset inde uberiorem fructum. Tantum igitur in conductorem transfert, quantum ipse habuit, i. e. facultatem utendi, quam certa mercede conductori addixit, & quæ apud conductorem mansit, licèt rei actualem usum casus fortuiti impedivere. Hic enim æstimari non potest, quia nondum est in rerum natura. Jus autem utendi pro spe & contrahentium voluntate conceditur. Sanè sine dubio lucrum conductoris fuisset, si insolita ubertate res locata effloruisset. Quare ad quem commodum spectat, ad eundem etiam pericula & incommoda redundare naturale est: Et Dn. Ziegleri sententiâ tum demũ probo, quando rei locatæ nullus planè

usus est, neque potentia neque actu. Vel saltem non talis, qui à contrahentibus intendebatur. Ita enim quoniam res exitum habere non potest, & aliud contrahendo actum est, locationem subsistere non putamus, quia ea sine usu esse nequit. Usus autem in re locata omninò deficit, sic ut nec spes ejus ulla detur. Secus est, si modò usus potentia rei ineſt, quamvis exitus spem fefellerit. Atque pro hac sententia pugnat & Dn. *Hahn. ad Wes. Locat. Conduct. n. 16. Tradidit enim*, inquit, *locator facultatem utendi, quæ tempore contractus erat mercedi conventæ æqualis, neq; fructus absolutè locantur, sed res apta nata ferre fructus, qui proportione justa pensioni respondeant, & jus istos percipiendi. Ideoq; contractu perfectè celebrato per consensum de potestate sic jure illo utendi certa mercede, vi justitiæ συναλλακτικῆς conductor quodammodo dominus est dicti juris, ideoq; & ipsius periculo existit, quod deinde circa fructus contingit infortunium, arg. l. 6. C. de pign. act. junct. l. 2. Loc. cond. Hinc etiam sequitur oborta licet sterilitate vel alio impedimento usu, ex parte rei locatæ jus petendi mercedem promissam nihilominus esse & manere locatori, & attenta sola natura hujus contractus verius videri, pensionem non minuendam ob sterilitatem vel similes casus fortuitos, quibus fructus & emolumenta rei locatæ minuuntur.* Atque hoc adeò placet Molinæ, ut non dubitaverit pronunciare, *utilius fore civili societati, si universaliter statueretur, conductores omnes obligari ad casus fortuitos.*

Quanquam & legibus.] Idque Romanis

factum

factum videmus, quibus omnis vis, quæ re locata integra manente circa ejus usum vel fructum contingit, & cui resisti non potest, ut fluminum, graculorum, sturnorum, tempestatum, solis fervoris &c. ad mercedis remissionem proficit, *l. 15. §. 1. & 4. ff. l. 8. & 18. C. Loc. Conduct. Dn. Hahn. loc. supra allegg.* ubi & tres casus exceptos habet. 1. Damni modici, 2. præcedentis fertilitatis, & 3. locationis per aversionem. Cæterùm non existimamus ad locationem & conductionem naturaliter requiri, ut merces præcisè in pecunia numerata consistat. Licèt nec id jure civili adeò clarum sit, quin alii in contrarium textus dubium lectorem suspendant.

§. 20. *Quo jure vetitæ sint usuræ.]* Usurarum vocabulum generaliter quemcunque rei fructum sive accessionem denotat, *arg. l. 12. C. de usur.* Magis propriè verò & cõmuniter usurarum nomine venit in crementum præter rem mutuatam in eodem genere accedens. De cujus justitia aut injustitia pleni sunt Moralistarum ac JCtorum libri. Breviter dicimus, accessionem quandam ob id, quod re ad tempus carere cogimur, omni jure licitam esse, & hactenus usuras nihil iniqui continere, quatenus emolumentum ex rei mutuatæ carentia cessans incremento respondet. Illud enim maximè naturale est, ut proximo, quantum minimo meo damno possum, prosim, & ordinata caritas à se ipsa semper incipit. Quoniam itaque boni patris f. est, ociosam pecuniam putrescenti loculo reconditam non tenere, sed ad rei familiaris augmentum adhibere, æquitas postulat, ut si alterius indigentiæ subveniam, simul quoque

quoque rationem mei habeam, ne mea mihi facilitas nocumento sit. Sed tamen ut & altero pecunia mutuò sumpta utilis esse possit, mihi verò non planè sterilis jaceat, egregio temperamento usurarum ratio initur, qua scilicet & mutuatario ultra usuras lucrari liceat, & mutuans solatium pecuniæ concreditæ aliquod habeat. Adde nunc varios casus & pericula, quibus evenire potest, ut inopia debitoris creditoris legitimam actionem excludat, quo respectu quoque non injustum erit, ad assecurationem quandam analogam usurarum perceptione officiosam proximi sublevationem pensari. Cæterùm damnamus omni modo illas fœnerandi intolerabiles malitias, ob quarum gravissimos morsus non solùm mutuatario omnis ex re eveniens lucri spes præciditur, sed & interdum miseri homines ultra communem commerciorum quæstum onerantur, ut hac ratione non suum, sed mutuantis officium tanquam mandatarii aut procuratores gerere videantur, hoc etiam pejori conditione, quòd hi sumptus & alias præstationes personales de suo impensas mandati actione repetant, illi verò etiam ultra operarum adhibitam diligentiam rei familiaris jacturam patiantur. Ut nunc facilè de fœnore judaico judicium formandũ sit, quando inopes Christianos in speciem pii officii gravissimis illicitisque usuris exhauriunt, atque adeò paulatim datis pignoribus, (sine illis enim rarissimè credunt) quæ plerunque ter & ultra plus venire possunt, omnique alia re domestica, prætextu summæ capitalis, ut mos loquitur, & interesse usurarii cum extremo

Chri-

Christianæ Reip. dedecore, & cujuslibet Magistratus damno injuriaque exuunt. Conniventibus adhæc passim illis, quibus Judæos recipere licet, ob exiguum lucelli emergentis emolumentum, quod tamen velut maledictus à Deo quæstus non solùm ut nix liquefieri, sed & justiori titulo paratas opes, pestilentissima infectione exinanire solet. Quæso enim per Deum immortalem, unde Judæis facultas & res nummaria suppetit, tam ad suam familiam sustentandam, quàm Magistratui, sub quo vivunt, ingentia onera exsolvenda, nisi ex miserorum subditorum detrimento, quos gens illa lucri obnoxia variis fraudibus atque inevitabilibus decipulis velut suo artificio, cui per totam vitam soli studet, circumvenit? Et tamen Magistratus sibi mirificè sapere videntur, quòd Judæos tributis in immensum gravent, quasi nõ per obliquum hæc onera non tam Judæis quàm propriis subditis imponant. Utut igitur territorii dominus aliqualem ex iis utilitatem sentiat, & majorem etiam, qualem ne quidem ex subditis suis hæreditariis, tamen cùm ipsis nihilominus omnia plana & sufficientia adsint, infallibile profectò illud indicium est, tantundem semper publicæ rei decedere, quantum Judæis accedere videmus. Verissimum siquidem & ex tripode dictum est, Imperantis felicitatem non in solis divitiis pecuniarumque cumulo consistere, sed imprimis etiam in amore subditorum, & eorum leni ac qu si patrio re imine. Quid verò, Medius Fidius, indignius principali solio, quid Reip. magis noxium, quid universis tandem periculosius est, quàm si post tole-

toleratum mediocrem dominatum, post oblata promptissimo studio debita opera atque servitia, post collatas, ob tributum, vectigalia aliaque onera pro viribus & facultatum extremo modo laboriosissimè partas pecunias, miserellos subditos, qui ad clementiam & amorē Principis sui omnes spes & vota, velut magnetes ad polum, dirigunt, rapacissimis harpionibus, quibus neque jus neque æquum, non Deus, non conscientia est, dilaniandos tanquam prædam exoptatissimam, suavissimasque objicere epulas. Quippe ita in eorum legibus atque institutis traditur, meliorem Deo victimam fieri non posse, quàm si Christianos insigni clade affecerint. Ita patientia nostra hæc diaboli mancipia ad majorem crudelitatem induramus, & nos sinimus ab illis pro lubitu agi ferrique. Sanè enim intolerabile illud est, & nulla vel juris vel æquitatis specie velari potest, quod, cùm in sacro nostro Germanico Imperio de pravitate usurariorum coërcenda salubertimæ constitutiones latæ sint, per quas usuræ ad tolerabilem modum perductæ, & utrique parti consultum est, de iis Judæos velut securos esse jubeamus, & qui Christianorum servi sunt, eos patiamur in medio Christianæ Reip. umbilico turpissimam exercere tyrannidem, dum quod Christianis lege prohibitum est, ipsis facto permittitur. Quamvis enim in judicio fortè fœnoris hæc excedens improbitas albo calculo non facilè juvetur, simplicior tamen populus, qui juris sui beneficium vel nescit, vel eo ob litium protractarum sordes & corruptelas uti non vult, non omninò tutus esse potest, nisi & Judæis ipsis cri-

men

men noxæ cedat. Ideoque præstaret severissimis edictis improbitatem aut radicitus tollere, aut pœnæ suppliciorumque metu intra honestatis cancellos detinere, ne luxuriet. Atque ô utinam Imperii leges, quæ Judæorum usuris modum ponunt, in Imperio servarentur, meliùs sanè nobiscum ageretur, & non exiguum inde populus levamen sentiret. Satis enim justitiæ non fit, si malum conniventibus oculis toleratur, usque dum singulis privatorum querelis sistatur ad judicem. Neque enim exinde nobis multum commodi, neque Judæis multum detrimenti cedit. Nam his ob gravitatem fœnoris non accusatis licebit malitia frui, accusatis verò ferè nihil aliud incommodi obvenit, quàm quòd eos integra improbitate gaudere non patiamur, reductis ad justum modum usuris, nulla quidem ipsorum gratia, quibus visum est illa perdidisse, quæ non nisi inhonestè acquisivisse poterant. Quare meliùs foret ipsum fœnerandi actum ex officio nobili non mercenario, ex inquisitione, non accusatione destruere, ut hac severitate Judæis metus incuteretur, ne nos injuriosè nimiùm gravare auderent, & ubique pecuniaria res expeditior futura esset. Sed hæc fortassè faciliùs optantur, quàm sperantur, præcipuè cùm inter Principum regalia hodie connumerari audias facultatem Judæos recipiendi. Vix itaque erit, ut sanguisugas illas non foveant, quæ ærarium publicum tam egregiè fovent, præcipuè verò cùm tam sanctus titulus, ne præjudicium juri & regalibus fiat, receptus necessitatem quodammodo imponere videatur. Sed & Judæorum tutelam inter dominatio-

nationis arcana perlibenter, modò liceret, retulerim. Siquidem in secretiori consilio illam semper ferè præcipuam & primam curam esse videas, qua ratione maximas divitias ex subditis cum eorum vel minimo vel non adeò sensibili damno & absque invidiosa exactione colligere liceat. Huic profectò usui & præposteræ calliditati dici non potest quàm Judæi apti nati sint, qui mihi quodammodo ipsi carnifices & exactores videntur, per quos ærarium jure injuriáve suppleatur. Ecce enim, quod subdolo quæstu à miseris civibus corradunt, illud magna satis parte fisco per modum tributi inferunt. Reliquum ipsis salarii instar pinquissimè cedit, & sic eos invidia exactionis manet, lucrum apud Dominos est. Opportunus hic quæstioni locus daretur, num Judæi in Germanico Imperio tolerari debeant? De qua tractat *Limn. jur. publ. l. 3.* Cujus ego sententiam negativam ambabus ulnis amplector. Nam cur, ut paucis multa dicam, infensissimos Christiani nominis hostes, cur nostræ Reip. paratissimos proditores, cur Turcarum emissarios & exploratores diligentissimos, monetæ falsarios, turpissimos fœneratores, doctissimos fures, callidissimos impostores & superstitiosissimæ religionis reos inter nos agere, contrahere & mutuo commercio frui patimur, qui nos ne homines quidem esse existimant, sed vocabulo כלבים, i.e. canes appellant, qui Imperium nostrum Edomiticum vocant, Christiano nullam fidem servandam esse asserunt, & plura alia innumerabilia, quæ hîc persequi supersedeo? Unicum saltem adhuc addo, unde quæso existimas, rei pecuniariæ,

niariæ, cujus nunc propemodum exequiæ ducendæ sunt, corruptelas, nisi magnam partem ex omnis corruptelæ scaturigine prodire? Passim querelæ nostras aures feriunt, bonam probamq; monetam tanquam incantationibus evanescere, aut si quæpiam postliminio redierit, ad adeò exactissimum pondus curioso labore redactam esse, ut si ponderi nihil desit, magnas Diis habendas gratias; certè nihil unquam superfore. Judæi sunt isti monetæ publicæ flagellatores, qui radendo, cædendo, corrumpendo, liquefaciendo probam pecuniam minuunt aut extinguunt. Hi consilia nostra & deliberationes limitaneo hosti Turcæ aperiunt, eique opportunum nos & nostra invadendi tempus faciunt. Hi sunt, qui nostram fidem ludibrio habent, qui Jesum Christum, Salvatorem nostrum, exquisitissimis blasphemiis impetunt, qui sanctissimam Deiparam Sadtam, i. e. scortum vocant. Qui omne Christianum nomen occulto voto pessundatum cupiunt. Hos igitur ut feramus, quæ nos ratio, quæ utilitas cogit, serpentes in sinu, & malum in Rep.? Nullum ex iis emolumentum, nisi ad paucos cum omnium injuria. Optimè igitur de omnibus Christianis Augustus noster Imperator hoc tempore meruit, qui omnes Judæos ex Metropoli Austriæ suæ velut ignavum pecus facessere jussit, cui ob gloriosum illud factum æternas omnes boni gratias debent. Hactenus de Judæis & illorum usuraria improbitate disseruimus. Utinam verò malum illud his finibus contentum non ulteriùs serperet; Sed, proh dolor! qui hodie nunc mores sunt, lucelli blandiens cupiditas etiam eos in-

fecit, qui puriori religioni nomen dedimus, & non paucos noſtrûm videas, quibus æquum emolumento, & charitas pretio metitur. Sunt, qui concivibus, & quandoque affinibus ſuis mutuam pecuniam dant, & quindecim in centum ſtipulantur. Et quod mirere, tam inſigniter gravi, omnemque ferè Judæorum ſuperante quæſtu officii promptè ac liberaliter exhibiti gratiam non mediocriter affectant. Bone Deus! quo nunc temporum noſtrorum mores abiere? quanto charitas frigore obriguit? Nemo nunc familiari gratis aut ſaltem adæquabilem modum credit? ſed legum providentiam terno exceſſu quaſi ipſimet legislatores eludimus? Sed quod Judæos attinet, non ea ſolius noſtræ Germaniæ inſania eſt. Habet & illos Italia in delitiis, ac Romæ paſſim publicè tolerantur. Neque verò ii ſaltem, ſed & aliarum religionum palàm damnoſarum cultores ibidem receptacula inveniunt. Imò *Paulus Jovius Hiſtor. l. 18.* refert, Chriſtianos Abiſſinos, aliosque plagæ orientalis, Romæ poſt magnum templum propriam habere domum, in qua more ſolito cultui divino vacent. Quin & Muleaſtes Tunetanus execrandæ Saracenorum hæreſeos ſectarius ab ipſius Pontificis nuncio Rudolpho Pio omnibus benevolentiæ ſignis in gratiam Caroli V. exceptus fuit, referente eodem *Jov. l. 44.* ut alicui mirum eſſe poſſit, cur tantis irarum procellis & fulminibus reformatæ religioni addicti à Pontificia ſede profecti fuerint, quam ſuperioribus temporibus certum eſt maluiſſe ipſa Turcarum deliria, quàm purioris Evangelii ſalutaria dogmata tolerare. Niſi

cui,

cui, qui paulò obesioris nasi est, suboleat, amissa magis dolere, quàm illa, quæ nunquam tui juris fuerint, & Pontifices tam facilè concoquere non potuisse luctuosam jacturam, quam liberatis hominum mentibus ab otiosa superstitione illius & contempta authoritas, &, quod magis est, vacua sacris nundinationibus crumena perpessa est. Ut nunc taceam, Abissinorum & Saracenorum religiones obviæ absurditatis non facilè sequaces invenire, Protestantium verò non occultam pietatem potuisse & alios Pontificio eximere jugo: quare inhumano zelo cavendum erat, ne penetrantissima Evangelii lux in animis hominum simpliciorum condensas superstitionum nebulas aliis in locis irreparabili Romani Præsulis damno dispelleret: Verùm, ut spero, irarum illa moles paulò deferbuit, & incipiunt jam ipsi Catholici non modò nobiscum familiariùs agere, sed &, quod planè novum & mirandum est, ipsam religionem eorum ex confessione Augustana comprobare atque eruere, quem librum ante aliquot annos diabolicum & igne dignissimum judicaverant. Fecit id non ita pridem Herbipolitanus quidem Jesuita, nomine, Thim. Laurenbergius: in Profess. Fid. Cathol. Sed jam planè proposito meo excidi. Igitur ad observationes alias redeo.

Gratuitum esse.] Neque tamen hoc tam ex natura mutui est, quàm dispositione legis civilis; ut rectè *Bacch. ad Wesenb. de usur* quamvis, quod addit, non satis probem, nec eodem jure civili mutuum ob accessionem usuratum fieri non gratuitum: cùm hæ non veniant ex mutuo, sed

præter illud ex stipulatione, adec
conventione. Nam utcunque h
illa nihilominus stipulatio usuraru
um refert, cujo intuitu interponitu
mittuntur. Licet itaque, si solam
tionem spectes, illud gratuitum sit
totum negotium, quod geritur, co
decet, gratuitum dici nequit: qu
usuræ promissæ fuerunt, & quide
sationem lucri cessantis, quod ex
mutuata quis probabiliter habere
re subtilis admodùm & illusoria es
stinctio inter mutui contractum
usurarum stipulationem. Hæc
illud fuit celebrata, ut hac ratione
tium gratuitum non sit. Quin &
ribus hæc distinctio nullum ferè
habet, quibus usuræ omni mutuo e
missæ tacitè, pro quantitate, legib
terminata, insunt. Ut ita mutuu
gulariter non sit gratuitum.

Suapte natura sterilis est pe
lis pecunia alio sensu dici non pot
latione ad res alias habita, quæ non
hominis, quàm primariò natura c
ctus naturales ferunt. Verùm h
dit, quò minùs operæ & diligentia
naturaliter sterilem fœcundam fa
mus, licèt sua sponte nihil fructuu
no tamen utilis esse potest & quæ
mirum ejus alteri locato, unde m
nis ad dominum redit. Atque hinc
inter fructus naturales & civiles,

Digitized by Google

in jure usum habet, & quibuslibet ferè nota est. Quando itaque pecunia sterilis dicitur, illud, sicuti explicavi, intelligendum. Quocum convenit, quod habet Aristoteles *1. Polit. 6.* de duplici cujusque rei usu, domestico sc. & improprio. Ita verò Philosophus: ἐπάττει δὲ κτήματος διττὴ ἡ χρῆσις ἐστιν, ἀμφότεραι δὲ καθ' αὑτὸ μὲν, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως καθ' αὑτό. ἀλλ' ἡ μὲν οἰκεία, ἡ δ' οὐ οἰκεία τοῦ σκύτους. οἷον ὑποδήματος, ἥτε ὑπόδησις, καὶ ἡ μεταλλακτική. ἀμφότεραι γὰρ ὑποδήματος χρήσεις. καὶ γὰρ ὁ ἀλλαττόμενος τῷ δεομένῳ ὑποδήματος ἀντὶ νομίσματος ἢ τροφῆς χρῆται τῷ ὑποδήματι, ἢ ὑποδήμα. ἀλλ' οὐ τὴν οἰκείαν χρῆσιν, οὐ γὰρ ἀλλαγῆς ἕνεκεν γέγονε. *i. e. cujusq; rei duplex est usus, & uterq; quidem per se, sed non similiter per se, sed unus rei proprius, alter verò improprius. Veluti calcei, cùm subligatur, & cùm permutatur. Uterq; quidem est calcei usus; Nam & qui cum eo, qui opus habet calceo, illum permutat pro nummo vel eduliis, utitur calceo, sed non propriè, quia calceus non est permutationis causa.* Quamobrem secundùm proprium pecuniæ usum nummus res sterilis rectè dicitur, non enim in hoc adhibetur, ut lucrum vel fructus exinde capiamus, sed ut res cæteras velut norma quædam publica æstimet. Quippe nummus ut nummus permutationibus aliisque contractibus adhibetur, rerum æstimandarum causa, ut tanquam intermedio quodam & sponsore contrahentes faciliùs commodiùsve convenire possint. In hunc enim finem nummum introductum legimus, apud Paul. *in l. 1. ff. de Contr. empt. & vendit.* ut nimirum publica ejus & perpetua æstimatio difficultatibus permu-

tationum æqualitate quantitatis
olim in permutationibus id incon
&res permutandæ non semper ad
quandam æquivalentem reduci
semper eveniret, ut, quod ego h
dem indigeres, quamvis commo
rem tuam comparare. His comm
pulis complanandis sola nummi
periebatur, quo & quodlibet eme
posses, & eundem pari utilitate
compendium rursus expendere.
de numismatis origine comment
1. Polit. 6. ξενικοτέρας γάρ, inquit,
δεῖσε τῶν εἰσαγέσθαι, ὧν ἐνδεεῖς, καὶ
πλείονα ζον, ἐξ ἀνάγκης ἡ τῦ νομίσμα
σις. ἡ γὰρ ἰσάζακλον ἐκαστον τῶν κ
διὸ πρὸς τὰς ἀλλαγὰς τοιῦτον τὶ συ
αὐτὸς, διδόναι καὶ λαμβάνειν, ἃ τῶν
ἔχει τὴν χρείαν ἐυμεταχείριστον πρὸς
ρῶ καὶ ἀργύρῳ, κἂν εἴ τι τοιῦτον ἕ
τον ἁπλῶς ἐεὶ δὲν μιχθὲν καὶ σταθμω
καὶ χαρακτῆρα ἐπικαλλόντων, ἵνα ἀπλ
αὐτὸς. ὁ γὰρ χαρακτὴρ ἐτέθη τῦ πόσυ
enim ob locorum distantiam res
rat, tam facile advehi non posse
mitti alia aliorsum, quarum ab
est, necessitas usū nummi inveni
modò quodlibet ultro citroq; veh
cura necessitatibus deservit. P
mutationes gentes inter se ipsas
gitaverunt, quod & dare & a
idq; ex utilibus ipsum esset, & ha
ciliorem ad vivendum, velut se

zum aut aliud quid simile. Quod primo quidem simpliciter definiebatur magnitudine & pondere, tandem verò & impresso charactere, ut appendendi levaret tedium. Character enim ponebatur signum quantitatis. Ex quibus verbis insuper discere licet, placuisse gentibus materiam nummi pretiosam & vitæ civili maximè congruam: id quod tamen externum quid est, & potest nummus non minùs corio, ligno, aliáve materia formâ publicâ signata absolvi. Totum negotium dependet à voluntate legislatoris, à quo omnis nummus, quod est, habet. Equidem melius est, eam cudendæ monetæ adhibere materiam, quam corruptam vel valore mutatam in tuos usus rursus conferre possis; Verùm hoc consilii, non juris, non necessitatis. Deinde docemur ab Aristotele, valorem nummi primis temporibus pondere stitisse, idque extra dubium est, atque exinde tot in Rep. Rom. veteri de ære appenso loquendi formulæ. Sed progressu temporis laboriosa hæc appendendi ratio gentibus displicuit, quæ non nisi ingenti cum incommodo commerciorum & inutilibus contrahentium ambagibus perfici poterat. Hinc compendii causâ valorem cujuslibet monetæ forma publica determinavit, quæ utplurimum ipsius cudentis imaginem cum quantitate valoris impositi continebat. Remansere nihilominus reliquiæ quædam ex veteri appendendi more; Licèt enim nummus plerunque per publicam formam valorem suum assecutus fuerit, quia tamen ille valor cum certo pondere semper concurrit, ad quod etiam cudebatur, ideoque appendendo adhuc explorant,

num justo ponderi conveniat, idque ideò inprimis, ut fraudibus falsariorum, quibus solemnis radendi cædendique mos est, occurratur. Atque id etiamnum apud nos in viridi observantia est, ubi quotidie nummos, nobiliori paulò materia, auro vel argento, conflatos, vix sine appensione recipi videas. In cæteris non adeò curiosi, quos communiter ad scrupulum examinare nolunt, ne ad antiquum appendendi morem affectata molestia rediretur. Hactenus de rei nummariæ usu domestico. Secundarius verò & improprius ille est, quando nummus non æstimationis causâ, sed eum in finem adhibetur, ut is nobis quæstuosus sit, aliumque sui similem pariat. Hinc usuræ exortæ, quæ Græcis convenientissimo rei vocabulo τόκος dicuntur, διὰ τὸ τίκτειν. ὅμοια γὰρ τὰ γενόμενα τοῖς γινομένοις αὐτὰ ἐστιν. ὁ δὲ τόκος γίνεται νόμισμα νομίσματος. teste eodem Philosopho 1 *Polit.* 7. Cui etiam est quæstus usurarius παρὰ φύσιν, non quòd naturæ contrarietur, sed quia non venit ex primario nummi usu, qui ejus naturæ maximè conveniebat. Non enim nummus ad quæstuosas usuras, sed permutationis & æstimationis causâ inventus est. Antequam hanc concludamus observationem, cavendas volumus plerorumque scriptorum locutiones, qui jus monetæ cudendæ ex jure gentium ortum esse asserunt, ne de vero & genuino gentium jure accipiatur; nam moneta non ad commune gentium decretum, sed cujuslibet Reip. curam pertinet. Quemvis imperantem in sua Civitate rei monetariæ rationem rectè habere, eamque pro lubitu & civium commodo moderari, nemo fortasse facilè

cilè negabit, qui expendet, jus monetæ cudendæ hactenus inter præcipua majestatis jura relatum fuisse, infallibili argumento, id ad jus gentium non pertinere: quæ enim hoc jure sanciuntur, omnes Resp. ex æquo obligant, unius aut alterius placitis non mutanda; Sed res monetaria Principis arbitrio subjacet, à quo formari, reformari & abrogari potest, ergo non est adæquatum juris gentium objectum.

Ac proinde pro eo.] Verùm hoc planè impertinens est; Non enim dantur usuræ ob usum mutuatæ pecuniæ, sed potiùs propter ejus carentiam, neque fundamentum usurarum in eo est positum, ut liceat mutuatario pecunia accepta uti frui, nam illud vi contractus ipsi licet; Verùm enim verò, quia mutuans pecunia mutuata ad aliquod tempus carere tenetur, ne ipsi liberale officium damnosum sit, compensationem quandam accipit, hoc quidem temperamento, ut & alteri pecunia mutuata usui esse possit. Quare si Grotius usum, pro usu mutuatarii in pecunia mutuata accipit, non video, quomodo id adeò speciosum sit, ad quod tam comparata ad quasi usumfructum responsione non opus fuisset.

Quàm quod plerung, ei adest.] I. e. abusu, qui omnibus rebus extrinsecè accidere solet, & sedulò ab usu ipso distinguendus est.

Sed quicquid.] Grotius noster hactenus pro usuris dixerat, illas jure naturali non esse illicitas. Nunc se ad id, quod magis honestum magisque pium est, recipit, & parum abest, quin Christianis omnem usurarum modum prohibeat: quodam modo sibi ipsi hic & in §. seq. contrarius,

quod ibi videbimus. Nos ab initio statim §. hujus diximus, quatenus usuras licitas esse existimavimus, ad quæ compendii causâ nos referimus.

Quæ vetat Hebræos Hebræis.] Extat hæc *l. Deut. 23. 19. Fratri tuo non fœneraberis.* Sed illa foro judaico applicata nos non obligat, quàm quatenus eam recipimus. Et si de justo atque legitimo fœnore accipitur, nihil morale obligans continet: ut frustra sit Grotius, de honesta hujus juris materia differens. Ipse enim fœnerandi actus intra legitimum modum cohibitus neque moraliter malus neque bonus, sed indifferens est, quem vel honestè exercere vel sine turpitudine omittere possis. Psalm. autem 14. de fœnore illicito, quique morsum infert, loquitur; Ratio verò legis, quæ Hebræum à fratre prohibebat usuras capere, ex habitudine Reip. judaicæ, ut tum temporis erat, facilè conjectari est. Vocabantur enim Judæi à Deo in terram sanctam, & divina vindice manu ex turpissima servitute asserti libertati & suæ Reip. reddebantur. Quoniam verò iis non solùm in peregrinum, ut sic dicam, orbem eundum erat, sed & illum armis occupari oportebat, idcirco ne in principiis Reip. noviter constitutæ nec satis adhuc coalitæ inter tot efferas & hostiles gentes damnum incurrerent, providendum erat, quod facilè evenire potuisset, si locupletiores indigentiorum facultates fœnore etiam modico exhausissent, quibus tum temporis res familiaris neque domi neque in rure satis constituta erat. Quare ex hac lege imitamentum sumi potest, nulla exinde necessitas surgit. Quin potiùs in contrarium ex sacris

literis pro fœnore exercendo non leves conjecturæ sunt. Quippe idem ille textus, quem Grotius pro se facere putat, à nostris partibus stat. Nam dum ibi prohibemur fratri nostro fœnerari, licitum erit fœnerari extraneo. Quod si verò actio usuraria moraliter mala esset, in extraneum non magis licuisset, quàm fratrem. Quod de vocatione ad majora virtutum specimina subdit, vix à nostris Theologis habebit assensum, quam controversiam meam non facio. Sed discursui inhærens, urgeo insuper, quòd Salvator noster ipsam usuram in fabula tanquam rem bonam & laudabilem inducat, cujus omissio servo noxæ fuit. *Oportuit te*, inquit, *commitere pecuniam meam nummulariis, & rediens ego utiq; recepissem, quod meum est, cum usura.* (a) Non utique sic de fœnore locutus fuisset Dei Filius, nisi illud moderatè exercitum licitum agnovisset, nam aliàs non solebat parabolas suas rebus inhonestis & turpibus velut in speciem bonis infarcire.

§. 21. *Quæ ad usuræ speciem.]* Hic parum abest, quin in nostra castra Grotius transeat. Etenim nobis usura nihil aliud significat, quàm accessionem quandam supra sortem solutam in compensationem lucri cessantis, aut emergentis damni.

Deductu sc. incerto.] Rectè, citra legem civilem æquitas ad scrupulum examinatur & pensatis utriusque partis commodis vel incommodis de illa accessione definit.

Usura verè non est.] Quatenus usura in sensu

(a) Matth. 25. Luc. 19.

quod ibi videbimus. Nos ab initio statim §. hujus diximus, quatenus usuras licitas esse existimavimus, ad quæ compendii causâ nos referimus.

Quæ vetat Hebræos Hebræis.] Extat hæc *l. Deut. 23. 19. Fratri tuo non fœneraberis.* Sed illa foro judaico applicata nos non obligat, quàm quatenus eam recipimus. Et si de justo atque legitimo fœnore accipitur, nihil morale obligans continet: ut frustra sit Grotius, de honesta hujus juris materia differens. Ipse enim fœnerandi actus intra legitimum modum cohibitus neque moraliter malus neque bonus, sed indifferens est, quem vel honestè exercere vel sine turpitudine omittere possis. Psalm. autem 14. de fœnore illicito, quique morsum infert, loquitur; Ratio verò legis, quæ Hebræum à fratre prohibebat usuras capere, ex habitudine Reip. judaicæ, ut tum temporis erat, facilè conjectari est. Vocabantur enim Judæi à Deo in terram sanctam, & divina vindice manu ex turpissima servitute asserti libertati & suæ Reip. reddebantur. Quoniam verò iis non solùm in peregrinum, ut sic dicam, orbem eundum erat, sed & illum armis occupari oportebat, idcirco ne in principiis Reip. noviter constitutæ nec satis adhuc coalitæ inter tot efferas & hostiles gentes damnum incurrerent, providendum erat, quod facilè evenire potuisset, si locupletiores indigentiorum facultates fœnore etiam modico exhausissent, quibus tum temporis res familiaris neque domi neque in rure satis constituta erat. Quare ex hac lege limitamentum sumi potest, nulla exinde necessitas surgit. Quin potiùs in contrarium ex sacris

literis

literis pro fœnore exercendo non leves conjecturæ ſunt. Quippe idem ille textus, quem Grotius pro ſe facere putat, à noſtris partibus ſtat. Nam dum ibi prohibemur fratri noſtro fœnerari, licitum erit fœnerari extraneo. Quod ſi verò actio uſuraria moraliter mala eſſet, in extraneum non magis licuiſſet, quàm fratrem. Quod de vocatione ad majora virtutum ſpecimina ſubdit, vix à noſtris Theologis habebit aſſenſum, quam controverſiam meam non facio. Sed diſcurſui inhærens, urgeo inſuper, quòd Salvator noſter ipſam uſuram in fabula tanquam rem bonam & laudabilem inducat, cujus omiſſio ſervo noxæ fuit. *Oportuit te*, inquit, *commitere pecuniam meam nummulariis, & rediens ego utique recepiſſem, quod meum eſt, cum uſura.* (a) Non utique ſic de fœnore locutus fuiſſet Dei Filius, niſi illud moderatè exercitum licitum agnoviſſet, nam aliàs non ſolebat parabolas ſuas rebus inhoneſtis & turpibus velut in ſpeciem bonis infarcire.

§. 21. *Quæ ad uſuræ ſpeciem.]* Hic parum abeſt, quin in noſtra caſtra Grotius tranſeat. Etenim nobis uſura nihil aliud ſignificat, quàm acceſſionem quandam ſupra ſortem ſolutam in compenſationem lucri ceſſantis, aut emergentis damni.

Deductu ſc. incerto.] Rectè, citra legem civilem æquitas ad ſcrupulum examinatur & penſatis utriusque partis commodis vel incommodis de illa acceſſione definit.

Uſura verò non eſt.] Quatenus uſura in ſenſu

(a) Matth. 25. Luc. 19.

sensu odioso pro fœnore illicito accipitur. Est verò usura, si pro qualicunque ultra sortem accessione.

Fœneratorum odio.] Non tamen negat, illud lucellum usuram esse.

§. 22. *Impunitatem præstare possunt, jus dare non possunt.*] Atque inter hæc multum interest. Nam leges, quæ iniquum aut malum jubent, impunitatem dant obsequentibus, jus autem non dant, i. e. non faciunt malum bonum, & iniquum æquum.

§. 24. *Quod autem dictum à JCto.*] Atque sic generalem Justiniani mentem *in §. 1. l. de societ.* communiter interpretes limitant. Rectissimè quidem, quod æquitatem naturalem attinet. Quid enim magis æquum est, quàm de societate, quæ fraternitas quædam est, unumquemque pro ratione collationis participare? An verò talis restrictio Imperatori in mentem venerit, fortassè non immeritò verba nimis universalia nos dubitare faciunt. Et certum est, licere legislatori statuere ita, ut in societate non expressis partibus æquales intelligantur, utut inæquales collatæ fuerint. Cùm hoc & ad lites minuendas, cujus potior cura semper civitati esse debet, & in pœnam eorum, qui, cùm potuerint legem contractui apertiùs dicere, id non fecerunt, omninò sancire jus sit.

In societate universorum bonorum.] Est hæc duplex societas. Vel enim ita contrahitur, ut non res ipsæ, sed saltem quæstus ex rebus eveniens communicetur. Vel sic, ut & omnium omninò rerum dominium inter socios commu-

ne

ne fiat, debita verò utrinque cedantur. Et de utroque modo, ſicut libuerit, rectè convenire licet. Nec minùs jure Romano hæc diſtinctio optimè fundatur, *in l. 1. pr. & l. 7. ff. proſec.* & prior quidem ſocietas dicitur ſimpliciter contracta, altera verò adjecta univerſorum bonorum clauſula. Neque officit in contrarium d. l. 7. ex quibus nonnemo DD. colligere voluit, ſimpliciter contractam ſocietatem eſſe univerſorum bonorum. Illud enim continuò in d. l. limitatur verbis immediatè ſubſequentibus, *quæ ex quæſtu veniunt*. Quare non aſſeritur ſocietatem ſimpliciter initam eſſe univerſorum bonorum generaliter, de qua in l. 1. ſed limitatè, ſc. univerſorum bonorum, quæ ex quæſtu veniunt. Ut hac ratione nihil cauſæ ſit, cur d. l. 7. diſtinctioni noſtræ adverſari putemus, quæ ſe ipſam ad quæſtum reſtringit.

§. 26. *Quod inæqualitas rerum.*] Paulò ſuprà, cùm de rerum æſtimatione diximus, ſufficientibus argumentis declaravimus, omnem rem in ſe conſideratam exacta ad aliam collatione æſtimari non poſſe, ſed cujusque pretium valoremque venire ex indigentia & uſu mutuo. Nummum verò eum ſolum eſſe, qui rebus æſtimandis aptus repertus ſit. Cæterùm quod Grotius hîc diſputat de jure gentium circa æqualitatem rerum in contractibus obſervandam, accipiendum illud exiſtimo de jure gentium, ut vocat, externo, i. e. recepta inter multos populos conſuetudine. Verum autem gentium jus hactenus ſaltem hîc aliquid diſpoſuiſſe videtur, quatenus tranquillitatem gentium contingit, cæte-

ra in naturali statu reliquisse. Cùm enim gentes inter se communi modo contrahentes non tam actum aliquem gentium publicum quàm privatum atque peculiarem agere censeantur, de illo impertinenter jus gentium disponeret, quod circa actus publicos solùm versatur, qui mutuam populorum quietem & respectum quendam communem involvunt. Neque enim consuevit jus gentium falcem in alienam messem mittere, sed sua jurisdictione, quæ amplissima est, contentum peregrina negligit. Quare in conventionibus, quæ gentibus, ut gens sunt, intercedunt, quod quidem æqualitem attinet, ita procedendum opinor: ut in permutationibus rerum alia æquælitas non detur, quàm quæ ab utraque parte permutantium usu metitur, ut solus ille usus rem etiam minimam cum maxima conciliare & permutare rectè possit. Quocirca non facilè hic læsionis querelæ ob inæqualitatem rei oriuntur, nisi in re ipsa vitium sit, vel dolus à parte alterutra intervenerit. Sed & in emptionibus, ubi de pretio agitur, idem statuo. Tanti enim quælibet res æstimatur, quanti meâ interest illam habere. Insuper ex abundantia pecuniæ vel ejusdem raritate pretia rerum non ejusmodi esse possunt. Sic memorant Historici, (*a*) cùm Franciscus Pizarra Peruanum regnum subegisset, tantam ibi auri argentique copiam inventam esse, ut vini cadus trecentis aureis hispanicis, pallium hispanicum mille, equus sex millibus æstimaretur. Itaque non video, qua ratione facilè inæqualitas rerum contra-

ctui

(*a*) Bodin. 6. de Rep. 2.

ctui naturaliter obesse possit, cùm illam semper usus & indigentia ad æqualitatem reducat. Ut neque hac ratione jure gentium opus fuerit. Quod si verò dolus in ipsum contractum inciderit, tunc ille reparandus venit vel actione quanti minoris, vel etiam ipsius contractus rescissione.

Naturaliter licere.] Exercuit hæc *l. 16. §. 4. ff. de Minor.* DD. ingenia miris modis. Nam verbum circumvenire ab omnibus ferè pro decipere, & quidem eo in sensu, qui vitium involvit, acceptum videas. Quomodo etiam noster Grotius licere explicat, ut fas quidem non sit, at verò contra illam deceptionem nullum juris sit remedium proditum: naturaliter verò pro eo accipit, quod receptissimi moris est, sive illud æquum sit, sive non, sive juri naturali conveniat, sive ab eodem discrepet. Cum quo & ego principio libenter feci. Nunc legem maturiùs consideranti occurrit medela, quâ omnis iniquitas tanquam præsentissimo alexipharmaco tolli posse videtur, num verò eadem quoque mens JCto fuerit, pro certo affirmare non ausim: illud tamen mihi persuasum habeo, officium JCti esse, apparentes in speciem iniquitates legum concinna, si fieri potest, explicatione meliori & initiori sensu incrustare, modò is planè verbis expressis non sit contrarius. Quin & illud pro mente legislatoris præsumendum est, æquitatem iniquitati semper prælatam voluisse. Ego itaque hoc modo explico legem, & res caret periculo. In pretio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se invicem circumvenire,

eatenus sc. quatenus in speciem utrique parti ita visum fuerit, cùm tamen neutra revera læsionem senserit, id quod evenire potest mediatore usu & indigentiâ illâ, de qua jam toties verba honorifica fecimus. Sic venditor, qui recepto pretio rem tradit, quâ ampliùs non opus habet, ideo in lucro esse & circumvenisse emptorem sibi persuadet, quia nummis ob rem venditam acceptis negotia sua & facultates in melius promovere, rursusque alio quæstus genere utilitatem domesticam procurare uberiùs valet. Neque minùs etiam emptor ipse, qui re emptâ indiget, suum emolumentum egit, quatenus otiosam pecuniam in fertiliores possessiones impendit, ex quibus ei fructum non exiguum colligere integrum est; Quâ ratione & respectu uterque lucrum fecisse & alterum circumvenisse dici rectè potest, idque naturaliter citra ullum vitium, jure naturali, non quidem præcipiente, sed nec prohibente, licere, nemo est, qui dubitat. Et si in hunc modum ab interpretibus accipitur, quod multi *ad d. l. 16. §. 4.* de limitatione vocabuli naturaliter commentantur, idque vocabulo ἰμπνευκῶς explicant, non multum repugno. Quemadmodum nec illud, si eadem censura stringatur, quod de deceptione re ipsa & facto citra personalem circumscriptionem habent. Aliter autem non admiserim. Nam alterum revera decipere damnoque contrahendo afficere, idque naturaliter licere, utcunque ἰμπνευκῶς & ex communi voto fiat, mihi facilè imponi non sino; qui scio, jus naturale omnia fraudum ac decipularum genera perpetuo prohibere interdicto, cui à nobis asciti-

tiâ negotiationis ſpecie minimè contravenien-dum eſt. Quo intuitu rectiſſimè Dn. Limneus (*a*) dixit, *utcunque hu & ſimilibus coloribus id excuſetur*, honeſtati tamen non usquequaque convenire. Noſtra verò explicatio nihil incommodi aut vitii moralis habet, ſed in nuda contrahentium ſimplicitate conſiſtens utrumque in lucro eſſe jubet, quod & honeſtum omninò, & juri naturali conveniens & pro legis ſanctitate omnibus modis præſumendum eſt. Neque repugnat nobis *l. 22. §. 3. ff. Loc. Conduct.* ubi Paulus JCtus dicit, in emendo & vendendo naturaliter conceſſum eſſe, quod pluris ſit, minoris emere, & quod minoris, pluris vendere. Quoniam illud non incommodè ita accipitur, ut naturaliter mihi conceſſum ſit eam rem minoris emere, quam alius pluris emeret, & tibi liceat pluris rem mihi vendere, quam alius non niſi minoris emeret. Cujus diverſitatis certiſſima ratio ea eſt, quòd ſolus uſus pretia rerum intendat vel minuat, neque quisquam jure aut vi adigi poſſit, ut mihi aut ſuam rem minoris, quàm velit, vendat, aut ego pluris, quàm mihi viſum fuerit, emam. Atque hanc interpretationem ſalvandis legibus excogitavi, an ex mente JCtorum illud fecerim, haud æquè dixerim, interim intrepidè aſſevero, contra verba illam non eſſe, & habere in dubio pro ſe illud juris adminiculum, de omni lege ſemper quàm honeſtiſſimè præſumendum eſſe.

Cùm tamen ea regula.] Rectiſſimè quidem. Nulla enim naturalis inter hæc pugna eſt, niſi

(*a*) Ad Aur. Bull. c. 1. §. 3. obſerv. 11. n. 4.

quæ ex consuetudine & jure Romano venit. Aliàs id militi non liceret, & levis militantium sensus non potest ex contrariis facere non contraria. Ut bene *Dn. Ziegl. h* cui & in eo accedo, rem hanc esse meram juris civilis subtilitatem, addo ego neque omninò necessariam neque omnibus populis receptam. Cùm enim in morientis potestate & arbitrio sit, bona sua vel ex testamento vel ab intestato ad hæredes in solidum transmittere, cur eidem non liceat partem testamento facto, partem verò ab intestato facere, ratio nulla est, nisi quòd ita legislatori placuerit: quin & casu, quo testator jus accrescendi prohibuit, jurisprudentiæ Romanæ convenientius esse existimat *Gothofr. ad l. 7. ff. de R. J. lit. x.* hæredes ab intestato ex præsumpta & tacita voluntate admitti, ne alioquin actus pereat. Nam qui vetat scriptos hæredes jure accrescendi uti, tali prohibitione & testamentarios confirmat hæredes, & ad alias partes vacantes haredes ab intestato satis expressè vocat. At quid hoc est aliud, quàm pro parte testatum, pro parte verò intestatum decedere? Neque huic difficultati Gothofredi medela applicita sufficit, hoc modo vocatos non tam ab intestato succedere, quàm ex testamento, quippe illud tacitum testamentum jus nostrum ignorat, & aliud nullum agnoscit, quàm quod suis solennitatibus more recepto factum est. Illud verò, quod est factum, de successione testamentaria hæredum ab intestato nihil disponit, sed saltem cavet, ne hæredes scripti invicem utantur jure accrescendi, quare omninò dicendum erit, eos, si succedant, magis ab intestato quàm ex testamen-

ſtamento ſuccedere. Verùm ut tam de hac quæſtione, ubi teſtator facto teſtamento jus accretionis prohibuit, quàm de illa, quæ priori affinis, ubi de bonis ſuis diſpoſuit, per ultimam voluntatem, ſed de certa ſumma porrò diſponendi ſibi facultatem reſervavit, mortuus verò fuerit, antequam de illa diſponeret, aperiam, quid mihi videatur. Ego quidem quoad prius membrum contra Gothofredum ſentio, etiam invito teſtatore ſcriptis hæredibus illam portionem nihilominus accreſcere. In altera autem, (*quam & Dn. Hahn. tractat ad Weſ. tit. Unde vir. & uxor. Et quærit, quorſum illud reſervatum pertineat,*) exiſtimo intereſſe, utrum ſolemne teſtamentum factum ſit, vel ſaltem donatio mortis causâ aut fideicommiſſum ab inteſtato, ſive etiâ pacta dotalia ſucceſſoria. Ut primo caſu reſervatum ad hæredes ſcriptos pertinere arbitror, ita ſecundo illis ab inteſtato defero. Rationes verò meæ ſunt hæ. Primò quidem, quod factum ſolemne teſtamentum attinet, utrobique tam in prima quæſtione, quàm ſecundæ priori membro ante omnia indubitati juris eſſe præſupponendum eſt, factionem teſtamenti pertinere ad jus publicum, neque contractibus aut arbitrio privatorum ſubjacere, ſed potiùs leges informare ultimas defunctorum voluntates, & ad ſuas examinare formulas. Neque teſtatoribus licere pro lubitu & beneplacito teſtamenta condere, ac per ea facultates ſuas ad alios transferre. Sed ſemel certum modum ſolemnitatesque excludendis fraudibus ac captionibus præſcriptas eſſe, ab omni teſtatore perpetuò obſervandas, niſi vel ipſum teſtamentum nullum red-

di, aut facta contra leges pro non adjectis haberi velit. Inter alia verò, quæ lex publica ordinandis testamentis præscripsit, illud etiam est, ne cuipiam jus sit, præter militem, pro parte testatum & pro parte intestatum decedere. In eumque finem, & ne plurima testamenta ex hoc defectu vitiosa in irritum caderent, salutari juris accrescendi remedio prospexit ultimis voluntatibus, quas omni modo integras esse cupiebat; Ut, si fortè eveniret, quem ex hæredibus institutis vel nolle vel non posse hæreditatem pro sua parte capere, illa pars cohæredibus accresceret, ne si consanguineis cederet, visus fuisset defunctus contra publicum testamenti jus ex uno latere intestatus decessisse, id quod planè prohibitum erat. Hoc itaque accrescendi jus sustinendis testamentis introductum privatorum testamentorum arbitrio non subjacet, nec testatoribus integrum est illud prohibere, ne in suis testamentis locum habeat. Sed potiùs illa prohibitione non attenta exclusis hæredibus ab intestato accrescet pars deficiens testamentariis. Idem judicium esto de reservato illo, de quo testator ante mortem suam nihil disposuit. Nam & illud testamentariis cedere ex eodem accrescendi jure, & legitimos exinde arceri, ne pro parte intestatus sit, rectissimè ex ἀναλογία juris statuimus. Existimat quidem, ut paulò antè innuimus, Gothofredus *ad d. l. 7. lit. x.* legitimos hæredes ad partem vacantem ex tacita & præsumpta testatoris dispositione non jam ab intestato, sed potiùs ex testamento succedere. Verùm talis tacita testamentaria successio juri nostro non congruit, & ubi

nullum

nullum eſt teſtamentum, jure inteſtati ſemper ſucceditur. Teſtamentum verò, quod factum eſt, ad illos pertinere non poteſt, de quibus in eo nihil ſcriptum vel cogitatum, quique neque inſtituti neque excluſi ſunt, cùm & in omni alio negotio res inter alios acta nihil ad tertium, & tantum quisque voluiſſe præſumatur, quantum vel ſcripſit vel dixit. Et non video, quomodo in hoc caſu hæredes ab inteſtato magis ſuccedant ex teſtamento, quàm ubi nullum planè teſtamentum factum eſt. Tacita enim deferentis præſumpta voluntas utrobique una & ſibi ſimilis eſt. Quin ſi tacitam hanc inſtitutionem, ubi expreſſum teſtamentum adeſt, facilè admitteremus, innumeris periculis teſtamentariæ diſpoſitiones & defunctorum voluntates exponerentur. Adde jam, quod DD. communiter ferè aſſerunt, hæredum inſtitutionem verbis non negantibus vel privativis, ſed affirmantibus fieri debere, addunt-que exempli loco caſum, quo ſi quis filium exhæreditaviſſet, ubi intra annum non redierit, haud propterea videatur inſtituiſſe, illo intra definitum tempus revertente: cùm ex diſpoſitionibus privativis non reſultet habitus, nec ex negativa induci poſſit affirmativa; *Weſenb. de Hared. inſtit. n. 6. & ab eo all. Bald.* Quod ſi igitur ex diſpoſitionibus privativis nó reſultat habitus, nec filius exhæreditat9 ſub conditione, conditione adimpleta inſtitutus cenſetur, cùm tamé in eodem teſtamento ejus mentio facta fuerat, quantò minùs ſola juris accreſcendi prohibitio neque nominatis neque ſcriptis hæredibus aliquid dare poterit, imprimis, cùm tanquam juri teſtamen-

torum publico contraria nullarum virium sit. Gemina cum hac ratione mea illa est, quam in *l. 72. §. fin. ff de Condit. & Demonstrat.* reperi, ubi sic habetur. *Falsam legati demonstrationem non facere legatum Sabinus respondit. Velut si quis, cùm Titio nihil legasset, ita scriptum reliquerit. Ex centum, quæ Titio legavi, quinquaginta hæres Seio dato. Idq; si nupsit ex defuncti voluntate. Quia non animo legandi, sed diminuendi legatum, quod falsò datum existimarat, ita scriberet.* Quare si falsa demonstratio non inducit legatum, quia testatori non fuit mens legandi, sed diminuendi, neque prohibitio juris accrescendi inducet hæredis institutionem, quia ex eadem rationis paritate testator non volebat hæredem instituere, sed accrescendi jus prohibere. Id quod tamen ipsi non permissum est. Alii ad sententiam contrariam fulciendam ita ratiocinantur; Hujus reservati & vacantis partis intuitu ac contemplatione nullum adesse quidem testamentum, bona verò, de quibus testamentum nullum factum est, jure naturali, divino & civili ad hæredes legitimos ab intestato pertinere. Sed respondemus, illud tamdiu verum esse, quando lex nullum impedimentum ponit. Sed cùm illud hic expressè adsit, prohibendo nimirum, ne hæreditas partim ex testamento, partim ab intestato deferatur, idcirco etiam illa jura cessare. Verum est, si planè testator nullum feciſſet testamentum, bona ad hæredes legitimos perventura fuisse. Nunc quoniam de bonis quibusdam disposuit, de aliis disponere omisit, aut, quod in idem recidit, jus accrescendi

creſcendi prohibuit, ne hoc modo contra formulam teſtamentorum ordinationibus à jure publico præſcriptam impingat, lex voluit pro parte teſtatum ex omni parte teſtatum decedere, & portiones non teſtamentarias ut teſtamentarias accreſcere hæredibus ſcriptis, licèt teſtator accretionem prohibuiſſet. Non enim ordo publicus ſibi illudi & ad privatorum hominum voluntatem ſe circumagi patitur. Sed vereor, ne in re tam liquida plus juſto immorari videar. Ut autem & poſterius ſecundæ quæſtionis membrum paucis attingam, dico in donationibus mortis causâ, pactis ſucceſſoriis, & fideicommiſſis ab inteſtato reſervata illa legitimis hæredibus omninò cedere. Ratio differentiæ in aprico eſt, quòd hoc caſu regula antè dicta ceſſet, quoniam jam non eſt periculum, ut quis pro parte teſtatus & pro parte inteſtatus decedat, quando hic nullum planè teſtamentum factum eſt: & de hoc caſu etiam loquitur conſilium facultatis Juridicæ Juliæ Univerſitatis, quod Hahnius toti quæſtioni nimis generaliter & captiosè applicat. Neque conſilium laudatum de caſu reſervati, ſicubi teſtamentum extat, quicquam pronunciat, ſed in terminis pactorum dotalium ſucceſſionis ab inteſtato manet, & expreſſis ſatis verbis declarat, nullum hîc teſtamentum adfuiſſe. Procul dubio itaque conſuluiſſet aliud, ſi in caſu teſtamentarii reſervati conſultum fuiſſet. Cæterùm quæ contra Gothofredum hucusque diſputavimus, illa ad normam & analogiam juris civilis intellecta volumus; Naturaliter enim magis verum eſt,

ea, de quibus teſtator teſtamento non diſpoſuit, ad legitimos hæredes pertinere.

Juris introducendi.] Non opus eſt, ut hîc novum jus fingamus. Totum negotium ex iis, quæ ab initio ſtatim ad h. §. diximus, ſatis eſt expeditum.

CAPUT XIII.

DE JUREJURANDO.

§. 1.

Nullum vinculum.] Cauſa, quæ jurisjurandi religionem adeò ſanctam atque inviolabilem apud omnes gentes facit, alia non eſt, quàm quòd omnibus in univerſum hominibus per generalia juris naturæ præcepta propriosque conſcientiæ motus innotuit, eſſe aliquem Deum, qui hanc mundi fabricam, & quicquid in illa eſt, ineffabili omnipotentia condidit, imprimis verò hominem nobili rationis uſu à cæteris animalibus diſtinxit, & ad cultum divinum ac ſui venerationem obligavit, adeò ut & ſui nominis ac ſanctæ voluntatis contemptores omnibus probris malisque afficiat, bonos verò viros fortunæ bonis inſtruat, quo & probis præmia ad pietatem incitamento ſint, & impiis pœnæ correctioni, ad cæteros autem metus parilis ſupplicii pertineat, ſi quando & illi ſcelere ſe mancipare voluerint. Neque ullus omninò populus adeò ferus & incivilis eſt, quin hæc univerſalia naturæ ratiocinantis principia probè noverit. Quare cùm fides hominum in contractibus aliisque negotiis tum publi-

publicis tum privatis sæpiuscule fluxa reperiatur, aliis illam sola utilitate & compendio æstimantibus, aliis verò incommoda interpretatione pacta eludentibus, ut perfidiæ hominum luxurianti, velut obex, qui poterat, fortissimus poneretur, ad religionem confugiendum erat, quòd verisimile esset, illos, qui fidem sociis frangunt, Deo servaturos. Neque enim ullum ad tenendas populi mentes in obsequio & justitia fortius vinculum est, quàm religio, quo etiam fit, ut perjurus eo, qui simplicem fidem fefellit, majori apud nos odio & infamia sit. Quid enim putas illi sanctum firmumque esse, cui Deum fallere, ejusque nomen sanctissimum velut decipulas & retia fallendis aliis adhibere volupe est? Quippe hoc omni juramento familiare ac domesticum est, datæ servandæque fidei Deum vocare testem & vindicem, ut, si perfidus fefellerit, Deus ipsum omnibus malis afficiat. Interdum etiam certæ execrationum formulæ adjectæ leguntur, ut veteres illi Romani jurabant, si scienter fefellerint, Jupiter eos ita urbe, laribus & fortunis omnibus ejiceret, quemadmodum ipsi hunc lapidem, quem manu tenentes post juramentum præstitum quanto maximo nisu poterant, extra urbem longissimo jactu protrudebant. Verùm immensa hominum malitia sicut alia, ita hanc quoque jurisjurandi religionem contempsit, ut tam antiquis temporibus, quàm nostro seculo nihil frequentius venaliúsve perjuriis esse videas. Omnium penè cordibus tanquam sanctissimum axioma illud subtilissimæ nequitiæ inscriptum hæret, pueros talis, viros verò juramentis fallendos

esse. At profectò nemo tandem majestatem divinam impunè spreverit, multosque etiam nullis apparentibus causis pessum ire videmus, quos occulta Numinis ira perfidiæ reos ad justitiæ tribunal rapuit, & meritis suis æquissimo judicio respondit. Imò quibuscum feliciter interdum nostro judicio actum putamus, pessimè omnium habent, & se cum Tiberio quotidiè perire sentiunt, quando acutissimis conscientiæ aculeis commissi vitam inter metum & pudorem miserrimè ducunt. Est enim profectò mala conscientia gravissimus ille flagellator & carnifex animorum, quo vix quicquam nobis pejus contingere potest. Hic agitat, lacerat, laniat, in continuoque motu nos inquietos habet, ut frustra ille securitatem sibi polliceatur, quem malis excita mens panniciis ubique terroribus circumstrepat. Utcunque omnia in tranquillo sint, facinorosus vel solam ad arundinis motæ umbram trepidat; nunc ultricem ensem cervici impendentem vana imaginatione conspicit, & plerunque subita rei occasio sceleratos ad confessionem cogit, dumque fortuito verbo detectum facinus existimant, ipsi trepida confessione illud denuò aperiunt. Contra verò vir bonus suæ conscientiæ candore fretus nunquam pudorem nisi ingenuum sentit, nil præter vim injustam metuit, porrectissimaque ubique fronte non furtivis oculis obvium quemque salutat & alloquitur. Quamvis verò omnia crimina conscientiam lædant, tum vel maximè perjurium, ut mirum esse non debeat, cur apud omnes ferè gentes juramentum maximo horrore & religione fuerit, quod novimus

esse

esse omnium fœderum confirmatorium, omnium probationum ultimum refugium, &, ut alius dixit, æris alieni optimum emplastrum.

§. 2. *Obligatio à juramento est inseparabilis.*] Quia in omni juramento id agitur, ut jurans se ad aliquid obliget, quod & in eo, ubi nemini præter Deum juratum est, idem obtinet. Quoniam itaque animus & voluntas se obligandi ex actu juramenti immediatè concluditur, veterator ille & deceptor est, qui volens jurare se obligare noluit. Nam voluntatem intrinsecam per sufficientia signa colligimus, & tantum quisque voluisse censetur, quantum dixit, vel aliàs sufficienter significavit.

§. 3. *Animo tamen non jurandi.*] Idem hîc judicium esto, quoniam voluntas jurandi per actus externos significata fuit.

Debet dicta vera facere, quomodo putat intelligi.] Secus enim latissimus circumscriptionibus aperiretur campus, sicque facillimè omnia perjuria evitari possent, allegando, jurantem non ita intellexisse, sicut intellexit is, cui juratum. Accedit, quòd ille non possit non in dolo hærere, qui probabiliter existimat eum, cui jurare vult, aliter mentem suam ob verborum atque formularum ambiguam structuram capere, illud tamen non indicat, neque animum suum apertiùs explicat. Hinc expeditum de eorum perjuriis judicium est, qui verba data cavillando alteram partem perfidiâ oppressêrunt sub colore, quasi in hoc juratum non fuisset. (a) Sicut ille, qui triginta dierum inducias cum hoste pactus nocte agros

(a) Cic. 1. Offic.

agros populabatur; Sic & Locri Italici fœdus cum Siculis facientes capita sub tunicis super humeros posuerunt,& terram injectam calceis conculcantes pedibus jurarunt, se firmam ac solidam ipsis Remp. conservaturos, donec eam terram calcarent, & capita in humeris ferrent. Postridiè autem abjectis capitibus ascititiis levatisque terra calceis Siculos omnes,juramento fidem habentes, interfecerunt, quasi non ampliùs terram contingerent, nec capita portarent humeris, super quæ volebant juraſſe videri. Similis perfidiæ illud est, quod Cleomenes Lacon uni ex familiaribus suis Archonidi juravit, ut si voti compos fieret, à se cum ipsius capite omnia expedirentur. Postea rerum potitus interfecti Archonidis caput abscindi, & vasi pleno mellis immergi jusserat,& quotiescunque aliquid inchoare volebat, ad vas accessit, ibique propositum suum narravit: quasi hoc pactoservata fide omnia cum Archonidis capite consilia, ut juraverat,communicaret. Et hæc quidem diverticula turpi vafriciei asueta ingenia sibi quærunt, illis verò, qui excelsiùs sapiunt, mentiri morte pejus est. Et videmus etiam sæpiùs justissimo Dei judicio evenire, ut suis plerunque artibus tandem capti hæreant, ut omnes historæ infinitis exemplis docent.

Quanquam erant, qui dicerent.] Imprimis verò C. Marius, inimicus Metelli capitalis. Qui veterator spurcissimus, honestarum artium rudis, at atrocium belluarum more tantùm ad nocendum instructus ingenio, quid polliceretur,aut quomodo servaret promissa,nihil pensi habuit. Vultum ac verba fingere, pejerare,fallere,

lere, quod deterrimo cuique promptiſſimum eſſe artem atque virtutem arbitrabatur. Quare cùm antea de lege Apuleja in Senatu quæſtio moveretur, multa in ſpeciem de impotentia Saturnini queſtus, neque ſe juraturum, neque alium, qui ſaperet, facturum exiſtimare liquidò fuerat conteſtatus. Diebus paucis pòſt, jam maxima diei parte elapſa trepidè Senatum cogit, verbisque de lege & jurejurando factis veniſſe ſibi in mentem ait ſalubre conſilium, ne plebs irritata turbas det, ſi jurare Senatus nolit. Cenſere jurandum in legem, ſi quidem lex eſſet. Ita deceptam agreſtem multitudinem urbe amoveri: neque religione quemquam ejus ſervandæ legis adſtringi, quam per vim & contra auſpicia latam Jove tonante conſtaret. *Supplem. Liv Freinsh. l. 69. c. 14.* Hoc Metellus ideo recuſavit, quòd juramenta non ad ſuum tantùm ſed & alterius captum facta obligent Quare maluit urbe ingrate cedere, & exul à patria vivere, quàm pejerando Deorum vindictam, omnium bonorum indignationem & ipſius virtutis cenſuram incurrere, ſapienter admodùm cenſens, *peccare pravorum eſſe ingeniorum, recte facere ſine periculo vulgarium, at egregios animos à juſto honeſtoq; nullis aut præmiis aut minis dimoveri.*

§. 5. *Raptas cum raptoribus.]* Neque tamen juramento in eo ſatis feciſſe videntur, quòd bona eorum venia Benjamitæ filias rapuerint. Nam eo tempore, quando juraverunt, profectò de raptu interrogati etiam illud reſpondiſſent, ſe omni ope enixuros, quò minùs filiæ à Benjamitis in uxores raperentur; quomodo itaque ſe excuſabunt,

bunt, qui non tantùm nihil reluctantes raptũ admisere, sed & rapiendarum filiarum tempus atq; occasionẽ dederunt? nisi fortassè propterea quis uramentum non adeò validum dixerit, quòd fuerit conceptum de re majus bonum impediente. Nisi enim ipsi filias Benjamitis in matrimonium dedissent, eorum stirpẽ oportebat deficere, quod Reip. Israëliticæ & dedecori cessisset & peccato.

Quod Achai Romanis.] Achæi magis hoc se modo à juramenti religione liberavere. Quoniam enim sub Romanorum fide & ditione erant, ideo ipsis non licuit aliquid lege sancire, quod periculo Romanæ Reip. esset. Nec poterant impedire, quò minùs Romani tanquam superiores irrita atque infecta redderent, quæ ex ordine non erant facta.

§. 6. *Obligatio sit licita.]* Quemadmodum nullus contractus de re illicita initus firmiter ad dandum vel faciendum obstringit, propter defectum principii agentis & perpetuitatem vitii in effectu; Sic juramentum quoque in materia moraliter turpi præstitum nullas vires habet, quoniam vel in modum contractus obligat, vel illius est confirmatorium. Quare nullum est illud juramentum, quod præstitisse peccatum est, & salva fide poterit ab eo, qui juravit, non observari. Neque enim jurans Deo obstringi potest, qui hæc juramenta veluti ad malum obligatoria rejicit, neque hominibus, quibus certum est de re illicita non licere pacisci, imprimis cùm hîc Deus in testem & vindicem vocetur, qui magis servatum juramentum quàm non servatum vindicaret. Et quem propterea credere debemus omninò juranti

ranti voluisse fidem temerè datam remittere, ne perjurus fieret, non præstando quod juravit, vel præstando illud cogeretur ad peccatum. Quanquam nec hucusque excurrere necesse sit. Ipse defectus paciscendi de re prohibita in homine quolibet existens, satis arguit, ne quidem fidem datam allegari aut periurii periculum accedere posse. Quando frustra fidem damus de ea re, de qua fidem dare nobis est interdictum. Hinc Moralistæ juramento tres assignant comites, veritatem, judicium & justitiam. Veritatem quidem, ne quid falsi ex proposito jur[illegible]tur. Tum quia Deus ipsa veritas in testem vocatur sinceræ mentis, tum quia juramentum ad veritatem eruendam maximè adhibetur. Judicium, ut quis intelligat, quod jurat. Neque enim furiosi, infantis aut errantis juramentum esse debet. Justitiam denique, ne juremus de re illicita: Hinc Hyppolitus cùm juraſſet Phædræ, se facturum, quod peteret, ipsa deinde fœmina propudiosa incestum petente rectè negavit se juramento teneri, sed linguam juratam mentem injuratam gerere. Quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, *Can. inter cætera. 22 q 4. Conf Wesenb. de jure jur. n. 14. & Hahn ad Wes d. n. 14.*

§. 8. *De impossibilibus.*] Impossibilia sunt vel naturâ vel moribus. De illis hic sermo est. De his egerat jam in §. *6.*

§. 11. *Et hæc esse vera juramenta.*] Quod si juramenti formale consistit in attestatione Dei cum invocatione ad vindictam, si falsò juratum, conjuncta, juramenta hæc per genium aut vitam Principis, per cœlum, terram & alias res creatas

vera

vera juramenta non esse, dicendum est, nisi considerarentur tanquam relata signum & effectq Dei. Inde tamen non infertur, testibus his rebus fidem interpositãposse impunè violari. Nam si simplex fides servanda est, quantò magis illa, quæ per creaturas Dei & id, quod nobis vel carum vel sacrum est, interponitur. Præsertim cùm res illæ ad verum Deum suo modo se referant, & eundem pollicitationi implicent. Quare juramenta ejusmodi ita explico, ut implicitè quidem per ipsum Deum juretur, quia juratur per creaturas ejus, qui illas fecit, v. gr. qui templum jurat, jurat eum, qui ei præsidet, & qui cœlum, Deum, qui in cœlo est. Expresse vero juramento execratio adjiciatur, per quam jurans se aut rem sibi carissimã diris devovet, nisi verum juraverit, juramentoq; stiturus sit. Ita Josephus & Elisæus per vitam Pharonis & Eliæ, aliique complures per salutem Principis jurarunt, ut quidem ante omnia Deum vindicem perfidiæ imploraverint, si non expresse, saltem tacitè; Ad majorem verò etiam religionem faciendam vitam sui Principis execrationi subdiderint, si perjuri reperiantur. *Dn. Ziegl. h.* Nec nos moratur à sententia, quòd videatur esse ridiculum, salutem tertii meis juramentis supponere, cùm res exitum habere non possit, neque innocens propter meam devotionem aut perjurium puniri. Nam illud tali juramento non intenditur, sed potiùs ut jurans contestetur, se in fide data tam certò permansurum, quàm omninò cupiat vitam & salutem Principis aut amici sui salvam esse. Atque ita communiter quidem Viri eruditi explicant. Quorum sententiam temerè

non

non rejiciendam putamus. Tentari tamen etiam posse opinamur, an sola nominis divini in vindictam fraudis invocatio adeò omnis juramenti formale constituat, ut absque eo juramentum non sit juramentum. Quin potiùs videretur juramenti forma in eo consistere, ut præter simplicem fidem datam promittens etiam diris quibuscunque perfidiam devoveat, aut rerum quarundam sibi præcipuarum in testimonium veritatis adhibitarum imploratione nuda pacta confirmet. Id quod etsi omnium rectissimè per Deum tanquam infallibilem veritatem fiat, aliis nihilominus rebus nobis caris vel sacris quoque perfici posse statuendum foret, quandoquidem ita jurans hoc agere voluisse censetur, ut malit talium, per quæ juravit, usu vel consortio carere, quàm deprehendi in perjurio. Atque hoc modo qualiscunque promissis simplicibus cum devotione accedens attestatio esset juramentum: quod tamen aliis pleniùs considerandum relinquimus. Cæterùm quicquid horum sit, rectè locum *Matth. 22.* explicat Grotius, non prohiberi ibi talia juramenta, sed potiùs præstita servanda præcipi: quod propterea necesse erat, quia Judæis nullarum virium illa putabantur.

§. 12. *Si quis per falsos Deos juraverit.*] Juramentum per falsos Deos tanquam veros præstitum, si simpliciter consideratur, ideo non obligare dicimus, quoniam id, per quod juratum, non est in rerum natura, sed erroneè esse putatur. Quantum autem eum, qui juravit, attinet, is obligatur ex eo, quòd Deos juravit, quos putat esse veros, utcunque falsi sint. Ipse enim

pro erroneis non agnoscit, & quia suos Deos veros putat, idcirco & per eos veluti testes infallibiles jurat, & promissis sic firmatis stare cupit. Quin si juramento non stet, & perjurum fieri dixerim, & Deum verum id factum in suam injuriam interpretaturum, contra quam sentit *Dn. Ziegl.* Nam vel ideo etiam verum Deum sua levitate offenderet, quòd perjurio suo in putativos Deos admisso satis declaraverit, quàm ipsi parum cordi sit, fidem Deo datam servare; Hæc idola Deos veros existimavit, & ipsis fidem rupit, quam neque vero Deo servaturus fuisset, si ipsum agnovisset, & per ejus nomen jurasset. Hactenus igitur etiam injuria Deo fit, quatenus factum ipsum declarat, jurantem non religionis non fidei curam ullam habuisse.

Non quidem detuliſſe.] Quicquid sit, non solùm permissum, sed & necessarium videtur, si nobis cum gentilibus res sit, illorum juramenta, quæ per suos Deos falsos præstant, recipere, adeò ut non sine summo periculo admitti posse censeam illa juramenta, quæ vero Deo teste dare cupiunt, quem tamen falsum esse credunt, cùm ex templo se non obligatos dicent, & oblata occasione absque perjurii apud suos infamia discedent de fœdere. Nescio etiam annon injuria Deo fieret, si per nomen ejus gentiles, quod ludibrio habent, jurare cogamus. Itaque consultius erit, non solùm per suos Deos jurare volentes admittere, sed & nolentibus tale juramentum deferre. Neque sic Deo injuria facta videtur, quando non in hoc tale juramentum exigimus, ut velimus verum Deum negare, aut gentiles in

sua

sua superstitione magis confirmatos reddere. Sed potiùs ne eorum fides juramento ipsis apparenter invalido nobis fluxa & periculo sit. Nam etiamsi infidelem per verum Deum jurare cogamus, neque is eo ipso ad cultum nostræ religionis convertetur, neque id nomini divino gloriæ cedet, neque nobis magis cautum erit. Sed ille obdurato pectore in damnata idololatriâ cõstanter persistet, & nostrum Deum tanquam instrumentum perfidiæ fraudisque diverticulum ridebit, & nos incogitantes in gravissima præcipitabit incommoda. Quare rectè quidem Dn. Zieglerus meo judicio dixit, *si perpendantur omnia, & imprimis, quòd per juramentum idololatricum tum eversio Ecclesiæ tum Politiæ evitari possit, converti autem ad verum Deum non possit idololatra, cum quo res est, etiam idololatricum juramentum exigi per Principem Christianum posse absonum non videri.* Permittunt aliqui casu demum necessitatis ea juramenta. *Hahn. ad Wes. de jurejur. n. 6.* qua cautela opus non est, quia juramentis non in rebus quibusvis levibus ludere convenit, sed gravissimas esse causas oportet, saltem ipsius exigentis contemplatione, præsertim quatenus summas potestates attinet. Inter has enim exigi & præstari ea juramenta solent, quæ statum Reip. ejusque quietem concernunt, ut in pace, fœderibus, induciis, quæ gravissima negotia esse nemo non ignorat.

§. 14. *Qui per metum injustum.]* Juramenta vi aut per metum elicita num valeant? quæstionis est, non adeò vulgaris, sed quam quotidie ferè inter Reges & Principes agitari videas.

Neque negotium decidi potest ex jure civili, quòd certum est, talia juramenta non valere, *l. 5. C. de leg. l. 7. §. 16. ff. de pact. Et notissima authent. Sacramenta puberum.* Neque ex jure canonico, ubi inter facta licita & illicita distinctio traditur, ita ut in illis valeant, sed præcedente absolutione irritentur; In his verò ne quidem absolutione opus sit. Quæ tamen distinctio, ut illud obiter moneam, accurata non est. Nam quòd juramenta de factis illicitis metu præstita non valent, causa non metus est, qui tamen in quæstione, sed ipsum factum illicitum, quod omne juramentum sive metu sive libera voluntate præstitum annihilat. Quo minùs verò hæc jura inter summas potestates differentiis decidendis sufficiant, causa, ut opinor, longè petenda non est, sed cuilibet satis patet, jura civilia, quatenus in quaque civitate recepta sunt, civibus quidem dijudicandis sufficere, ad exteros verò non nisi ex receptu pertinere: quare hîc ad jus naturale & gentium recurrendum est. Sed de utroque non adeò constat, quid in proposito casu sit sentiendum. Grotius hæc juramenta servanda esse censet, quia etsi obligatio ad hominem ex capite injuriæ datæ dissolvenda sit, manet tamen ea, quæ est ad Deum. Non levis verò fortassè dubitatio inde oritur, num Deus etiam velit impleri ea juramenta, ad quæ præstanda quis per vim aut metum fuit coactus, & ad quorum relaxationem ipse etiam exigens est jure adstrictus? Profectò enim videtur, cùm Deus non approbet iniquitatem hominum, voluisse metu promittentem juramenti religione solvere, quod sibi non nisi vitiosè datum erat. Quis enim ne-

scit,

ſcit, quàm periculoſi exempli ſit, malitiis hominum in tantum indulgere, ut metu majoris mali juramento tanquam certiſſimo vinculo poſſint meticuloſos ſi non directè ſaltem per obliquum ad implenda promiſſa adigere, ad quæ extra juramentum aliàs nemo teneretur: ſic fides Deo data ancillaretur nequiſſimis latronum cupiditatibus. Nec multum juvant Grotium exempla de Regibus Hebræorum à Prophetis increpitis & punitis à Deo, quòd fidem juratam Babiloniis Regibus non ſervaſſent. Nam horum longè alia fuit conditio, quos Reges Babilonii tanquam juſto bello victos certis legibus ſibi devinxerant, quas ſub ſpecie metus aut violentiæ non licuit rumpere. Eſt enim hic talis metus juſtus, quo rectè & piè jure belli in hoſtem devictum uti poſſumus, neque ex hoc capite ullam in integrum reſtitutionem meretur. Ut nunc taceam, quod tradit Grotius, inter ſummas poteſtates etiam metum injuſtum jure gentium externo non habere reſtitutionem in integrum. Equidem lubens fateor, diu hic hæſiſſe mihi mentem dubiam. Ex una ſc. parte me fides Deo data diſtinebat, quam nullo prætextu violandam cenſebam; Ex altera videbatur eſſe æquitas, ne quis nulla ſua culpa ex flagitio alterius facilè incurrat damnum. Tandem intereſſe maximè exiſtimavi, num fides illa, quam metu Deo dedimus, directò Deum concernat, an verò ſaltem per reflexionem, ita ut aliquid primariò homini promiſerimus, invocato teſte divino nomine. Priore caſu, ſiquidem quicquam ſit, quod honeſtè & licitè præſtare poſſumus, illud omninò ſervandum

volo: Præcipuè verò, si tale quid esset, ad quod etiam nos vel officium Christianum vel charitas vel aliæ virtutes sponte adigerent. Altero verò, ubi promissio hominem directò concernit, vel ideo promissionem non adeò præcisè servandam esse censeo, quia ob principalis invaliditatem nec accessorium poterit satis subsistere. Nunc verò apud omnes in confesso est, teneri violentum concussorem ad restituendam mihi fidem, quam metu obligavi, quia innocenti damnum dolo malo dedit; quare nec juramenti interpositio nocebit, utpote quæ se ad prius refert, nullasque separatim vires habere potest. Neminem enim dubitare autumo, quin fides tua juramento mihi adstricta à me tibi ita possit remitti, ut nullatenus, ne Deo quidé, ad promissa implenda ampliùs tenearis. Ita enim favori meo juriq; renuncio, quod cuique licet. At verò, quid, interest, voluntariè te vinculo religionis solvam, an juris necessitate coactus? par enim ubique, quantum quidem Deum concernit, ratio. Quamvis in eo non adeò præfractè repugnem, peccare eum, qui in ipso metu culosæ promissionis actu jam de remedio restitutionis cogitavit, & ita nomen Dei sanctissimum ad fraudes adversario struendas adsumpsit. Nam huic sanè author essem, ut promissis candidè stare velit, aut omninò nihil promittere, quod per Deum jurans se servaturum jam tum non servare in animo habuit: Certè talis actus aliquali vitio non potest non carere. Sed quantum hic distet à superiori, qui metu territus de nihilo cogitavit, postea verò de jure suo edoctus illo uti voluit, nemini non liquere puto. Atque hæc quidem

mihi

mihi visa sanior opinio, quam cuique plenius examinandam relinquo. In Rep. & inter cives negotium minore difficultate scatet. Ibi enim majestati, quæ in actiones civium superius jus habet, licet vel promissiones ejuscemodi nullarum virium esse jubere, vel, utcunque subsistant, restitutione in integrum corrigere. Quicquid sanxerit, rectè sancitum esto. Tunc enim civis contra legem jurans non juravisse videbitur, quem majestas legitima agendi facultate destituit. Concessum enim & Principi est revocare subditorum juramenta & illos ab iisdem absolvere, ut paulò pòst videbimus.

Ut maximè is fuerit injustus.] Reguli exemplum multa habet peculiaria, unde regula generalis formari non potest. Primò enim adeò liquidò non constat. An Romani cum Carthaginensibus justo bello tum decertaverint, & profectò multæ rationes contrarium suadent. Etenim, si principia illius belli inspicias, quæso, quid rei Romanis erat cum Mamertinis, ut illis contra Siracusanos bello subvenire constituerint? Ipsi Romani diu ingenuo pudore conflictati belli injustitiam tacitè utilitate excusabant, quæ tamen nullius conscientiam salvat. Cùm enim Mamertini Siculi ab Hierone Siracusarum Rege bello penè subacti diffidere jam rebus suis inciperent, Romanorum opem uti consanguineorum imploraverunt. Et quidem Consulibus belli gerendi cupiditate plebem incitantibus populus auxilium ferri jusserat. Sed Senatus auctor fieri pudore contabatur. Qui enim modò suos ob Rhegium per scelus occupatum severo supplicio

cio adfecerant, ii, si jam Mamertinis pari perfidia Messana potitis opitularétur, destruere videbantur gloriam justitiæ ac fidei, priori facto latè quæsitam. Tandem æmulatio & utilitas jus atque rectum vicit. Denuò enim Mamertinis ingenti ab Hierone clade affectis auxiliari placuit, ne ad Carthaginensium in Sicilia prepotentium auxilia & opes respicerent, quo verebantur, ne tandem Carthago urbs per se potentissima ipsis etiam Romanis de Italiæ possessione litem moveret; Verùm ille timor ut incertus justificando bello non sufficit, vera autem causa erat immoderata imperii cupido, cujus omnibus modis ampliandi occasionem, imprimis ubi emolumentum species recti & honesti, (ut hic, juvandi socios,) operiebat, porrectissimis apprehendebant manibus. Quin etiamsi Mamertini justum cum Siracusanis bellum habuissent, Romanis tamen ipsos juvare ideo non licuisset, quòd bellum eorum injustum esse crederent: Sicut ex consultationibus super hac re habitis patet. Hæc igitur iniqua belli principia illud ipsum iniquitatis haud occultè arguunt, & ita Regulum prælio captum Carthaginensium servum jure meritoque faciunt, ut juramentum reditus suis dominis non metu, sed rectè atque ex ordine præstitisse videatur, ad cujus impletionem omninò obstrictus erat. Quare cùm certum sit, non posse servum justo bello captum citra domini voluntatem se potestate dominica liberare, quid obstat, quin eum, ad quod sponte honestatis vinculo tenetur, majore religionis necessitate ad officium adigere liceat, ut si perfidus homines non vereatur,

tur, saltem Deos timeat? Et justus ille metus, ut loquuntur, restitutionem non meretur. Deinde posito, justum Romanorum bellum fuisse, & Regulum à juramento solutionem petere potuisse, multa tamen obstabant, quò minùs illud faceret. Ac initio quidem generosus Romani populi animus, qui in multis & infinitis hujus generis actionibus eluxit, ad quæ stricta justitia non poterant cogi, ut subinde Grotius in l. 3. observat. Huc si referamus etiam nostrum negotium, me quidem judice non errabimus. Illud enim in aprico est, non continuò teneri eum jure suo uti, qui illo honestè uti potest. Sed quandoque præstantioris esse animi, ne omnia semper ad calculum strictissimè conferamus, potiùs ut simplicitate morum contenti subtiliores illos juris & æquitatis apices contemnamus, præsertim ubi facto nostro popularibus, qui actionis causam non exactè intelligunt, offendiculo esse possumus: quod sanè Regulo facillimè obtigisset, qui non adeò plenè omnibus civibus de suæ causæ rectitudine documentum dare potuisset, quin eum non aliquando pro perjuro habuissent perfidoque, aut, quod pejus, illius exemplo moti, in dispari negotio idem jus sibi arrogassent. Maluit igitur omnem de juramenti religione præcidere dubitandi occasionem, & vel cum vitæ suæ periculo civibus bono exemplo esse, quàm insolito facto, utcunque recto, cæteris præbere peccandi licentiam. Ad quem finem ipsius Reguli verba collimant, dum in Senatu, qui de ejus libertate disceptabat, fortissima constantia ait. *Fortasse dum nova res esset, alacres & gratantes vobiscum*

tum me versari videretis. Sed simul atq; primi istius gaudii brevis impetus evanuisset, odiosiorem me vobis redderet reditus mei turpitudo, quàm absentia mea desiderandum effecisset. Quibus verbis haud obscurè innuit, verendum esse, ne ipsos quoque cives consilii sui pœniteret. Deinde communi gentium jure, non illo quidem, quod verè tale est, sed quod inter plures populos per consuetudinem receptum, ita habetur, ut is, qui captus ab hoste est, sive justum bellum fuerit, sive non, servus fiat ejus, qui eum cepit. Atque hoc videntur gentes boni publici causâ sic voluisse, ne sæpiùs difficili justi injustiq́ue inquisitione tosus orbis partium dissidiis involveretur, cui in manifestissima injuria exceptionem addo. Quamobrem qui hoc pacto servus factus est, & talem conditionem vita sua redemit, si domino juramento promittat, citra ejus voluntatem fugâ sibi non consulturum, contractui stare tenebitur, neque metu facta promissio censebitur, quam Dominus gentium jure à mancipio suo exigere potuit. Hinc colligo, Regulum tanquam captivũ dominis rectè reditum promisisse. Ab ejus tamen exemplo singulari non datur universalis collectio ad ea juramenta, quæ metu præstita sunt. Ex his dictis facilè judiciũ sumi potest, de illa quæstione; An Franciscus I. Galliæ Rex ad servandam fidem obligatus fuerit, quam captus prælio Paviensi Carolo V. Imperatori gloriosissimo postea obstrinxerat? Conditiones verò manumissionis, quas Gallo victor Hispannus præscripsit, legere licet apud *Guicciard. l. 16.* præcipuè erant. Ut Rex Franciæ Carolo bonam partem

Digitized by Google

tem Belgiæ, imprimis Burgundiam, Flandriam, Arteſiam aliosque Comitatus jure allodiali cederet, & in eos omni ſuperioritate aut directo dominio ſe abdicaret. Renunciet juri prætenſo in Mediolanum, Aſtenſem in Italia Ducatum, Regnumque Neapolitanum. Cum multis aliis capitulis, quæ partim Germaniam, partim Galliam concernebant. In calce adjecta erat clauſula *di retornare ſpontaneamente incarcere, quando per qualungne cagione non adempieſſe le coſe promeſſe. i. e. ut Franciſcus redeat ſua ſponte in carcerem, quando ex quacunq; cauſa non impleviſſet promiſſa.* Atque hanc pacem Rex Franciſcus ſolemni juramento firmaverat, ejusque mater Regens ſubſcribendo approbaverat. Poſtea autem liberatus pactis ſtare noluit. Cauſas & rationes, ob quas fide ſe functum putabat, has laudatus Hiſtoricus *l. 17. paulò pòſt pr.* enumerat. *Che in poteſtá del Rè di Francia non era obligarſi ſenza conſentimenti de gli ſtati generali del Reame ad alienare coſa alcuna appertinente alla corona. Non permettere le leggi Chriſtiane, che un prigione di guerra ſteſſe in carcere perpetua, per eſſere pene conveniente a gli huomini di mal' affare, & non trovata per ſupplitio dichi fuſſe battuto dalla fortuna. Saperſi per ciacuno, eſſe di neſſuno valore l'obligatione fatte violentamente in prigione, & eſſendo invalida la capitulatione, non reſtare anche obligata la ſua fede acceſſoria & confermatrice di quella. Precedere i juramenti fatti a Rens, quando con tanta ceremonia & con l'olio celeſte ſi conſacrano i Re di Francia. Per le quali ſi obligano*

gano di non alienare il patrimonio della corona. Però non essere meno libero, che pronto a moderare la insolenza di Cesare. Non esse in potestate Regis se obligare sine consensu Statuum generalium Regni ad alienandam rem ullam pertinentem ad Coronam. Non permittere leges Christianas, ut bello captus sit in perpetuo carcere, quod hæc pœna maneat homines facinorosos, non infelices. Scire omnes esse nullius momenti obligationem metu in vinculis factam, nec, infirmatis capitulis, fidem suam accessoriam & confirmatoriam obligatam manere. Precedere juramentum Remis præstitum, quando cum tanta ceremonia & cum oleo cœlesti consecrantur Reges, quo se obligant de non alienando patrimonio Corona. Propterea esse se non minus liberum, quàm pronum ad moderandam Cæsaris insolentiam. Sed hæc argumenta, si magis intrinsecè considerantur, Gallum ab omni perfidia non absolvunt. Primum vitium in eo commissum est, quòd ad decipiendum Carolum ea promiserit, quæ ipsi ex propria confessione dare non licuit. Quod si igitur lege Regni impediebatur alienare ditiones ejus, cur Carolo super hoc negotio fidem suam interposuit? Neque juvat Gallum, quod ait, se multoties victori in os dixisse, etiamsi ad adeò duras conditiones adigeretur, promissis stare non posse. Nam cur in illa asseveratione non perstitit? cur indecenti inconstantia sub religioso juramenti velo ea spopondit, quæ sui juris non erant? & hoc modo Regem Hispanniæ decipuiis induit, qui assertioni juratæ sine dubio plusquam nudis verbis credidit, quæ haud difficulter

culter eo interpretari potuisset, magis hunc in finem dici, quo leviori paulò mitioriq́ue modo iniretur transactio. Cur ad minimum convocatis ordinibus non omnem operam impendit, quo Carolo satis fieret, ad quod vi pacti & juramenti tenebatur? cur levissimo judicio sibi ipsi excusationem fingit? Quod si autem alienatione partium regni Francici promissa sua implere non potuit, qua de causa, quove colore illud non implevit, quod in sua potestate erat? Cur non se iterum captivum stitit? quo multo honestiori modo justitiæ ad exemplum Reguli satis fecisset, quàm quòd adeò turpi & planè frivola exceptione invaliditi ex metu pacti existimationi suæ consuluerit. Verùm objicit, conventionem à captivo vi expressam nullarum virium esse. At hoc secundùm suprà dicta examinandum est. Si rem ex vero naturæ gentiumq́ue jure æstimamus, metus hic nõ injustus, sed justus & licitus ex parte Caroli V. fuit. Accepit enim Hispannus Gallum captivum justissimo bello, ideoq́ue rectè & restitutionem ejus, de quo contendebant, petere, & loco sumptuum atque pœnæ ultra aliquid injungere poterat. Quod si Gallus concedere noluisset, sub alterius potestate permanere eum æquum erat, sub qua ipsum fortuna & causæ æquitas posuerat. Bellum præcipuè Mediolani Ducatus inter utrumque Principem excitaverat, quem Franciscus ut suum vindicare nitebatur, Carolus autem ut Feudum Imperii rectissimè asserebat. Quare etiam Gallorum temeritatem justior causa tandem respexit, & Regis captivitate temerarium conatum damnavit. Idcirco optimo jure victor

victor Carolus captivo suo & restitutionem Feudi Imperii, cum quo Gallo aliàs nihil rei, & in mulctam temerarii belli alia imposuit. Neque ullius apud me ponderis est, quod Franciscus urget, non esse moris, Reges Christianorum in perpetua captivitate habere, cùm id supplicium flagitiosos, non illos, quos fortunæ acerbitas pulsavit, maneat. Quid enim, bone Deus! scelestius, quid magis est detestandum, quàm sola aliena habendi cupiditate bellum ex bello serere, capitibusque hominum tanquam cucurbitis aut papaveribus ludere? tot millium sanguine vario pestis genere inhumana prodigalitate terras fluminaque inundare, & sic ingentes ditiones ferro flammisque ad pernitiem usque exscindere? An non profectò impudicæ audaciæ est, velle, ut tantam insolentiam in humani generis malum natam sub prætextu legis cujusdam Christianæ impunè grassari patiamur; aut si domitâ ex parte ferociâ caveis inclusam habemus, eandem impunitate criminum & periculosa libertate pessimo exemplo vel ad pejora vocemus, vel aliis, ut pari furore agere incipiant, incitamento simus. ὦ ζεῦ, ἢ οἷον πυκάζηκας δικαιοσύνην ἐξ ἀδικημάτων? ἢ ποι βαδίσῃς τὸ καλὸν, ἢ πῆ σφίσῃς? Sed omisso nunc, bellum Francisci justum an injustum fuerit, continua tamen inter gentes plerasque consuetudo, de qua suprà diximus, ne sc. ex metu etiam injusto restitutio detur, non minùs Gallum pulsat, præcipuè quem captivum victoris factum novimus. Idcirco non debuit invito domino exire potestate, aut ad hanc rem sanctissimi divini nominis invocatione tanquam instrumento impro-

improbitatis uti. Si noluisset conventis stare, si non licuisset, at licuisset redire in carcerem & captivitatem, ad quod in eventum se obligaverat: hoc fide, hoc fœderibus, hoc fecialibus ceremoniis dignum erat. Cùm aliquando Consules Romani Spurius Posthumius & Veturius cum exercitibus intra furculas caudinas à Samnitibus deprehensi fœdus cum Samnitibus ictum iri spopondissent, quam sponsionem ut injussu suo factam populus Romanus ratam habere noluit, æquum esse Senatus & ipsi Consules censuere, ut sponsores dederentur Samnitibus. Quàm facilè verò iis fuerat, promissum vi & metu extortum objicere, si in tam ignavi refugio saltem scintillulam æquitatis deprehendere potuissent? idque eò magis, quòd, nisi spopondissent, in saltu omnibus fame sitique moriendum fuisset, Franciscus præter libertatem regiè coleretur, quem Romanorum hoc factum omninò oportuisset sequi, si fidem liberare & juramenti religioni satisfacere voluisset. Præsertim cùm hîc expressa adfuerit conditio, in quam etiam juratum est. Romanos autem sola causæ æquitas non juratos, ad id, quod per se justum & bonum est, obligaverat.

§. 15. *Differre hostem à pirata verum est.*] Hactenus sc. ut gentium jura in pirata non attendantur. Sed juramenti specialis ratio est. Tunc enim cum pirata, quem piratam novi, sciens volensque contraho, quamobrem promissa servare teneor. Cum hoste autem etiam talia intercedunt jura, quæ, etsi de iis nihil dictum, mutuo quodam receptu obligant. Ideoque Ciceronis ratio, quòd pirata sit omnium hostis, cum quo

nec fides esse debeat, nec jusjurandum, non in nostro casu, sed tum demum locum habet, ubi adhuc re integra nihil cum pirata actum, quo casu alia quæstio est, an gentes cum pirata pacisci debeant? quando verò invicem convenerint, aliter quæritur, an id ei servandum sit? quod ultimum affirmamus, quia neque error neque dolus obtendi potest. Contraho enim cum pirata, quem piratam esse novi. Sed & persona ipsa ex se non est inhabilis. Quare in fide manendum, præcipuè ubi juramentum accesserit, quod omnem subtiliorem interpretationem excludit. Equidem alicui videri poterat, cùm pirata sit ex eorum numero, quocum nec fides nec jusjurandum esse debet, illum etiam neque paciscendi potestatem habere; Verùm hæ sequela nulla est. Nam cum pirata nulla fides esse debere dicitur, non quasi cum eo ob defectum juris contrahendi nequeamus convenire, sed quoniam honestas naturalis suadet, ne his pactionibus serpentem in sinu foveamus, qui non nisi ad hominum pernitiem natus est, cui omnes hostes sunt, cui nulla neque pacis neque belli jura, sed ex infami deprædandi licentia quæstus & opes.

Momentaneâ solutione.] Sic Julius Cæsar à Piratis captus, exsolutaque pecunia liber factus, continuò classem conscendit, ac insecutus piratas cùm eos cepisset, fracta cervice in crucem egit, quod illis antè quasi per delirium sæpiùs minitabatur.

§. 16. *Neq; do infideli cuipiam.]* Infidelis Acciano dicitur, qui fidem servandam esse putat, quod Grotius ita rectè limitat, si fides sub condi-

tione

tione ſervandæ mutuæ fidei ſit interpoſita, id quod videmus evenire in omnibus fœderibus, ut, à quacunque parte rupta fuerint, neque altera pars ad obſervantiam ulteriùs obligetur, ob tacitam, quæ omnibus fœderibus ineſt, conditionem, ubi & tu mihi fidem ſervaveris. Quæ ſi deficit, deficit & omnis propter contractus inæqualitatem obligatio. Cæterùm mentio infidelis nos manu ducit ad illam quæſtionem; An infideli, i. e. hæretico ſeu pagano ſervanda fides ſit? Scimus, quæ hîc Pontificiorum plerorumq; ſuffragia ſint, in eo inſuper modum excedentia, quòd illos, qui de hæreſi nondum ſatis convicti ſunt, eodem calculo notent, aut etiam eos, qui ſaltem in adiaphoris diſſentiendo omnes Pontificum humanas traditiones, neque in divinis oraculis ſatis fundatas, ſed non parùm iisdem repugnantes accipere tanquam intolerabile & fatuum jugum recuſant. Sic Joh. Huſſum ad Concilium Conſtantienſe vocatum præpoſtera illa ſententia igni conſecravit, & ſeculo ſuperiori glorioſiſſimo Imperatori Carolo V. idem aſſeclæ pontificii perſuadere conabantur, ne Lutherum ad Comitia Wormatienſia vocatum manibus elabi ſineret. Tandem iſte fervor erga nos paulatim deſpumavit, ſententiam tamen in genere non mutant. Cùm enim Anno Chriſti 1571. Paulus V. Papa ad ſacrum fœdus contra Turcas iciendum plerosque Chriſtiani orbis Principes ambiret, ejuſque causâ ad Imperatorem Maximilianum II. (cui vix parem pietate, juſtitia & fortitudine Germania habuit) legatum ſuum Joh. Franciſcum Comendonum Cardinalem ablegaret, ut Imperatorem

in societatem pertraheret, idque ille magnifica oratione efficere conaretur, à Cæsare responsum Principe dignum tulit. *Durare adhuc biennium inducias, quibus violandis quam tandem justam causam prætexi posse.* Hic Cardinalis solita levitate & contemptu religionis direre. Omnem jurisjurandi mentionem ineptam & anilem omninò esse adversus hominem, cui nihil religiosum & sanctum sit, qui à fœderibus violandis nullo divini numinis metu, nullâve hominum verecundia cohibeatur. Verùm enim verò, quicquid tandem hi dicant, sanior semper eorum fuit sententia, qui hæretico fidem servandam esse disputant. Animus mihi jam non est, totam controversiam examinare, illud saltem dicam, rationem Cardinalis Commendoni nullius planè pretii esse. Nulla enim sequela est, ob alterius perfidiam & nobis licere esse perfidos, multò minùs tuum perjurium meo me absolvit juramento, nisi in eadem conventione concurrant. Esto, quòd Turca plerunque fœdera & conventiones cum Christianis initas audaci scelere contaminaverit; quod jus nobis potestatem faciet in alia & diversa causa idem quasi in redhostimentum tentandi? Et annon egregia insania est, ejus facti, quod in hoste reprehendimus, licentiam nobis sub quocunque colore sumere? Sed non est insolitum, Cardinales, ingentes illos religionis & pietatis Colossos, & religionis & omnis pietatis fuisse maximos contemptores: Sicut de Caraffa narrat Thuanus, (*a*) qui à Patruele Pontifice in Galliam missus cum magnifica pompa Lutetiam intraret, & consueta legationis insignia, nimirum crucem

(*a*) Thuan. Histor. l. 17. vene-

venerabilem populo, exhiberet, cum magna veneratione & cultu à plebe adorandam, videretque occurſantem paſſim populum, & in genua ad crucis conſpectum provolutum, loco verborum, quæ proferri mos eſt, ut erat ſecuro de Numine animo & ſummus religionis deriſor, ſæpiùs ſecreta murmuratione hæc verba ingeminaſſe dicitur; *quandoquidem populus iſte vult decipi, decipiatur.*

Non ſi diverſi generis.] Quando jurata promiſſio ad alterius promiſſionem reſpectum nullum habet, ſed ab ea ſeparata eſt, nemini licet ſub colore, quòd alter placitis non ſtiterit, à ſua quoque diſcedere fide. Neque enim alterius perfidia tibi imitamento eſſe debet, neque alius, præterquàm is, qui deliquit, pœnâ afficiendus eſt. Ut exemplo rem illuſtriorem reddamus, tempore belli Punici II. cùm Imperator Romanus Scipio victricibus armis Affricam premeret, jamque ipſius Carthaginis excidium meditaretur, infractis tandem Pœnorum animis res ad pacem inclinavit. Quare permiſſu Scipionis Carthaginenſes legatos deprecatum Romam miſere; Ipſe verò ſuos Carthaginem ablegavit. At ecce, dum utrinque de conditionibus diſceptatur, populus Carthaginenſis neſcio quo ſubito furore correptus (ſive id ex conditionum aſperitate, ſive veteris potentiæ jam extinguendæ acerrimo ſenſu, ſive cujusdam inſtigatu acciderit) legatos Romanos jure gentium tutos, & à gente devicta nil hoſtile metuentes violat, & cum ſummo vitæ bonorumque periculo urbe ejicit. Scipio verò Pœnorum Româ redeuntes, increpatâ priùs popula-

rium perfidiâ, incolumes dimittit. Non me latet, multos esse, qui Scipionis magnanimitati magis quàm juri salutem legatorum vindicant, verùm qui rem accuratiùs contemplantur, facilè deprehendunt, justitiæ opus non animi celsitudinis fuisse, quod Scipioni adscribimus. Omitto summum iniquitatis factum immerentes & nullius culpæ reos ad supplicium trahere. Hoc solum, quod proposito meo servit, urgeam, injustum omninò esse, delictum delicto ulcisci, & sub vindictæ specie eadem temeritate in id incurrere, quod in alio damnamus. Non minorem legatis Carthaginensibus securitatem Romani debebant, quàm illi Romanis. Nunc esto, violati sint legati Romanorum à populo Carthaginensi, in jus gentium ex illorum parte peccatum dicimus, & satisfactio à sontibus repetenda, legati incolumes dimittendi, ni & Romani violatores juris gentium audire velint. Neque in hoc negotio tacita conditio subest, si & mei legati salvi redierint. Quoniam separatæ hæ sunt obligationes, & quilibet populus per se venientibus legatis ab omni vi cavere tenetur. Aliud in pace fœderibus atque induciis est; Ibi enim conventiones mutuæ una alteram respicit, aut potiùs ligat, ut totam conventionem ruere oporteat, si vel maximè ex uno saltem latere quid attentetur. Imò accuratè loquendo una saltem conventio est inter duos inita. In præcedenti exemplo verò duo omninò, quarum quælibet peculiarem & separatam obligandi vim habet: neque unius transgressio alteram simul perimit; quemadmodum nec meæ obligationi nocet, quâ tu mihi teneris,

riis, si ego contra aliam inter nos conventionem impegerim.

Deo fides erat præstanda.] Quod tum demum admitto, si fides primariò Deo fuit obligata. Nam si saltem accessoriè, tunc principale irritum accessorium quoque trahit: secundùm ea, quæ suprà diximus. Neque enim Deo hac promissione jus quæsitum, sed is saltem in testem & vindicem veritatis atque perfidiæ adhibitus erat, quod ulteriùs non extendendum, quàm in quantum ipsa contractus natura admittit, idque vel maximè ideo, quia juramentum contractus confirmatorium indolem ejus induit, & firmum ratumque intelligi debet, si & conventio subsiterit: quæ quando dolo, metu aut inæqualitate irritatur, deficit juramentum, quia contractus validos confirmat, irritos non animat, nec ad ea, de quibus non est cogitatum, extenditur. Quin & hoc ipse Grotius concedit, si sub conditione quadam sit juratum, deficiente eâ deficere quoque juramentum; Hinc infero, omni contractui hanc quasi debitæ æqualitatis conditionem inesse; ergo & juramentum irritatur, si conditio defecit.

Juratus in damnum suum.] Textus Hebræus, נִשְׁבַּע לְהָרַע cùm duplicem sensum habeat, & percipi possit vel ita, *qui juravit in malum*, ut vertit *Santes Pagnines*, vel sic, *qui juravit familiari*, ut Forsterus in Lexic. Heb. p. 794. ad radic. רָעָה. Uter sensus melior sit, aliis, qui sanctam linguam profundiùs callent, considerandum relinquo. Illud intrepidè dico, etiamsi לְהָרַע explices, *in malum*, *seu damnum*, cum

Grotio. intelligendum id nihilominus esse de eo juramento, in quo neque dolus neque metus principio intervenit, sed ex postfacto sine culpa ejus, cui juratum est, damnum aliquod jurantis emergit, quo casu & simplex contractus servari debuisset. Confirmat hanc explicationem Lutherus *ad d. Psalm. 15.* scribendo, *eadem, quæ de juramento servando hic præcipit*, Psalmista, *etiam de quavis promissione simul intelligenda esse.* Sed Grotio quoque authore simplex quævis promissio metu facta non est servanda; Ergo vocabula *in damnum suum* hîc interpretanda non sunt de juramento metu extorto, sed potiùs de eo, in quod ritè præstitum à circumstantiis quibusdam externis damnum emergens ex postfacto demum incidit.

§. 17. *Hæredem ejus non teneri.*] Divertit à Grotio Dn. Zieglerus, & teneri hæredem defuncti vult non quidem quoad vinculum perjurii, sed quoad efficaciam obligationis. Ego quidem hæc distincta esse optimè novi, nam & in juramento, quod hominem concernit, quodque hæres implere tenetur, non tam obligatur ex juramento, quod est personale & cum persona extinguitur, quàm ex promissione juramento confirmata, quæ & ad hæredes transit. An verò idem quoque hoc casu, ubi soli Deo jus est quæsitum, obtineat, ex eo dubitare possumus, quoniam Grotius exinde non jus strictè sic dictum, sed dignitatem saltem aliquam oriri statuit. Facio tamen cum Dn. Zieglero, & hæredem ad exsolutionem allego. Tum ut qui commodum habet, etiam onus sentiat. Tum quoniam defunctorum volun-

Digitized by Google

voluntates implere convenit, etiamsi solos homines concernant, quantò magis æquum erit præstare hæredes, quod defunctus Deo vovit. Equidem verum est, hæredem ex sua obligatione non teneri. Sed nihil etiam novum alienum factum præstare, imprimis ubi actu aliquo præjudiciali te ad id obligaveris. Nisi fortè tale quid esset, quod non nisi per jurantem impleri potuisset. Tunc enim successorem ab obligatione impossibilitas absolvit. De quo casu, si loquitur Grotius, rectè habet.

§. 18. *Non tenebitur, qui juravit.*] Hoc est, quod jam iteratò inculcavi, & exinde illationem feci, etiam id te nolle censeri, quod non nisi turpiter exigere potes. Ut sunt juramenta metu vel dolo præstita. Quare quemadmodum, qui juravit, non tenetur, si juramentum is, cui juratum, remittere sponte velit: non attento, quòd etiam simul fides Deo data sit. Sequitur omninò, quòd nec tunc fides Deo data obliget, quando metu juramentum extortum, ad cujus absolutionem violentus exactor tenetur. Paria enim sunt, quoad effectum dissolutionis in obligatione, aliquid voluntariè remittere, ad illud jure cogi posse.

§. 19. *Distinguendum arbitror.*] Bona est hæc distinctio, & ex ipsa rei indole petita. Quippe utrumque facere possumus, & solam fidem obstringere, & simul facultatem agendi abdicare. Hoc actum ipsum irritum facit, illud vitiosum.

§. 20. *Patrum, dominorum & maritorum.*] Horum potestas in juramenta inferiorum tum demum efficax est, si sub nullo civili regimi-

ne constituti sui juris sunt. In civili regimine plerunque illa potestas apud majestatem est.

In his, quæ maritalis sunt juris.] Imò verò in omnibus actibus voluntas uxoris marito subjacet, secundùm ea, quæ *ad c. 5. h. l.* diximus.

Defendi possunt absolutiones.] Quia subditus contra voluntatem & in præjudicium superioris nihil paciſci aut jurare potest. Hactenus enim censetur non habuisse legitimam agendi facultatem. Cæterùm *Wesenb. de jurej. in fin.* scrupulum absolutioni movet, quando existimat, *tantò minùs absolutionem Imperatoribus attribuendam, quòd ipse vix eam Ecclesia permittat.* Addit rationem, *quia juramentum remittere nemo potest, nisi cui factum est: fit autem Deo.* Sed his paucis verbis ex Grotio satisfieri potest. Superiorum actus non efficere id possunt, ut jusjurandum, quatenus verè fuit obligatorium, non sit præstandũ, id enim juris naturalis est & divini. Sed quia actus nostri non plenè sunt in nostra potestate, sed ita, ut à superioribus dependeant, idcirco inferior, quà inferior, obstringere se non potuit, nisi quatenus superiori placitum est: ampliorem enim potestatem non habuit Quæstio igitur nobis de legitimis juramẽtis non est, utpote à quibus absolutio neque petenda, neque impetranda, sed potiùs de iis, quæ aliquid vitii ex defectu facultatis jurandi fovent, & in præjudicium superioris concepta sunt. Quamvis neque generaliter verum sit, omne juramentum Deo fieri. In omni quidem juramento Deus vindex adhibetur, at non inde statim sequitur, ipsum juramentum fieri Deo, aut ipsi exinde aliud quid juris quæri, nisi

nisi quatenus perfidiæ ultor imploratur. Ita si cui centum promisero sub juramento, Deo centum non promisi, sed me iræ divinæ subjeci, si falsus fuero. Licèt non negem, in quibusdam etiam juramentis Deo jus directò tribui.

Ipsorum voluntate ab Ecclesiæ Præsidibus.] Hac miti Principum indulgentia Pontifices Romani sicut omni alia re mirum in modum abusi sunt. Et cum sequioribus seculis Imperatorum Regumque erga sedem Romanam ad superstitionem usque religiosus cultus magno Christianæ Reip. damno Præsules illos in adeò admirandam potestatem atque dignitatem evexisset, prostituenda ambitione eò audaciæ progressi sunt, ut, quod antea precariò tenebant, nunc jure proprio patronis suis dominisque intolerabili sæpiùs pretio beneficii loco divendant. Præcipuè verò in rebus, ut loquuntur, spiritualibus illimitatem sibi rebus potentiam adscribunt, atque ita in suum forum tantum non omnia sub specie rei spiritualis trahunt, quæ vel leviſſima occasione illuc pertinere videbantur. Sic ipsis continuò juramentum, quoniam Deum testem habet, res spiritualis est, & ad Ecclesiasticam censuram pertinet: qua simoniaca finium dilatatione id hactenus egerunt, ut jam jurisdictio Ecclesiastica ferè secularem causarum latitudine vincat, & nobis impossibile dictu quàm necessarium sit, aliquando cum ipsis finium regundorum agere. Sed injuriam hanc hactenus seculares potestates contempsere, aut interdum compendio suo applicuere. Quippe illud in omni historiarum serie observare licet, Pontifices Romanos prætensa

hac potestatis spiritualis specie tam latè imperasse, ut illam etiam ad injusta omnique juri contraria protulerint. Sic frequentissimè cum indignatione observabis, in conjunctissimis etiam consanguinitatis aut affinitatis gradibus, jure divino prohibitis, impiam dispensationem fieri, modo pretio, quod gravitati causæ respondeat, Vicarium illum terrestrem placaveris. Quasi verò dona divina venalia prostent, aut iniquitatem intrinsecam externæ opes corrigere valeant. Imò hæc ipsa Pontificum licentia enormissimis peccatis fenestram aperit. Quorsum enim fidei aut jurisjurandi religio, si Pontifici absolutio dispensatioque ubique concessa? Canina sunt, magisque taceri quàm scribi merentur, quæ *Hieronymus Caninius Theol. D. in Discursu ad A. B.* ore impuro effutit, inquiens: *Les Lutheriens sont propre heretiques d'Allemagne, & l'Empereur a accoustumé de promettre en son premier couronnement, qu'il les conservira sans estre molestè en leurs religion. De façon que le dernier Empereur si tost, qu'il eut fait le serment, en envoya querir l'absolution a Rome. i. e. Lutherani sunt proprii hæretici Germaniæ, & Imperator consuevit in sua coronatione promittere, quòd ipsos velit conservare, nec religioni eorum molestiam facere. Adeò ut novissimus Imperator juramento præstito continuò Roma ejus absolutionem petierit.* Quam absolutionem etiam Pontifex haud dubiè lubentissimè concessit, & sic instrumentum perfidiæ Imperatori quasi in manus dedit. Quod cùm Principibus Electoribus suboluisset, expressam Capitulationibus Rudol-

Rudolphi II. art. 34. Matth. art. 39. it. Ferdinandi II. conſtitionem inſeruere, ne Imperator hanc abſolutionem vel ambire aut ſponte oblatam acceptare velit. Nam ſi Imperator ſalvo juramento abſolutionem ab eodem per Pontificem impetrare poſſit, cui bono jurandum eſſet, quod brevi abolendum foret?

§. 22. *Ut fides datis dextris.*] Quò ſpectant promiſſiones, quæ juramenti locum ſupplent, quales apud nos bey Käiſerl. Königl. Fürſtl. Gräfl. Adelichen Ehren / Treu und Glauben. Bey Chriſtlichen Treuen und guten Glauben. De quibus ambigunt DD. juramenta ſint nec ne? Nobis ex ſuperioribus facilè liquet, quando ad formale juramenti requiritur invocatio nominis divini, hæc & ſimilia vera juramenta non eſſe dicenda. Et licèt interdum vim obligandi quaſi juramenta habeant: effectibus tamen quibusdam etiam jure civili deſtituuntur. Nam minor non reſtituitur in integrum, ſi in contractu juramentum intervenerit. At ſi ſaltem obligatio facta bey Adelichen Ehren und an Eides Statt / reſtitutio locum habet. *Ut præjudicio probat Hahn. ad Weſ. de Minor. n. 3. à quo tamen diſſ. Mynſing. 1. obſ. 17. & Gail. 2. obſerv. 59.* Si verò juramentum accipimus pro qualicunque ſupra datam fidem aſſertione & execratione, vera juramenta hæ formulæ erunt, quemadmodum & ubi juratum im Namen der Warheit. Niſi quis dicere velit, ſub vocabulo, Warheit / intelligi λόγον, verbum veritatis, ſive ipſum Chriſtum, & ſic jurari per verum Deum. Quod adeò non improbo. Sicut & cùm juratum per Deum & ſanctum ejus Evangelium.

Quod

Quod hodierno usu frequentissimum, antiquata ferè ubique formula *per Deum & sanctos.*

CAPUT XIV.

DE EORUM, QUI SUMMUM IMPERIUM HABENT, PROMISSIS, ET CONTRACTIBUS ET JURAMENTIS.

§. 1.

Exceptio adversus contractus, quos minores fecissent.] Rectè sanè, siquidem Rex solo minorennitatis, (ut jure Romano accipitur, certumque temporis lapsum de puncto ad punctum computandum notat) intuitu restitutionis exceptionem obtendat. Multa enim hîc singularia occurrunt, quæ à Regum actibus civile restitutionis beneficium excludunt. Lex civilis cives suæ Civitatis obligat, in ipsum verò legislatorem aut extraneos nihil potest, quare multò minùs controversiis Regum dirimendis idonea est. Nemo enim facilè sibi patietur in sua Rep. jus modumque dicere, sed quod in hoc civili ordine vel sic vel aliter constitutum obtinet, in alio vel contrarium vel aliud usus atque utilitas introduxit. Exinde Rex minor viginti annis cum alio paciscens, si conventis hanc ob causam stare nolit, quòd subditos suos minores læsos in integrum restituere consueverit, ab altero responsum nec immeritò audiat; Quid ad me tuæ leges? Per me tibi liceat tuis subditis quaslibet præscribere leges, ego verò tuam fidem habeo: quam servare tamdiu

Digitized by Google

diu decet, donec veram mihi læſionem objeceris. Nam quod de minorennitate excipis, ad rem ſanè nihil, cum nulla lex vel naturæ vel gentium, quarum inter ſummas poteſtates mutua obſervantia eſt, defectum facultatis paciſcendi aut alienandi præcisè ad viginti quinque annos extendere voluerit, multò minùs de minorennitate, ut tali, aliquid conſtituerit. Sufficit igitur te fuiſſe ejus ætatis, quâ quidem rerum tuarum arbitrium & negotii geſti neceſſarium judicium habuiſti, neque etiam reapſe læſum eſſe. De cæteris, quicquid etiam jura tua circa minorennitatem dixerint, me non ſerit, aut tu illo prætextu à fide liber eris. Hactenus igitur verum eſt, ſolam minorennitatem Regum contractus non infirmare; ſed hoc non impedit, quò minùs ex aliis cauſis reſtitutionem aut conventionis reſciſſionem impetremus. Primò enim ſi Rex infans quicquam promittat aut ſtipuletur, contractus ideo nullus eſt, quia in infante deeſt judicium rebus agendis ſufficiens, imò planè ignorat, quid agat aut qualiter, ut conventio pro non facta habenda, ac ne quidem reſtitutione in integrum opus ſit, nullitate ipſo jure fidei liberationem ſubminiſtrante. Idem enim hſc juris eſt, quod ſuprà Grotius in *c.* 11. §. 5. generaliter de pactis aſſeruit, *requiri ad eorum validitatem rationis uſum, ideo & furioſi, & amentis & infantis nullam eſſe promiſſionem.* Inde Principis infantis actus omnes, velut ejus, qui, quod agit, neſcit, irriti ſunt. At quando exceſſit ex ephebis, & rectæ rationis exercitio uti incipit, (de quo tamen univerſaliter nihil certi, ſed ex circumſtantiis definiendum

endum est, utique etiam potentia agendi agibilia sese exerit, & contractus ab eo quilibet celebrati absque ullo ex capite restitutionis in integrum metu validi sunt. Et hoc juri naturali & gentium convenientissimum, quæ volunt quemcunque subsistere, ubi judicium & facultas agendi in subjecto habili adfuerunt. Quæ verò lex civilis ad cavendas insidias de beneficio minorennitatis salubri consilio induxit, hæc jura ignorant, & ita deficiente lege nulla potest esse ejus obligatio. Quod si autem in regno quodam perpetuò instituto & moribus Regi pubescenti ad certum annorum terminum legitimæ potestatis exercitium suspensum fuerit, qui donec ætatem legalem attigerit, sub cura & manu tutorum, vel quos Rex pater aut populus constituere solent, vivere jubetur, tutoribus interim Imperii administratione demandata, is si, antequam in suam tutelam pervenerit, aliquid publicæ rei absque tutorum consensu & authoritate agit, effectu nihil agit, & actus ex eodem fundamento nullus est, quod paria sint non habere agendi potestatem, & eandem ad certum tempus in suspenso habere, vel exercitium esse apud alios. Ita Regibus Franciæ interdicta Regni gubernacula ante annum decimum tertium. *Vid. de hoc & aliis Limn. ad A. B. de ætat. Elector.* Dantur & alii modi, quibus Princeps ab obligatione se eximere potest, v. g. quòd metu, dolo aut errore inductus aliquid promiserit, aliàs non promissurus: quòd is, cui facta promissio, ad liberationem ex capite damni dati vel injuriæ teneatur. Et quæ sunt similia. Sed quoniam hæc juris remedia non tantùm minoribus

Digitized by Google

bus, ſed & majoribus competunt, de his peculiariter dicere nihil attinet. Suprà enim à nobis ſatis declarata ſunt, & quædam alia infrà examinanda differimus. Reſtat ut videamus, quid Dn. Zieglero reſpondendum ſit, qui reſtitutionem in integrum per exceptionem minorennitatis Regibus competere aſſeruit. Primò dicit. *Non videri hanc reſtitutionem venire ex ſolo jure civili. Ipſam enim naturalem æquitatem poſtulare, ut fraude ac dolo circumventus, in negotiis, ubi bona fide agendum eſt, reſtituatur in integrum.* Sed hæc generalia nimis ſunt, nec quadrant ſcopo noſtro. Non enim loquimur indifferenter de quacunque reſtitutione, præcipuè ubi fraus aut dolus apertè intervenit. Sed quando non tam intuitu doli quàm minorennitatis quis reſtitui cupit. Etſi enim in hac quoque reſtitutionis ſpecie interdum fraus intervenire poteſt, ſola tamen etiam læſio, quæ incidenter ſaltem & ex re ipſa contigit, hoc beneficium impetrat. In aliis verò ſecus eſt, ubi ſolus dolus & fraus, quæ læſionis cauſæ fuere, non verò læſio principaliter conſideratur. Nam licèt contrahentibus naturaliter ſe invicem circumvenire, *l. 16. §. 4. ff. de Minor. l. 23. ff. Loc.* At minor utcunque vel perfunctoriè circumſcriptionem docuerit, reſtituitur non tam ob dolum alterius, quàm ſui ipſius imbecille judicium, quod multis improborum laqueis expoſitum eſt. Et hanc reſtitutionem ex jure civili eſſe quis negare poteſt, cùm ſuam formalitatem & totum eſſe ex illo jure habeat. Eſt autem hujus reſtitutionis formale læſio ex minorennitate proveniens; Minorennitatem verò ab ætate pupillari

pillari nulla alia lex quàm civilis distinxit, & utrique assignavit certos terminos, de quibus aliàs altum fuisset silentium. Quare non potest non esse, quin tota quoque restitutio juris civilis sit. Equidem fundamentum in æquitate naturali habet, sed non continuò, quod æquitati conveniens est, ad jus naturæ pertinet, nisi infinitos actus indifferentes ad id referre velimus. Ex quo enim jure cujusque rei forma est, ad illud jus res ea pertinet. At forma restitutionis ex capite minorennitatis est ex jure civili, non naturali. E. & ipsa minorennitas. Nam quid mihi dabis, quod juris civilis sit, & non habeat fundamentum aliquod æquitatis? aut quod juris sit naturalis, & non possit in jure civili æquitatis alicujus fundamentum habere. Quod si jam ex solo fundamento indicium caperetur, ad quod jus res illa pertineret, ea, quæ juris civilis sunt, fierent juris naturalis, & quæ juris naturalis, juris civilis, sicque confusis rerum originibus incertis fluctuaremur ambagibus. Postulet itaque æquitas naturalis, ut fraude ac dolo circumventus in negotiis, ubi bona fide agendum, restituatur in integrum, non tamen continuò restitutio erit juris naturalis, nec alia inde nostram assertionem impugnans conclusio deduci poterit. Præcipuè cùm minor circa ea, quæ in minorennitate egit, restituatur principaliter non ob dolum aut fraudem adversarii, sed suum fragile judicium. Nam etiamsi nullus dolus adfuerit, minor tamen læsionem probaverit, juvatur restitutione. Minoris momenti est, quod sibi ipsi objicit, *restitutionem à superiori fieri debere*. Et respondet, *id non simpliciter*

Digitized by Google

pliciter ſed inter cives obtinere. Quoniam enim huic reſtitutioni non niſi inter cives locus eſt, ideo fruſtra in Principibus quæſiveris, quis eos reſtituat, cùm ex hoc capite reſtitui non poſſint. Licèt non ſatis capiam, quo ſenſu in fine intelligi illud velit, quod de imperio naturâ introducto ſcribit. Omne imperium à Deo eſt. Naturale verò illud multitudinis, fomentum majeſtatis realis cerebroſorum quorundam Politicorum immaturus fœtus. Quia verò ſupra Deum majeſtatis Authorem fecit, non credo hſc mutaſſe ſententiam. Attamen quid illa verba (*cùm quæ eſt inter homines ſuperioritas & imperium naturâ introductum ſit*) ſibi velint, aut quomodo ad rem præſentem momenti quid faciant, me ignorare fateor, & pervelim ab alio edoceri. Tertiò in ſeq. obſervatione pro reſtitutione Regum ex capite minorennitatis contra Grotium infert, ideo reſtitutionem competere, *quia eadem etiam in Principis perſona inveniatur reſtitutionis cauſa, nempe ætas obnoxia læſioni, & propter fragile atq; infirmum conſilium multis captionibus & multorum infidiis expoſita; Ponendos tamen eſſe terminos habiles, ſicubi ſc. Princeps minor ſine curatore aut conſiliariis ſuis. Qui curatoris vicem ſupplere poſſunt, contraxerit.* Reſpondemus, infirmitatem judicii & ætatem fraudibus obnoxiam eſſe quidem ex cauſis impellentibus, quæ legislatorem movere potuerunt, ut minoribus hoc remedio ſubveniret, inter alios autem generale jus non conſtituere; Nam non continuò quod ob quasdam rationes in hac vel illa Rep. utilitatis civium causâ placuit,

id in alia Civitate ob easdem rationes absque speciali jussu obtinet, sed arbitrio cujuslibet legislatoris relinquitur, imprimis ubi certa determinatione opus est, ut hic in minorennitate, quæ legibus nostris 25. annis finitur, alibi vel pluribus vel minoribus terminari potuisset. Deinde sola judicii infirmitas non est causa adæquata hujus restitutionis, quia & in fœminis & plerisque aliis simplicioribus non firmior rationis usus reperitur, sed unica & sufficiens causa est minorennitas cum læsione, quæ juris civilis. Si quis ob infantiam nullum habet judicium, res plana est. Si dolo, errore aut metu circumventus, alia itidem communia suppetunt remedia. Quando autem homo sui juris rationis exercitium semel est adeptus, tum agere, contrahere, quodcunque vult, potest, nisi specialior civilis lex ratione temporis, loci vel rei agendi potentiam restringat. Sed hæc in summis potestatibus deficit, stabitur ergo jure naturæ & gentium. Quod verò de curatoribus addit, secundùm suprà à nobis dicta intelligendum. Consiliariorum alia ratio. Sicuti enim pupillus vel minor absque tutoris aut curatoris consensu nihil rectè agit, utcunque etiam sapientissimos viros in consilium adhibuerit. Sic quoque Regi consiliarii sui facultatem contrahendi præstare non possunt, quia authoritas eorum nihil ad hanc rem, quibus tale jus in Regis personam non est, quale tutoribus jus regendi & administrandi competit. Denique scribit *Dn. Ziegl. esse quosdam, qui Principem etiam majo em perinde ut Remp. aut universitatem jure minorum uti, & in contractibus illis, qui in pernitiem*

status

Digitized by Google

ſtatus aut læſionem Reip. vergunt, reſtitui poſſe contendunt. Equidem non addit, an huic etiam ſententiæ accedere velit, ab illa tamen non admodùm ſe propterea alienum eſſe declarat, quia illam non refutat, ſed potiùs confirmandæ ſuæ opinioni adducit. Quicquid ſit, mihi tamen nihil vel abſurdius vel ab omni politica prudentia alienius eſſe ſemper viſum eſt. Sint ſanè Leguleji quidam, qui omnes inter gentes populosque liberos controverſias ad juris privati normam metiri aut componere volunt, illos tamen commiſeratione magis quàm reſponſione dignos judicamus. Sed hoc eis ſolemne eſt, ex minima occaſione univerſaliſſimas ampliationes, ut loquuntur, & penè infinitas facere; hinc nihil frequentius in giganteis librorum illorum centonibus videas, quàm ſententiam aliquam ſexcenties etiam aut ultra reſtrictam vel limitatam, idque ſæpiusculè ſine lege aut ratione. Ita ſola authoritate aliorum contenti dum unus alium citat, fit tandem JCtorum farrago, non rationum. Qua febricitanti allegationum conſuetudine eò tandem deventum, ut nulla adeò abſurda inveniri poſſit opinio, quin centum DD. in ejus patrocinium liceat tranſcribere. Id quod & in noſtro caſu evenit. Jus noſtrum Romanum Civitatibus, quæ ſub ditione & fide populi Romaoi erant, ex ſingulari privilegio uti beneficiis minorum dedit, ut ſi adminiſtratorum ſuorum incuriâ damnum incurrere, id reſtitutione in integrum ſarciatur, quod alienâ negligentiâ peccatum eſt. In has leges cùm ſuperioris & noſtri ævi JCti inciderint, infelici examine eò tandem audaciæ pro-

gressi sunt, ut insipido judicio idem juris in omni Rep. esse voluerint, non considerantes, neque mentem talem legum Romanarum fuisse, neque per rerum naturam esse potuisse. Scilicet quid extraneos Reges populosque attinet, si hæc vel illa Resp. subditis suis certa beneficia indulget? Neque enim propterea illi his legibus tenebuntur, neque hi extra Civitatem iis uti poterunt. Imò ipsum Romanum populum, utut apud se juris fuerit, si cum libero Principe pacta fecit, minorennitatis beneficio usum nullo historiarum monumento deprehendimus. Nam prudentissimus Senatus, qui confessus Regum cuidam visus est, optimè noverat, non ligare tertium, quod ipsi intercedebat cum civibus suis. Potest igitur majestas in suo imperio edictali lege beneficium restitutionis ex capite minorennitatis civitatibus municipalibus, quæ in regno sunt, indulgere, non autem Principes extraneos ad idem obligare. Quamobrem si hoc majestas, si lex cavere nequit, quò tandem insaniæ legum interpretes processere? qui ociosis contemplationibus impossibilia possibilia, & pugnantia amica facere contendunt, præ ingenii crassitudine non observantes, quanta simul incommoda conventionumque incertitudines in orbem civilem hac opinione invehi necesse sit, adeò ut circa fœdera & sponsiones, ubi talibus subsistunt principiis, nihil firmi ratique sperandum esset. Quod si enim apud nos hodienum utilitas privata tanti ponderis & virium est, ut si vel modica lucelli improbi spes affulgeat, nulla fœderum religio, nulla fidei sanctitas tanta sit, quin parricidali audacia quæstus causa

voce

Digitized by Google

vocetur in discrimen; Quid futurum existimas, si à perversis præceptoribus fictitium illud restitutionis beneficium cupidè imbiberint? Ita me Deus adjuvat, omnia Rerump. vincula, quæ tacita sanctitate jus gentium connectit, brevi dissolvenda essent. Ecce tibi, inter Regem Galliæ atque Hispanniæ de Belgio, quod tantorum bellorum à multis retro seculis causa extitit, controversias certis conditionibus compositas, easque solemni juramento firmatas, quas tamen una pars pro se nimis duras aut iniquas existimat: Sic tamen, ut pro tempore vel necessitate vel alia quadam ratione in illas consentire utile sibi fore duxerit. Postea ubi se paulatim collegit, non potest non fieri, quin generosum animum conventionum inæqualitas acerrimo injuriarum sensu exagitet, omnemque adeò faciat circumspicere occasionem, per quam honesto prætextu à fœdere discedere possit. Quæ nunc per Deum immortalem mihi optabilior clariorque in manus daretur excusatio, quàm si sub specie quadam juris & necessitatis ad antiquum animum redire mihi liceret? Continuò enim dicerem, me deceptum & læsum esse, læsionem verò quocunque modo vel perfunctoriè deducerem; Hinc quoniam Resp. restitutione minorum in integrum utuntur, id quoque mihi juris assererem, ut prævia restitutione omnia in priorem statum reponi & de lite jam decisa ex integro disceptari velim. Quin & me omnino & necessariò hoc remedio uti teneri idcirco facilè adstruxerim, quod conveniens sit juri & æquitati, ne administrator in damnum & necem Reip. facilè pacisçatur: aut si infeliciter

pactus fuerit, obligari eum & ex officio cogi, ut fidem suam revocet, quam revocare jure meritoque potest. Atque hæc eò faciliùs procederent, quando successor antecessoris sui conventa observare recusat. Quod si enim de illa quæstione, num successorem obligare antecessor possit? adhuc hodie acerrimè verbis & armis disputatur, quid futurum putas, si hoc etiam adjumentum accesserit? Nam tunc ex uno capite contentione minùs feliciter procedente, ad tutissimum restitutionis in integrum asylum refugium dabitur. Facessant itaque tenebriones isti, & publicæ quietis turpissimi conturbatores, qui confusissima scriptorum ineptitudine, quidlibet sine ratione, sine judicio falsum pro vero, nubemque pro Junone venditant, digni profectò, quos cum ignava librorum mole ad incultissimas Æthiopiæ solitudines relegaremus, ubi absque communis rei periculo sibi solis fatuis quodlibet fingere ac refingere nemine quidem indignante possent, donec vel hebes cerebrum candore ellebori ab immunditia purgaverint, vel impotentem stultitiam ignobile fatum perpetua morte extinguat.

§. 2. *Per eas leges contrarii actus irriti fieri.*] Idque magis voluntate ipsorum Regum, quàm jure aliquo aut potestate populi. *Vid. Grot. supr. l. 1. c. 3. thes. 18.* quatenus nimirum Reges & Principes, qui ante vel post electionem populo modum Regiminis stipulantur, actus quosdam ita agendos in se recipiunt, ut si aliter egerint, nolint eos esse ratos firmosque. Quamobrem si aliquando contraria mandata unus vel alter à Trin-

Digitized by Google

Principe impetraverit, à Magiſtratibus & ſubditis ea propter ea attendenda non erunt, quod credibile ſit, ſub- & obreptitiè contra voluntatem Imperantis de cauſa non ſatis vel malè informati emiſſa eſſe. De Principe enim tanquam viro optimo credendum non eſt, illum fidei ſuæ oblitum voluiſſe contra promiſſa agere, ſeque perfidiæ reum facere, & divinæ vindictæ obſtringere. Quin potiùs neſcientem vel errantem ita juſſiſſe præſumendum, qui ubi de præſenti negotio meliùs cognoverit, ſine dubio ipſe ſua edicta ſit revocaturus. Quem in modum etiam clauſulas illas caſſatorias Capitulationibus adjectas interpretamur. Quod ſi verò Rex, qui verè Rex eſt, & majeſtatem habet, à populo de fide data ſollicitatus, & rectiùs tam de cauſæ qualitate, quàm perjurii infamia edoctus in impia ſententia perſtiterit, & contemptor juramenti Deique, qui illius violati graviſſimus vindex eſt, non attentis, quæ in exordio regiminis promiſit, quaſi effrenis equus omnis capiſtri impatiens ruptis conventionum repagulis imperare atque jubere velit, populo ſanè facilis ſuaſor non eſſem, ut contempta majeſtate, quam Rex à ſolo Deo in ſubditos accepit, violentia aut armis pactorum obſervantiam exigat, ſed injuſtam dominationem velut annorum ſterilitates aut alia incommoda patienter ferat: donec Deus perfidiæ regiæ ſolus judex populi ſui miſertus violentum dominum vel corrigat vel publicæ luci ſubtrahat, in noviſſimo judicio ſeveriſſimas pœnas temeritatis ſuæ atque violentiæ daturum, ni reſipuerit. Illud contra omnis tam civilis quàm domeſtici imperii ordinem eſt & naturam,

turam, ut inferior superiorem, utcunque malè vel flagitiosè imperantem, judicet aut puniat, etiamsi id juris expressè sibi stipulatus fuerit. Tale enim pactum tanquam sibi ipsi repugnans & moraliter vitiosum nullarum virium esse potest; Validissimè sibi contradicunt, velle sibi imperantem habere, & eundem judicare. Quare cùm duo simul stare nequeant, unum alterum absorbere necesse est. Absorbebitur autem illud, quod est infirmius, & à causa dependet ignobiliori. effectumque minùs necessarium habet. Hinc in negotio nostro conventio exauctorans cedet efficaciæ majestatis, quæ Regi à solo Deo immediatè traditur. Populus quidem tanquam instrumentum concurrit, eligendo personam: potestatem nullam tribuit. Populus sanè jus exauctorationis sibi pactus est, sed pactum ut majestatis naturæ contrarium irritum fit, hac salvâ manente. Effectus quoque est magis necessarius. Nam sine imperio nulla societas consistere potest, at non omnia regna depositioni Regis consentiunt. Imò ego nullum planè novi, quod hanc sibi potestatem expressis pactis asseruerit. Quare cùm exauctoratio atque Imperium sibi repugnent, hoc illam vincere & exauctorari dicimus.

Ut factos de re aliena.] De his egit *Grot. l. 2. c. 6.* & nos ibid. ubi multis locis Authorem correximus.

Ut communem legum regulam sequantur.] Principem legibus civilibus solutum esse, legibus tamen vivere, passim in Codice juris Romani Imperatores responderunt, quod axioma huc apprimè

Digitized by Google

mè quadrat, ubi de contractib9 Regum quæritur, qui non tam directò in publicũ bonum, quàm ſuam familiæque utilitatem vergunt, quos Grotius privatos actus Regis appellat, non ſine periculoſa licentiâ, niſi ejus mentem dextrè acceperis. Quod ſi enim exinde volueris colligere, dari horum actuum in Rege duplicem reſpectum, unum, quo perſonam publicam ſuſtinet, alterum, quo privatum, ita ut & jure privatorum uti & ex illorum conditione judicari debeat, non ſolùm craſſiſſimè erraveris, ſed & impius in majeſtatem es, qui capitâ coronasque ſacro-ſanctas temerario auſu imprudenti plebis judicio ſubjeciſti, quæ facili ratiocinio concludet, Regem virum optimum, & dignum, qui bonis præſit, eſſe decere, hinc omnia delicta ab eo patrata non tanquam à publica perſona, ſed privato delinquente fieri, & propterea more privatorum puniri debere à Magiſtratu. Qua ratione precarium omne imperium erit, à populo Imperanti ſub quovis colore eripiendum. Ideoque ut evitemus hunc ſcopulum erudiri neſcientes debent, Regem non adeò metaphyſico conceptu abſtractivè conſiderari poſſe, quin ubique Regis quoque perſonam circumferat. Majeſtas enim adeò indiviſibiliter perſonæ cohæret, ut entalis illa conſideratio nihil omnino efficiat, quò minùs per Regem quocunque modo læſum illa ſimul in diſcrimen veniat, & attentantes impietatis reos faciat. Equidé aguntur quædam à Principe cum ſubditis non tam ut Principe in omnium ſalutem, quàm homine alio quocunque in ſuum ſuorumque emolumentum, ſed inde malè infertur, hæc Princi-

turam, ut inferior ſuperiorem, utcunque malè vel flagitiosè imperantem, judicet aut puniat, etiamſi id juris expreſsè ſibi ſtipulatus fuerit. Tale enim pactum tanquam ſibi ipſi repugnans & moraliter vitioſum nullarum virium eſſe poteſt; Validiſſimè ſibi contradicunt, velle ſibi imperantem habere, & eundem judicare. Quare cùm duo ſimul ſtare nequeant, unum alterum abſorbere neceſſe eſt. Abſorbebitur autem illud, quod eſt infirmius, & à cauſa dependet ignobiliori, effectumque minùs neceſſarium habet. Hinc in negotio noſtro conventio exauctorans cedet efficaciæ majeſtatis, quæ Regi à ſolo Deo immediatè traditur. Populus quidem tanquam inſtrumentum concurrit, eligendo perſonam: poteſtatem nullam tribuit. Populus ſanè jus exauctorationis ſibi pactus eſt, ſed pactum ut majeſtatis naturæ contrarium irritum fit, hac ſalvâ manente. Effectus quoque eſt magis neceſſarius. Nam ſine imperio nulla ſocietas conſiſtere poteſt, at non omnia regna depoſitioni Regis conſentiunt. Imò ego nullum planè novi, quod hanc ſibi poteſtatem expreſſis pactis aſſeruerit. Quare cùm exauctoratio atque Imperium ſibi repugnent, hoc illam vincere & exauctorari dicimus.

Ut factos de re aliena.] De his egit *Grot. l. 2. c. 6.* & nos ibid. ubi multis locis Authorem correximus.

Ut communem legum regulam ſequantur.] Principem legibus civilibus ſolutum eſſe, legibus tamen vivere, paſſim in Codice juris Romani Imperatores reſponderunt, quod axioma huc apprimè

Digitized by Google

mè quadrat, ubi de contractib9 Regum quæritur, qui non tam directò in publicũ bonum, quàm ſuam familiæque utilitatem vergunt, quos Grotius privatos actus Regis appellat, non ſine periculoſâ licentiâ, niſi ejus mentem dextrè acceperis. Quod ſi enim exinde volueris colligere, dari horum actuum in Rege duplicem reſpectum, unum, quo perſonam publicam ſuſtinet, alterum, quo privatum, ita ut & jure privatorum uti & ex illorum conditione judicari debeat, non ſolùm craſſiſſimè erraveris, ſed & impius in majeſtatem es, qui capitâ coronasque ſacro-ſanctas temerario auſu imprudenti plebis judicio ſubjeciſti, quæ facili ratiocinio concludet, Regem virum optimum, & dignum, qui bonis præſit, eſſe decere, hinc omnia delicta ab eo patrata non tanquam à publica perſona, ſed privato delinquente fieri, & propterea more privatorum puniri debere à Magiſtratu. Qua ratione precarium omne imperium erit, à populo Imperanti ſub quovis colore eripiendum. Ideoque ut evitemus hunc ſcopulum eruditi neſcientes debent, Regem non adeò metaphyſico conceptu abſtractivè conſiderari poſſe, quin ubique Regis quoque perſonam circumferat. Majeſtas enim adeò indiviſibiliter perſonæ cohæret, ut entalis illa conſideratio nihil omnino efficiat, quò minùs per Regem quocunque modo læſum illa ſimul in diſcrimen veniat, & attentantes impietatis reos faciat. Equidé aguntur quædam à Principe cum ſubditis non tam ut Principe in omnium ſalutem, quàm homine alio quocunque in ſuum ſuorumque emolumentum, ſed inde malè infertur, hæc Princi-

pem non agere, aut subditos debere regiæ majestatis in his nullam rationem habere. Nam & Princeps Tyrannus agit quædam non ut Princeps, qui semper vir bonus est, sed ut prædo, ut latro, ut sacrilegus, ut veneficus, ut carnifex: Et tamen Princeps agit, nec subditi resistere aut eum punire possunt. Cæterùm redeundo ad propositum distinguendum arbitror, an Princeps contractum celebraverit cum extraneis, an cum subditis. Illo casu omnis actus sive publicus, sive ut vocant privatus fuerit, ex jure naturæ & gentium æstimandus venit, exulante omni civili lege, quoniam neque Princeps civilibus extranei legibus, neque hic illius adstringitur: idque verum est, sive extraneus ipse etiam fuerit Imperans, sive subditus alterius Civitatis. Nisi fortè quædam consuetudines moribus aut mutuo consensu receptæ inter contrahentes fuerint; nam & his quoque stare tenebuntur. Posteriori verò modo arbitrio Principis relictum est, velitne in actibus non adeò directè publicis uti jure suæ Reip. an in mera naturæ lege persistere. In dubio autem, & ubi prægnantes in adversum præsumptiones non adsunt, uti eum velle civilibus legibus concludo, tum quòd id ei honestum atque decorum est. Tum ut subditis ipso facto demonstret, æquissimas esse leges, quibus nec ipse, etsi possit, solutus esse cupiat. Et ita Imperanti decepto competunt beneficia rescissoria, restitutoria, aut emendatoria. Quò etiam pertinet, quod dicit Grotius, quosdam Reges adversùs fœnebre malum sibi consuluisse juris remediis. Consilii itaque hoc & voluntatis est, non necessitatis. Rex enim

si

Digitized by Google

si nolit, legibus civilibus stare non tenetur. Quodcunque tamen jus elegerit, & subditos eo uti pati debet. Sic non potest ipse ad jus naturale provocare, & judicare cives in eadem causa ex jure civili, quoniam æqualitas contractus & talio sive τὸ ἀντιπεπονθὸς in conventionibus id non admittit.

Ita suos actus his legibus solvere.] Iterum periculosa loquendi formula, nisi dextrè accipiatur. Quippe qui solvi legibus debet, is ante solutionem illis est adstrictus, cùm solutio præcedentem notet obligationem, à qua solutio fit. At Rex legibus civilibus antecedenter est solutus, ita ut nullo tempore, nisi ex voluntate, iis teneatur, quare solutione opus non est. Quæ tum demum requiritur, quando priùs Rex declaravit, cupere se secundùm leges civiles vivere. Ab hac nimirum declaratione se solvere ex potestatis plenitudine Rex potest & debet. Itaque cùm in dubio censeatur leges civiles velle observare, hic quoque tacita quædam solutionis præsumptio suberit. Qua solutione secuta res redit ad priorem statum, & negotium jure naturæ decidendum venit; at rectè h. Grotius.

Quod an facere voluerit.] Existimo, ut dixi, in dubio præsumi Regem voluisse juxta leges suas vivere. Exceptio ab hac præsumptione generalis erit, si lex quosdam actus adeò in ordinem cogat, ut propterea periculum subsit, regiam majestatem ex observatione in contemptum & diminutionem abituram. Nam, ne hîc Imperans in suam necem facilis sit, non tam se voluisse his legibus solvere, quàm noluisse ullo unquam tempore

pore adstringere dicendus est. Alias exceptiones ex variis rerum actuumque negotiis secundùm cujusque circumstantias desumere licet.

Non in favorem agentis.] Ergo Rex eas solùm leges servare censetur, quæ in ejus favorem, non etiam quæ in pœnam sunt constitutæ? Ut sic re ipsa nobiscum Grotius faciat.

Distinctas personas.] Reponit aliquis majestatis realis patronus, majestatem realem Imperii cogere posse Imperantem, aut ipsos etiam subditos. Sed hi, ut parentes, superiorem moraliter cogere nequeunt; Illam verò suprà cum prudentioribus sufficienter explosimus. Ut adhuc vicem eorum doleam, qui se hisce crepundiis deludi patiuntur.

Neq; sufficiunt distincti respectus.] Ex hoc fundamento decidendum videtur, quid sentiendum sit de citatione illa, quâ Carolus Imperator se ipsum, Carolum Austriæ Archiducem sub pœna citavit. Cæterùm ejusmodi respectus distincti in nostra Germanica Rep. non adeò sunt extra omnem considerationem politicam ponendi. De qua re tamen nos severius examen ad jus publicum differimus.

§. 3. *Planè privaverit priori juramento.*] hic Dn. Ziegl. *non omnino privavit. Quid enim, si non obstante priori juramento aliud novum juraverit? Sanè disputare Canonistas* dicit, *& in hoc convenire, actum factum contra juramentum de non faciendo validum esse, facientem tamen esse perjurum.* Sed ad mentem Grotii non satis attendit, quæ non ea est, quasi juramentum posterius contra prius factum simpliciter non valeat,

leat, nam hoc neque ſuprà *in c. 13. th. 19.* aſſeruit: Sed tum demum, quando in eo expreſſa omnis facultatis aliter agendi vel jurandi abdicatio continetur: *vid. d. theſ. 19.* Quicquid igitur Canoniſtæ diſputent, ad caſum expreſſum trahi non debet.

Tamen eum, qui juravit, Deo adſtringi.] Quatenus obligatio directè Deum ſpectat. Secus ſi ſaltem vocetur in teſtem veritatis. Ut ſuprà limitavimus.

§. 6. *Solvere debitum &c.]* Iterum hic Dn. Ziegl. diverſus abit, & exiſtimat *hoc exemplum magis congruere poſteriori membro.* (ſc. quando quis verè obligatus eſt) rationem addit. *Quia præſupponit verè obligatum eſſe eum, qui liberatus eſt. Liberationem autem illam ſine dubio contingere ex lege civili.* Sed nec hic ad mentem Grotii ſatis reſpexit. Grotius enim hſc agit de obligatione naturali eo ſenſu, quando quis ad dandum vel faciendum obligatus non eſt, dare tamen vel facere utique honeſtè poteſt. Et in exemplum refert debitorem, qui in pœnam creditoris liberatus eſt. Quod variis caſibus contingere poteſt: puta, quod aliquis per dolum cautionem ſive chirographum exegerit de majore pecunia, eamque judicio petat, & poſt litem conteſtatam de eo convincatur, *l. fin. C. de plus petit* It. ſi quis ſe creditorem pupilli eſſe diſſimulat, ut tutelam ſuſcipere contra legem poſſit. Jus amittit crediti. It. ſi tutor actionem, quam alius contra pupillum habet, ſibi cedi patiatur, quo caſu & ceſſans & is, cui ceditur, jus crediti amittit. *Nov. 72. c. 5.* aliisque modis pluribus, quos omnes recenſere jam nihil attinet. Refert verò

rò ad hunc locum Grotius exemplum debitoris in pœnam creditoris liberati, non quatenus adhuc tenet obligatio, sed quatenus jam liberatus est debitor. Hic enim nihilominus beneficio suo renunciare & solvere potest, non quidem quòd ad solutionem actione aliqua cogatur, sed quia honestum est solvere, quod promisisti. Quare frustra objicit Zieglerus, præsupponi verè obligatum esse eum, qui liberatus est; Nam hoc Grotius non attendit, sed si jam est liberatus, tunc ampliùs obligatus non est, & propterea exemplum rectè ad priorem casum pertinet. Licèt verò liberatio contingat ex lege civili, secundùm DD. tamen manet obligatio merè naturalis, quæ est sine exactione. Et iterum exemplum quadrat proposito Grotii.

Cogere cum, cui sunt subditi, non licet.] Ob defectum imperii & positionem subjectionis atque obedientiæ. Impossibile enim est, ut minor cogat majorem.

Sed æqualibus inæquales.] Rectè, sicut ad librum 1. ostendimus, quicquid etiam ibid. & hîc dissentiat Ziegl. Naturâ verò æquales se invicem cogere posse dicit Grotius, quatenus hoc naturæ non repugnat, ut nescio, quâ fronte hîc Dn. Ziegl. invertat propositionem, æqualibus in æquales jus coactionis ex lege esse, superioribus in subditos à natura. Nam superioribus in subditos hoc juris est ab imperio, non natura. Nisi naturale imperium multitudinis volumus facere, à qua loquendi formula omninò est abstinendum. Æqualibus verò in æquales coactionem ex lege procedere tunc demum verum est, si omnes

Digitized by Google

mnes sint sub una potestate civili constituti. Tunc enim civis civem actione legitima pulsat, & ad faciendum vel dandum auxilio Magistratus cogit. Quod si verò uterque sit vel persona publica, vel privata quidem, sub nulla tamen superiori potestate, sanè naturale est, ut par parem possit & debeat cogere, nisi velimus contra rationem & quotidianam experientiam asserere, Regi in Regem non competere coactionem, ideo, quòd ambo pares sint potestate & independentia. Physicæ enim coactionis & virium roboris nulla hîc consideratio, utpote quæ jus non dat, neque adimit, sed saltem in deliberatione ad prudentiæ examen pertinet.

§. 7. *Compensatio fiat ei.*] Ex æquitate, non stricto jure. Æquum enim & bonitati Imperantis admodùm congruens est, ut cives, quibus prædia, ædes aliasque res propter urgens periculum auferre coactus fuit, & saluti omnium impendit, remisso tributo, donata materia ad ædificandum, vel fundis aliis ad colendum elocatis in locum exutæ possessionis suletur. Sed ad hoc Principem jus nullum cogit: quoniam hæc talia vi dominii eminentis & sic jure suo facit, ideo ad compensationem strictè sic dictam non tenetur. Non aufert subditorum res, sed extincto dominio privato efficit, ne amplius illorum sint. Quare cùm per illam dominii privati revocationem omne jus in res subditis pereat, frustra ejus, quod tuum amplius non est, petitur compensatio. Aut dominium eminens negandum, aut non concedenda compensatio. Postquam verò illud suprà cum Grotio firmissimis argumentis vindicavimus, hæc exula-

exulare omnino debet. At inquis, *æquissimum esse, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum consecuti sunt, ut suas res salvas haberent. l. 1. & 2. ff. ad l. Rhod. de jact. Dn. Ziegl. h.* Respondeo, de æquitate jam concessi. Quodsi verò jure Principem ad compensationem obligatum exemplo quæstuosæ societatis urgere vis, te ipsum decipis. Nullibi erratur periculosiùs, quàm à privatis ad personas publicas atque imperia argumentando, quia & modus & totius rei natura diversissima est. Coiverint quidam mercatores in societatem, aut communi nave vehantur, indoles fraternitatis illius flagitat, ut commune omnium detrimentum & commodum sit, quia est æqualium societas, ubi quilibet ex sociis tantum juris ad alterum, quantum alius habet. In inæquali & ut Grotius vocat rectoria societate res aliter se habet. Ibi subditi jurarunt Principi suo, se pro ejus incolumitate & salute patriæ vitam bonaque omnia promptissimo officio animosè profusuros. Jactus mercium è navi ad naufragium vitandum omnium contributione sarcitur, quia lex civilis id jubet, & ita navigantes vel pacti sunt, vel probabiliter pacti creduntur. At Principem, qui facultate eminentis dominii subditum possessione exuit, & jus suum exercendo nemini facit injuriam, nulla lex ad compensationem adigit. Non naturalis & gentium, quia hic de moribus aut actibus gentium publicis nihil agitur. Non civilis, quæ Principem non obligat. Quod si subditis promiserit compensationem, ex pacto suo, non jure alio tenetur. Viderint interim Principes, ne tam igna-

ignava promissione facilè damnum incurrant. Ea enim sæpiùs rerum, quas dominium eminens possessoribus eripit, conditio est, ut vix totius civitatis opibus farciri queant. Sæpissimè evenit, ut ob hostem eminentem latissima suburbia incredibili magnificentia exstructa diruenda sint; ut innumerabilis frumentorum aut cibariorum copia, interdum etiam integræ provinciæ segetes, ne hosti emolumento aut receptui sint, perdenda; Hanc jacturam vix civilis societas aut cum magno suo incommodo feret. Quin nec consultum valde est, compensationem subditis promittere. Quod si enim illam facere poteris, nec tamen promiseris, beneficium erit, & magnifica liberalitas magis tibi tuos cives devinciet, quàm si conventionis necessitate ad illam te obligatum sciverint. Sin verò damnum irreparabile sit, quod spopondisti reparandum, utcunque te impossibilitas voto exsolvat, subditi tamen tui subinde publicè & inter se fidem expostulabunt, ut est plebes suâ naturâ facilis ad rumores, præcipuamque libertatis partem esse existimat, si de Principe suo utcunque loqui possit. Quos deinde sermones tu frustra compresseris, ut melius sit os vulgo liberum dare. Nam *prohibiti*, ut ait Tacitus, *per civitatem sermones, eoq; plures, ac. fliceret, vera narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgabant.* Concludo itaque, teneri Imperantem ad compensationem rerum, quas dominium eminens privatis abstulit, ex æquitate, nullo jure cogente. In qua opinione præstantissimum Politicum habeo & authorem & socium, Dn. Conringium, apud omnes ferè exceptio-

ne omni majorem testem; Ita verò ille *de Fin. c. 19. Utiq; in omni societate etiam maximè civili quilibet saluti publicæ est obstrictus, & re & corpore. Sarcit quidem acceptum damnum Resp. si potest, at magis in præmium, quàm ex debito: itaque si non potest, necessum est, ut pars quæq; ferat, quod mutari non potest, ob reliqui corporis salutem.*

§. 8. *Neq; ullo modo.*] *Vid. Angel. ad L. Lucius ff. de Evict.*

Nullo modo subest.] Objicit Dominus Ziegl. *subesse jus exterorum in casu extremæ necessitatis non quidem super eminenti dominio, sed imperio. E.gr. in obsidione civitatis si exterus pulverem pyrium habeat, quem non habet civitas, posse eum etiam invito auferri ad defensionem civitatis.* Et addit: *tam feliciter casum hunc necessitatis & competens inde jus Principis exponere nequire, qui dominium supereminens statuunt.* Sed hæc profectò rem non conficiunt. Dicat enim mihi Dominus Zieglerus, quod nam sit illud imperium, Principi in exteros competens? Si civile intelligit, præcipuam majestatis facultatem, quæ in personas subditorum dirigitur, oppidò falsus est, Hoc enim non magis quàm dominium eminens civitatis suæ limites egreditur, sed terminatur in subditis, ad extraneum non pertingens. Eadem decidendi ratio est, si per imperium totum majestatis complexum, aut jurisdictionem civilem intelligas, nam utriusque objectum & termini cives sunt, ut extra civitatem jus dicenti impunè non pareatur. Aliud imperium, quod Principi in extraneos competere

Digitized by Google

tere poſſit, me ignorare fateor, & ab alio, quod & quale ſit, edoceri cuperem. Itaque Zieglerus gratiam apud Politicos non exiguam iniiſſet, ſi imperium hoc non ſolùm nominaſſet, ſed & ejus exiſtentiam & eſſentiam certiſſimis demonſtrasſet argumentis. Illud inſuper eum rogare liceat, ſiquidem exterus non in civitate obſeſſa, ſed alibi ſit, & copiam habeat pulveris tormentarii, an ſuppoſita eadem neceſſitate exiſtimet ad tradendum pulverem vi imperii cogi poſſe? Si negat, ut negaturum omninò confido, fateri neceſſe erit, per ſolum in civitatem ingreſſionis actum hoc imperium incipere, & per diſceſſum deſinere. At quæ hæc poteſtas ſuperioris eſt, quâ quilibet ſua ſponte omni momento ſe eximere poteſt? Omnis imperii certiſſima indoles & natura conſpicitur in eo, ut etiam invitum obligatum teneat. Nam aliàs imperium in precarium cadit, & ab arbitrio alterius dependet. Cùm verò exterus, quandocunque ipſi libuerit, poteſtate & manu mea exire poſſit, imperio mihi nullo teneri omninò ſtatuendum. Ad hæc, anne exiſtimas, ſi caſus neceſſitatis nullus adſit, idem imperium in exteros competiturum? Non affirmaturus es, ut arbitror. Verùm quod eſt illud imperium, quod neceſſitas dat? ſi competeret, competeret etiam ſine neceſſitate, ſed exercitium ſaltem ſuſpenderetur, quemadmodum dominium eminens omni hora Principi adeſt, nec tamen niſi ſub civili ratione exercetur. Si neceſſitas ſola imperium dat, cur Principi & non aliis etiam dat, cùm apud omnes ſit neceſſitas æqualis? At dicis, non itaque Principi in neceſſitatis caſu conceſſum eſt bonis exte-

eſſe. Hoc enim non obtinet, ſi ex actibus quibusdam contraria voluntas colligi poteſt, quemadmodum in hoc negotio actus permanſionis in civitate tacitam voluntatem & inde exorientem obligationem, ex qua ſequitur coactio, haud obſcurè inducit. Ex his ſanè cuivis ſatis patere exiſtimo, neque dominium eminens, neque imperium, extraneum ad defenſionem civitatis & rerum neceſſariarum collationem cogere, ſed pactum & conventionem tacitam, per quam ad hoc officii ſe obligaſſe præſumitur. Viderit itaque ipſe Dn. Zieglerus, quàm feliciter caſum hunc neceſſitatis & competentis inde juris Principis ex imperio deciderit: mihi ſanè illa felicitas hactenus imponere non potuit; In qua ſententia tamdiu perſiſtere certum eſt, donec perſpicuis rationibus illud imperium, quo exterus tenetur, demonſtratum fuerit. Civile enim huc non magis quadrat, quàm eminens dominium.

Quatenus publica utilitas.] Hæc verba non tam limitativè quàm cauſaliter ſunt intelligenda, h. m. ſubditorum jus dominio eminenti ſubeſt, quia publica utilitas id deſiderat.

§. 9. *Contractus Regum leges eſſe.]* Non ſunt leges civiles propriè ſic dictæ, ob rationes, quas adfert hîc Grotius, legis tamen vicem obtinere dicuntur *in l. pen. C. de donat. inter vir. & ux.* quòd ſola Principis voluntas in contractibus ſpectanda ſit. Quæ etiamſi legibus civitatis communibus repugnet, nihilominus valeat. Tum quòd Princeps legibus ſit ſolutus, tum quòd, ſi velit, continuò legem facere poſſit. *Conf. quæ ſupr. ad d. l. pen. diximus.*

§. 10. *Veniamus ad successores.*] De obligatione successorum, & quatenus hi anteriorum Regum pactis stare teneantur, non minùs pulchra est quàm anceps quæstio, quam à juris Romani interpretibus frequenter agitatam, plerunq; verò siniſtrè expeditam videas, dum negotium politicum jurisprudentiæ suæ decempeda metiri voluerunt. Grotius noster ad familiarem sibi distinctionem recurrit, inter regna, quæ sunt in patrimonio, & quæ in usufructu. Verùm cùm licentiosum hoc loquendi genus severior sapientia vix ferat, ab eo abstinendum est. Nobis, ne pedem in limite impingamus, status quæstionis rectè formandus erit. Quærimus itaque, an & in quantum successor in regno obligetur conventis antecessoris sui? Hîc ante omnia videndum censeo, num successor regnum acceptum ferat antecessori suo, an verò populo, an neutri? Et quod si antecessori, an hic præter regnum alia separata bona quasi allodialia in rationibus habuerit, quæ simul vel ex asse, vel ex parte, aut nullo modo ad successorem transivere? Denique, qui sit cujusque Reip. mos & consuetudo. Dantur Principatus quidam & imperia, in quibus subditorum ambitio Principum arbitria non adeò coegit in ordinem, quin præter alias majestatis operationes etiam de futuro successore dispicere possint, sive illum ex sanguine suo, sive aliunde electum velint. Quod cùm accidit, dicendum est, teneri hunc successorem ad fidem colendam & exolvenda debita, quæ antecessor suus fecit. Ab hoc enim causam & imperium habet, quare æquum est, ut, quæ illud afficiunt, religiosa gratitudine

Digitized by Google

tudine obſervet. In tota ſucceſſionis materia generaliſſimè illud verum, ſucceſſorem obligari factis & promiſſis defuncti, à qua hæreditatem obtinuit: & hæreditatis aditio eſt talis actus, qui neceſſarium importat conſenſum approbandi negotia teſtatoris. Quare ſi ſucceſſor Regis anterioris fidem noluiſſet ſervatam, licuiſſet ipſi abſtinere regno. Quod ſi hoc ambitioſa voluntate ſuſcepit, unâ operâ ſe etiam ad ea præſtanda obligavit, quæ à præceſſore vel promiſſa vel facta fuere: ne contra juris & æquitatis regulam in uno eodemque negotio, quod commodis & incommodis individuis cohæret, illis fruendo hæc declinare cupiat. Ubi autem defunctus Princeps alia inſuper bona habet, à regni rationibus diſtincta, diſpiciendum eſt, quorum bonorum reſpectu contractum ſit, & ad quem deinde bona illa pervenerint. Regni enim debita ſucceſſorem Principem obligabunt, cæterorum verò, ſuos quosque hæredes, ita ut ſi Rex in omnia ſuccedat, teneatur de omnibus. Si in ſolum regnum, in alia verò non, ſed ea minoribus fortè fratribus cedant, de iis non teneatur. Quod ſi pro parte virili ſucceſſit, pro ſua tantùm quota obligabitur, niſi mos & conſuetudo regni aliud introduxerit, ſicut in multis Imperiis & Principatibus uſu venire videmus, ut primogenitum ſuccedendo in regnum omnia in ſe debita recipere oporteat, cæterorum fratrum vel ſororum portione ad ipſos ſine omni onere tranſeunte. Sed quid, ſi Rex anteceſſor promiſerit aliquid, quod citra perjurium promittere non potuit? Veniet hoc fortaſsè eo caſu, quando Rex ſubditis ſtipulanti-

bus cavit, nolle se hanc vel illam partem regni alienare? talis enim conventio non impedit facultatem constituendi generalem successorem. Quando itaque contra fidem partis prohibitæ alienationem cuidam promiserit, tenebiturne successor stare placitis, ex ea ratione, quòd regnum & causam ab antecessore habeat? Non puto, quoniam vitiosa promissio effectum sortiri non potest. Suprà enim satis ostendimus, quum de alienatione imperii sermo erat, non posse Principem cum effectu alienare subditos, quos se non alienaturum fide interposita spopondit, quoniam per talem alienationem subditi solverentur obsequio Principis, & venirent in libertatem pristinam eligendi quodlibet regiminis genus. Quamobrem, quod Principi præcessori non licuit, successori, qui ab eo jus habet, licere non potest, cùm impossibile sit, ut plus juris transferatur in alterum, quàm transferens ipse habuit. Veniamus ad membrum distinctionis nostræ secundum, quando successor regnum obtinet à populo, non Rege anteriore. De quo casu tractat Grotius in §. 11. Ubi ante omnia advertendum est, quousque populum Rex antecessor obligare potuit: hactenus enim electus à populo obligatur per populum, in quantum ipse populus obligatus fuit: persona verò & obligatio antecessoris non adeò in considerationem venit, quoniam successor non ab hoc, sed populo per electionem jus in regnum est adeptus. Et hoc est, quod dicit Grotius, obligari eum non ἀμέσως, sed ἐμμέσως, per interpositam civitatem, quatenus Rex anterior obligavit populum, & populus successorem.

Quando

Digitized by Google

Quando itaque hoc noſtro caſu dicitur, ſucceſſorem teneri placitis anteceſſoris, accipiendum id erit, non quòd Rex anteceſſor ipſum immediatè obligaverit, ſed quòd populum, quo mediante deinde & ſucceſſor obligatus fuit. Quare videamus, in quantum Regi jus ſit populum ſuum obligare, ut deinde conſtare poſſit, in quantum obligetur etiam ſucceſſor. Hoc autem vix meliùs explicari poterit, quàm ſi benevolus lector ea ſibi revocaverit in memoriam, quæ ſuprà de alienatione ſcripſimus. Quoniam eſt regula infallibilis, quæcunque Rex rectè alienare, illa etiam rectè promittere, & per promiſſionem populum ad præſtandum obligare poteſt. Ratio perſpicua ſatis eſt, quia promiſſio eſt nihil aliud, quàm via ad alienationem rei, vel alienatio particulæ cujusdam noſtræ libertatis. Aliàs contra naturalem rationem ei id, quod magis eſt, liceret, non verò, quod eſt minus. Nec movet, ſi quis objecerit, alienationem immediatè à Rege tanquam cauſa efficiente procedere. Promiſſionem verò ideo non ſtringere populum, quia obligatio per alterum nemini quæritur, niſi præceſſerit mandatum. Reſpondetur enim omninò hîc tacitam voluntatem populi intelligi, qui jus illud, quòd quilibet cœtus ſe obligandi naturaliter habet, in Regem transtulit, idque per neceſſariam conſequentiam, transferendo per electionem imperium. Nam alias omnes civiles operationes, quas majeſtas efficaci ſua indole producit, dicis causâ eſſent, & Princeps vix precariò imperaret, niſi facultas ipſi eſſet obligandi populum ad ea, quæ virtute imperii ſibi conceſſi peragit. Quin vide-

tur mihi non necessarium esse, ut in illam tacitam populi voluntatem tam anxiè inquiramus, cùm sola majestatis imperiosa virtus obligando cœtui satis superque sit. Huic enim voluntates & actiones omnium subditorum tam humili obsequio subjectæ sunt, ut iisdem ad quodlibet non inhonestum opus uti possit. Parentes enim in civili hoc ordine merè passivè se habent, & quod malleus fabro ad cudendum ferrum, hoc etiam Principi ad civiles operationes rectè promovendas subditi præstant. Si Princeps cives suos in hostem educere, & præsentissimo mortis periculo objicere: si jurisdictione civili & criminali coërcere, si ad conventus cogere, tributis onerare, legibus adstringere, privato rerum dominio exuere, omnibusque aliis civilibus negotiis adhibere potest, cur non & eosdem conventis suis obligare? Illud autem difficilius postulat examen, quousque in Principe se extendat hæc potestas obligandi subditos? Non ex omni parte feliciter hîc illi versantur, qui non attenta imperii civilis operosa efficacia ad solam parentium utilitatem limites præscribunt, ut & noster Grotius facit. Præsumendum quidem semper est bono civi, Principem, quæcunque facit, in emolumentum universæ Reip. facere, judicium verò in civilibus de actionis utilitate & rectitudine sibi vindicare nullum debet. Imperantis hæc cura est, qua potissimùm ratione felicitatem civilem promoveat; parentis autem, ut jussa & voluntatem superioris citra scrupulosam contentionem exequatur. Quam ob rem cùm ob defectum judicii in civilibus ex parte parentium res exitum habere nequeat,

nequeat, meliùs illi faciunt, qui jus Principis obligandi cives poteſtate civili terminant. Quæ cùm in totam civitatem valeat, niſi in actu ſecundo pactis mutuis ejus exercitium certis in rebus ſuſpenſum fuerit, neceſſariâ ſequelâ infertur, in omnibus negotiis Principem ſubditos etiam invitos validè obligaturum, niſi quædam vel in principio regiminis etiam poſtea mutua conventione exceperint, in quibus populus ſuas quoque partes ſtipulatus ſit. Quoad reliqua plebem rectè atque ex ordine facturam, ſi religioſo obſequio actiones Principis ſui ſine ulteriori examine officiosè adjuvet. Excipe tamen, ſi actus quidam ſatis luculenter in bonitatem moralem impingerent, tum piè negatur obſequium, ubi obediſſe crimen eſt. Hactenus enim plebi judicium quoad bonitatem moralem, non verò etiam civilem concedimus. De promiſſione, quam Rex fecit contra pacta cum ſubditis inita, idem judicium, quod de alienatione eſto. Rex, qui neque anteceſſori neque populo imperium acceptum fert, quod erat membrum hujus quæſtionis tertium, ille eſt, qui juſtitiâ armorum & bellica virtute illud acquiſivit. Eſt enim hic modus acquirendi imperia non minùs juſtus, quàm electio vel ſucceſſio, modò ſanctitas cauſæ vim armatam legitimet. Qui injuriis laceſſitus illas à calumniatore vindicatum it, aut effrenam latronis cujusdam cupiditatem oppoſita vi arcet, is injuſtum poſſeſſorem optimo gentium jure ad ſatisfactionem & pœnam cogere, rebuſque ſic ferentibus ſibi omninò ſubdere poteſt, quo modo victor in ſubjugatum pleniſſimum accipit dominatum, neque tamen

tamen illum vel populo vel Regi devicto acceptum fert. De hoc igitur quæritur, an obligatus sit ad solvenda debita, quæ Resp. ante subjugationem contraxerat? Existimo omninò, quòd sic, quoniam Remp. cum omni causa suam fecit. Quemadmodum igitur activa debita, si quæ adsunt, sibi sine dubio asserit, passiva sanè declinare non potest. Nam nemini rem cum emolumentis habere licet, nisi & incommoda unà receperit. Et quid culpæ creditoribus imputari potest, quòd Resp. debitrix injuriis potentiorem lacessendo libertatem perdiderit, ut propterea hi quoque amissione nominum in pœnæ consortium innocentes trahantur? Tota universitas cum omnibus juribus in potestatem victoris concessit, quare rationi & justitiæ conveniens est, ut debita simul transeant, quæ non minùs, quàm aliæ res in universitate sunt, planè ut hæreditas, quæ est quædam universitas, actiones, tam quæ testatori, quàm quæ in eum competunt, per aditionem in hæredem confert. In qua sententia consentientem habeo Dn. Ziegl. *h. & in §. 11.* Nec movere quemquam velim eo, quod *Aristoteles 3. Polit. 2.* dicit, πολιτείας γιγνομένης ἑτέρας τῷ εἴδει, καὶ διαφερούσης τῆς πολιτείας ἀναγκαῖον εἶναι δίκαιον ἄν καὶ τῶν πόλιν εἶναι μὴ τῶν αὐτῶν. *Mutatâ Reip. formâ civitatem non ampliùs eandem esse.* Ergo si civitas non ampliùs eadem est, non debentur nomina, quia interitu subjecti, cui debitum inhæret, ipsa obligatio ut personalis expirat. Sicut si debitor aliquis decederet, non relictis neque hæredibus neque rebus, inanem debitoris efficeret actionem. Sed notandum est, unius rei artificialis plures

Digitized by Google

plures posse esse species secundùm diversos considerandi modos. Sicut legionis una species est quâ regitur, altera, quâ militat. Itemque judicii una forma, quâ judex litigantibus jus reddit, & alia, quâ partes inter se litigant. Ita & civitatis species una est relatio partium inter se earum, quæ regunt, & quæ reguntur, sive ordo ille civilis inter Imperantes & parentes. Altera verò consociatio juris, quod Rebusp. invicem mutuò intercedit. De illa specie loquitur Aristoteles, ut subjecta exempla declarant, de harmonia non eadem, sive à modo dorico in phrygium transitur, licet sonis iisdem fiat: deque choro comico & tragico non eodem, quamvis iisdem hominibus constet. Nam licèt rectè quis dicat, non eandem harmoniam esse modi dorici & phrygii, neque eundem chorum comicum & tragicum, quatenus sc. ipsam canendi formam aut ludendi modum spectas, sunt tamen iidem homines, qui canunt & ludunt, & quod de iis dicebatur, cùm chorum comicum luderent, id de eisdem dici potest, cùm in tragicum transeunt. Eodem modo licèt Reip. formâ mutatâ Resp. non sit eadem quoad modum imperandi & parendi, est tamen eadem in civibus suis, de quibus idem rectè in hoc statu, quod juris consociationem attinet, prædicatur, ac si forma alia non esset. Quare debitores iidem debitores manent, non enim subjectum obligationis, i. e. homines ipsi, sed saltem modus eos regendi, qui obligationem ipsam non contingit, mutatus est. Id quod & Aristoteles bene novit, inquiens, *εἰ δὲ δίκαιον διαλύειν ἢ μὴ διαλύειν, ὅταν εἰς ἑτέραν μεταβάλλῃ πολιτείαν ἡ πόλις*

λέγῃ

λόγ@ ἴτερ@. *i. e. an verò mutata civitatis Rep. justum sit solvere debita aut non solvere, alius inspectionis est*, i. e. juris. Cæterùm cùm hæc de successoribus in Grotium jam commentati fuerimus, fortè fortuna incidi in tractatum Taboris, quem inscripsit *de Obligatione successorum in officio*: qui mihi continuò exempli loco esse visus est, quàm parum solidè circa hoc negotium JCti quidam versati sint: cùm Taborem hominem non tam hebetis quàm convitiosi ingenii sæpiùs hallucinatum deprehendam. Sed eccum ipsum. Principio distinguit, (a) *inter Principatum absolutum & indepenaentem, & inter Principatum sive dignitatem regalem aliam dependentem, & vel subjectionis vel vasallagii jure adfectam. Priori casu*, censet, *sub distinguendum esse cum DD. communiter, an successor veniat ad principatum jure electionis vel successionis. Circa Principem electivum quari, vel de conventionibus, vel de concessionibus antecessoris. Conventiones vel contractus celebratos esse vel in rem & commodum privatum, vel in rem & utilitatem Reip. De prioribus communiter approbatam esse traditionem, Principem electivum seu electum regulariter non teneri ex contractibus antecessoris, quia jus suum non habet ab antecessore, sed à populo. Si principatus jure hereditario deferatur, successores in debitis defuncti teneri.* Hæc de Principibus absolutis. Nam de dependentibus jam nihil attinet dicere, quoniam controversia de his non tam ex jure gentium, quàm privato, præcipuè verò feudali expedienda est:

(a) C. 5. de oblig. succ. in off.

Digitized by Google

eſt: & hoc noſtrum argumentum ferè non niſi ſummas poteſtates objectum habet. Non multum ſolicitus ero de diſtinctione inter Principatus independentes & dignitates regales dependentes, quam accuratior prudentia è Politicis exulare jubet, ubi quicquid regale eſt, eſt independens. Excuſabit Taborem mos loquendi feudalis, regalia tribuendo Principibus etiam dependentibus, licèt inter regalia & regalem dignitatem non mediocrem invenies differentiam, modò attentiùs ſcrutari volueris Regalia ſunt exercitium quarundam partium ſummæ poteſtatis Vaſallis beneficiario jure conceſſum. Dignitas Regalis autem eſt quoddam Regibus inſeparabile accidens, quod majeſtas ſibi ſoli vindicat. Sed hæc, ut dixi, leviora ſunt, quæ tamen Taboris acumen fugere non debuiſſent, qui corrigendis aliis ad invidiam usque oculatiſſimus eſt. Illud magis caſtigationem meret, quòd exiſtimat Tabor, Vaſallagium neceſſariò etiam importare dependentiam. Regem enim etiam Vaſallum poſſe ſumma poteſtate uti, & in civilibus eſſe nemini ſubjectum, *in l. 1. ſub fin. c. 3.* abundè probavimus. Nec ratio obſcura eſt. Quia feudum non perſonam, ſed res, dependentia autem, de qua hic ſermo, perſonam primariò res autem ſecundariò & per conſequentiam afficit. Licebit igitur alicui eſſe Vaſallum ratione rerum, & independentem ratione ſuæ perſonæ. Diſtinctio inter ſucceſſorem electivum & hæreditarium eò pertinet, ut ſciatur, mediatè an immediatè per anteceſſorem ſucceſſor obligetur, non verò omnimodam de obligationis translatione difficultatem

tatem explicat. Neque enim generaliter verum est, successorem electivum contractibus antecessoris non teneri, sed eatenus saltem, quatenus antecessor ipsum non potuit obligare. Obligatur verò iisdem per intermediam civitatem, quam antecessor obligaverat. Ut paulò antè satis luculenter explicavimus. Quod porrò distinguit, inter contractus celebratos in utilitatem Reip. & utilitatem privatam ipsius Principis, communi quidem scriptorum calculo, imò ipsius Grotii judicio probatur, non verò politicâ sapientiâ. Nam non licet populo judicare de actibus & promissis Principis sui, in publicam an privatam utilitatem vergant, sed decet eum potiùs obsequiosa promptitudine voluntatem Imperantis exequi. Tota Regis persona publica est, quare quicquid negotii imprimis cum extraneis gerit, bono publico fecisse credidebet. Nullum in his civilibus judicium populo competit; quare cùm res exitum non possit habere, vix locum illa distinctio habebit. Imperiosa majestas Regem agendi facultate instruit, & subditos ad obsequium cogit, quos oportet optima quæque de suo Principe ominari, nec inutili cura rimari intentionem Imperantis, quam non percipiunt. Non posset non commune bonum turbatissimè periclitari, ubi plebi, quæ plerunque rudis & ignava est, judicium in actiones superioris vindicaretur. Illæ enim sæpiùs adeò abstrusæ & ab eo, quod agi simulatur, remotæ sunt, ut saluberrima negotia, quæ celeritate atque silentio opus habent, corrumpi necesse sit, si priùs ad judicem imprudentem, qualis populus est, qui nescit neque tacere, neque

Digitized by Google

neque loqui, cùm opus eſt, eundum fuerit. Quoniam enim intentionem Principis ignorat, quæ ipſi ſine ſummo periculo detegi non poteſt, publicam utilitatem, quam promovere vult, continuò impediet, & rem ad privatam Regis curam pertinere arbitrabitur. Neque meliùs ex eventu judicat. Sæpiſſimè enim optima conſilia fortuna deſtituit, &, ipſo Livio teſte, *nihil iniquius quàm famam ex eventu habere.* Obſoletiſſimum porrò illud eſt, & magnam inconſiderantiæ notam incurrit, quòd cùm Tabor diſtincta feciſſet membra contractus, qui vergunt in utilitatem privatam, & qui in publicam, nunc continuò hos, faciat illorum exceptiones. Quis autem unquam fando audivit, unum ex diſtinctis membris fieri exceptionem alterius? Ita enim, quum de promiſſis in privatorum commodum initis dixiſſet, ſubiicit *n.* 14. limitari hanc regulam (illam ſc. quæ promiſſa anteceſſoris privatæ rei causâ celebrata ſucceſſores non obligare contendit) *1. in contractibus & promiſſionibus factis non ex cauſa & utilitate privata, ſed ad uſum publicum Principatus.* At hoc non eſt excipere de regula, ſed alterum diſtinctionis proponere membrum. Omnis exceptio de regula debet caſum in ſubſtantia cum regula convenientem, ſed propter quasdam circumſtantias excipiendum, non autem planè diverſum habere. Itaque ſi rectè hſc excipere voluiſſet Tabor, protuliſſet caſum, quo promiſſio anteceſſoris etiam in ſuam privatam utilitatem facta obligaret ſucceſſorem, Qui enim regulam de utilitate privata dat, & excipit de publica, non excipit, ſed di-

versum quid dicit. Nec paulò melius sapit, qui promissiones regum in rem privatam factas non vult obligare successores, & excipit deinde ab hac regula promissa, quæ Reip. causâ fiunt, quam qui dicit, omnes asinos habere longas aures, & excipit hominem. Et quò minùs dubium adsit, de promissis publicæ utilitatis causâ celebratis esse sermonem Tabori, subjiciunt exempla, pactiones pacis, fœderum & induciarum, quas in successores transire nemo unquam dubitavit. Secundam exceptionem, quam dat in his conventionibus, *quæ ex natura & consuetudine officii principalis inita aut interpositæ fuerint, quales sunt promissiones salariorum facta officialibus*, non esse exceptionem separatam, sed sub prima ut generali comprehendi eò apparet, quòd etiam hæc salaria boni publici causâ fiant, nec ipse Tabor diffitetur in sequentibus, ubi per modum loquendi concepta esse hæc pacta non in personam sed rem, nihil aliud quàm publicum bonum denotare potest. Licèt de majestate reali nimis crassè cum iis loqui consueverit, quibus interioria politicæ prudentiæ mysteria nondum penetrare contigit, sicut & de actione generali ex contractu & hypothecaria ex jure civili obscurior est, quàm ut huic argumento, quòd jus Romanum legitimum judicem rejicit, satis quadrare possit. Quod de concessionibus *n. 17.* commentatur, id multò melius intelligi potest ex iis, quæ de alienatione imperii scripsimus; modò hîc adhuc duo notemus Primò, concessiones conferendas & implendas ad promissiones atque pacta pertinere. Deinde, si nõ de alienandis cum territorio homi-

Digitized by Google

hominibus, ſed alia re mobili agatur; intereſſe, an talis alienatio facta extraneo, an civi. Si illi, revocationem nullam eſſe, nec competere populo facultatem judicandi de intereſſe publico, nec ſucceſſori licere revocare, quod anteceſſor validè alienavit. Si huic, ſc. civi, ſucceſſorem vi eminentis dominii ex neceſſitate publica immoderatas donationes vel alias conventiones damnoſas irritare aut revocare poſſe.

§. 11. *Confuse hactenus tractatum eſt.]* Sugillat hæc verba *Tabor in d. tr. c. 5. n. 15.* & ſubjicit, Grotium diſtinctionem ſuam inter obligationem immediatam & mediatam non ſatis applicare. *Quia ſi Princeps ſolus neceſſarios ſibi in adminiſtratione miniſtros adjungat, iisq; congrua conſtituat ſalaria, populi conſenſum nequaquam exigit, ſic ut ejus factum intermedium poſſit allegari.* Sed otioſa hæc eſt Taboris objectio, *& parum profutura ſubtilitas*, ut ejus ore loquar, *inter aranearum telas computabitur.* Quia mens Grotii non eſt, ut ſucceſſor mediante populo obligetur, ad contractum anteceſſoris populi intermedium factum neceſſariò allegari debere, ſed requiri, ut Rex poſſit populum ad illum actum obligare ex tacito ejus conſenſu, qui per neceſſariam conſequentiam, conceſſionem ſc. imperii ſemper elicitur, *ut Grot. noſter h. l.* ſatis dilucidè explicat. Et hic tacitus conſenſus jus Regi dat obligandi populum, etiamſi non ad quemlibet actum factum ejus intermedium, ſeu, ut intelligo, conſenſus ſpecialior, intervenerit. Per populum autem obligatum obligabitur deinde ſucceſſor; Et ſic etiam in ſalariis conſtituendis

dis & exolvendis obligatus est per Regem populus, & per populum successor.

§. 12. *Non tamen in infinitum abit.*] Omne judicium in civilibus judicandi de contractibus Regum populo suprà denegavimus, nisi expressè partes suas fuerit stipulatus: quare hæc potestas obligandi populum in universa se effundit, quæ mutuis conventionibus inter Regem & populum non exempta sunt. Ideoque de exemplis tutorum aut negotiorum gestorum, quæ rem magis involvunt, quàm declarant, & in se ad quandam potestatem subditorum in imperantes tacitè colligunt, parum solliciti erimus.

Quod à Romanis Imperatoribus.] Neque hoc ex omni parte quadrat. Romani enim Imperatores Civitatibus suis vi legislatoriæ virtutis quaslibet leges potuere præscribere, quæ summas potestates non obligant, & quilibet vel mediocriter prudens cogitatione assequi potest, majus jus Principibus in rerum alienatione & contractibus esse, quàm quod Civitati municipali competit: Illius enim potestatem majestas suprà omne alterius arbitrium evehit. Hujus verò alienandi facultatem τὸ κύριον, cui municipium subest, pro lubitu & commodo Reip. ampliat vel restringit.

Leges non quævis subditos obligant.] Leges, quæ evidenter stultæ & absurdæ sunt, ideo non possunt obligare subditos, quòd non credantur à Rege sanæ mentis esse latæ. Neque enim quisquam, qui vera ratione utitur, adeò existimationis suæ prodigus esse & in subditorum contemptum descendere cupit, ut legum sanctitatem,

Digitized by Google

tem, quæ tamen civilem vivendi modum præscribere semper solent, evidenti absurditate aut stultitia coinquinet.

Quæ jubent, quod illicitum est.] Imò verò hæ leges non sunt, quia ob defectum imperii deficit in iis obligatio essentiale omnis legis requisitum.

Si probabilem habeant rationem.] Id verò omninò civibus credendum est, quibus nulla competit facultas examinandi actiones imperantes. Quare valebunt etiam contractus & promissa, etiamsi subditis de probabili illa agendi ratione non constiterit.

A se peti passus non est.] Titus Cæsar, ut fuit civilitatis studiosissimus, ita etiam in hoc à scriptoribus laudem promeruit. Quamvis nec incivile sit beneficiorum antecessorum à successoribus petere confirmationem, quod & in nostro Imperio solitum esse videmus, dum Imperator qui electione succedit in defuncti locum, omnibus Imperii Statibus & generaliter per Capitulationem, & ad petitionem cujusque privilegia authoritate imperiali confirmat.

Quam declarari.] Fortè ex capite damni dati, doli, aut quod metus causâ.

Alienatione pecuniæ populi.] Distinctio hîc adhibenda est, quam suprà dedimus, an alienata pecunia in extraneum vel civem fuerit. Ab illo non facilè revocabitur, licèt populo de rationabili donandi causa non constet, quia regium imperium adeò in ordinem non est cogendum, nec ejus operationes arbitrio populi subjiciendæ. In

cive revocatio facilior, ubi successor vi dominii eminentis in officiosas donationes retractat.

Quatenus id Regi permissum non est.] Grotius *in c. 6. l.* 2. ad quem se refert, nimis abjectè de potestate alienandi locutus est. Quem ibid. refutavimus, quare hæc verba secundùm ea, quæ ibi scripsimus, corrigenda erunt.

§. 13. *Ob utilitatem publicam cum compensatione.*] Non ex jure strictè sic dicto, sed æquitate.

Quæ vincula duntaxat legis demunt.] I. e. dum quis à lege, quod generaliter omnes subditos obligat, speciali legislatoris beneficio eximitur. Poterit enim pro beneplacito superioris ad observantiam legis iterum cogi, quoniam hæc exemptio nullum ipsi jus contulit, sed saltem suspendit efficaciam legis in omnes cives validæ. Neque facio cum Dn. Ziegl. qui arbitratur, *ficubi lex & vinculum legis tantùm obligat in commodum Principis, quia tum de suo liberalis est Princeps, si immunitatem concesserit, non magis revocari posse, quàm quando perfectè donat.* Immunitas enim & beneficium exemptionis omninò à vera donatione multum differunt. Hæc enim donatio verum jus tribuit, & est modus quidam, per quem dominia rerum acquirimus. Concessio verò immunitatis, v. gr. à tributis, non dat ei, qui eximitur, jus non exolvendi tributa, utcunque Princeps de suo hîc liberalis fuerit, sed negat saltem necessitatem conferendi cum cæteris subditis, quæ negatio necessitatis venit non ex jure quæsito ejus, qui exemptus est, sed relaxatione legis, cujus vim Princeps ex mero bene-

beneficio in hoc individuo ceſſare voluit, reſtituendam tamen, quandocunque ipſi diverſum à voluntate priori placuerit. Niſi fortè ex utraque parte ita conventum ſit, ut non ſolùm beneficium ex ceſſatione legis in exemptum, ſed & jus perpetuum conferatur. Quo caſu jus illud ſubdito non quandocunque libuerit, ſed ex civili ratione & neceſſitate auferendum eſt. Cæterùm cautio pro Principe erit, ne ingenio nimis facili ejusmodi vacationes à præſtationibus publicis, præcipuè verò tributaris privilegiis nociviſ indulgeat. Non absque ſingulari prudentia olim in Romano Imperio proviſum erat, ne promiſcuè jura immunitatum ſingulis paterent, *l. 8. C. de Exact. tribut. l. 6. §. 4. & l. ult. §. 29. ff. de Muner.* ſimulque crudeliſſimâ pœnâ in illos animadvertebatur, qui falsò ſibi fabricarent vacationem, *l. un. C. de imm. nem. conced.* quia enim nervus & veluti ſpiritus Reip. in intributionibus illis quodammodo conſiſtit, ſine quibus illa civilis machina nunquam rectè procedet: ideoque Reip. intereſt, ne pernitioſis privilegiis neceſſitas tributoriæ functionis impediatur. Subeſt tamen & aliud periculum, quando illi, quibus immunitas conceſſa eſt, beneficia ad jus trahunt, & quæ ex liberalitate ſemel obtinuere, per vim contra donatoris voluntatem retinere cupiunt. Neque iis quidem hoc difficile eſt cum publico auro, publicisque ſtipendiis, acies, quas contra Remp. educunt, conſcribant, & alant. Ut non immeritò quidam privilegia Zizaniam ſeditionum dixerit. Illa enim facilitas, illa indulgentia & incauta in magnates profuſio, prodit præcipuas

imperii vires, aperitque injuriis despectam dignitatem. Veluti ex oraculo Aristotelis verba accipio, κοινὴν φυλακὴν πάσης μοναρχίας εἶναι, τὸ μεθύσια ποιεῖν ἵνα μίγαν. Quomodo autem potentiorem aliquem feceris, quàm relinquendo id, quo sibi omnem potentiam comparare potest? quod si tamen aliquid in cladem publicam concessum sit, illud non uno velut ictu adimendum, sed sensim, & vix sentiente illo, de cujus corio luditur, decerpendum est. δεῖ γὰρ ἐν παραγωγῇ τοῦτο ὁρᾶν, inquit idem Philosophus, καὶ μὴ πᾶσαν ἀθρόον ἀφαιρεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν. Varii quidem prætextus intercedere possunt, præcipuus autem est bellica necessitas, quando Princeps fingit ob temporum gravitatem & commune emolumentum privilegiorum rationem haberi non posse. Deinde, quod semel invito extorsit, sub varia specie constanter retinet, donec injuriam conceptam oblivio extinxerit. Nec verendum est, tam pium propositum Deos hominesque non approbaturum. Quin ipsis illis, quibus cum sic agitur, non mediocriter consultum est, omnem peccandi & superbiendi occasionem præcisam esse, nec contumaciam graviora supplicia provocare posse, ucunque velit.

§. 14. *Non tenebuntur populi aut veri Reges.]* Quod tamdiu verum est, quamdiu Rex aut populus cum invasore de imperio & libertate certat. Ubi verò bello inferior sub jugum missus in potestatem victoris semel concessit, non minùs ex facto imperantis, quem sive necessitate, sive ultrò accepit, obligabitur, quàm quilibet alii subditi, qui legitimis successionis aut electionis modis

modis Principē habent. *At quam primum*, inquit Dn. Ziegl. h. *consenserit populus sive verbis sive factis, quod post invasionem contingere plerunq; solet, teneri populum verius esse. Et agnoscere ipsum Grotium, c. 4. thes. 14. imperia vi primùm parta posse ex voluntate tacita jus firmum accipere, & voluntatem aut ex initio constituti imperii aut ex postfacto esse posse talem, ut jus det, quod imposterum à voluntate non pendeat.*

CAPUT XV.

DE FOEDERIBUS AC SPONSIONIBUS.

§. 1.

PRo licito haberetur.] Rectè tamen animadvertit Dn. Ziegl. istas nihilominus actiones à principiis ingenitis declinantes etiam in gentibus efferatissimis sollicitare conscientias, & occulto judicio prodere actus injustitiam. Attamen ferox indoles longo malorum usu & patriis moribus indurata supprimit congenitam humanitatem, & naturalem exorientis rectæ rationis formulam assidua peccandi consuetudine in ipsis incunabulis extinguit. Eleganter Seneca, *dic*, inquit, *cuilibet ex istis, qui ex rapto vivunt, an ad illa, quæ latrociniis & furtis consequuntur, malint ratione bona pervenire. Optabit ille, cui grassari & transeuntes percutere quæstus, potius ea invenire, quàm eripere. Neminem reperies, qui non nequitiæ præmiis sine nequitia frui malit. Maximum hoc habemus naturæ me-*

ritum, quod virtus in omnium animos lumen suum præmittat. Etiam qui non sequuntur illam, vident.

Illa apud Homerum.] Odyss. γ. his verb.

Ω ξεῖνοι, τίνες ἐστὲ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;
Ἦ τί κ' ᾠρῆξιν. ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε;
Οἷά τε λῃστῆρες ὑπεὶρ ἅλα τοὶ γ' ἀλάωνται,
Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλεξητῆσιν φέροντες.

§. 7. *Ne cui Carthaginenses bellum facerent, injussu populi Romani.*] Circa hunc fœderis Carthaginensium cum Romanis articulum, ne Carthaginenses cui bellum injussu populi Romani facerent, utilissima & planè civilis quæstio oritur, an hoc pactum Carthaginensibus præcipuum summæ potestatis jus, sc. belli gerendi ita ademerit, ut in Civitate sua extinctum ad se penitus Romani pertraxerint? Pro affirmativa stare videtur Appianus, quem hîc allegat Grotius, quando dicit, Ab illo tempore Carthaginenses paruisse Romanis. ὑπήκοον, inquit, quod vocabulum in argumento civili ferè ubique de subditis prædicari solet, quemadmodum & subditi Græcis ὑπήκοοι dicuntur. Quin & ratio suadet, meum ampliùs non esse, de quo ad arbitrium alterius teneor disponere. Est enim meum, quod mihi præ omnibus aliis prælationem in usu quandam moralem dat, in qua prælatione vis omnis dominii, sive rei, quæ propria est, consistit. Quare cùm Carthaginenses bellum injussu Romanorum gerere non potuerint, dicendum videtur, illos jus belli gerendi non habuisse. Et si quando populus Romanus imploratus permiserit, in eo ipso actu magis alieni juris executores

&

& miniſtros fuiſſe, quàm proprii imperii dominos, aut liberæ actionis authores. Verùm his non obſtantibus concludimus pro negativa. Primò enim Carthaginenſes Romanorum ſubditos non eſſe factos ipſa fœderis formula ſatis evincit, in cujus principio de libertate Carthaginenſium ſufficienter cautum erat. *Conditiones pacis dictæ*, inquit Livius, (*a*) *ut liberi legibus ſuis viverent.* Quem itaque liberum legibus ſuis vivere permitto, qua ratione eundem poſſum habere ſubditum? Ac licèt Appiani vocabulum, ὑπήκοον, ſenſum eum importet, quem ſuprà diximus: hîc tamen & mitiori interpretatione juvari poteſt. Non enim ſimpliciter Appianus dicit ὑπήκοον, ſed cum adjectione vocabuli ἐκποδὼν, quod Grotius hîc apprimè notanter reddidit, ut eſt feliciſſimus græca in latium transferendo, *ex fœdere morem gerebant.* Jam verò qui ex fœdere morē gerit, continuò ſubditus non fit, imprimis ubi in eadem fœdere Resp. ipſi & libertas ſalva manſit. Sed ſolùm agit id, ad quod ipſum non imperium ſuperioris, ſed conventio ſua obligavit. Imò neque belli gerendi poteſtas è Rep. Carthaginenſium ſublata penitus & ad Romanos translata fuit, quia ipſis non interdictum, ne omninò bellū gererent, ſed ne injuſſu populi Romani. Res itaq; manſit, modus habendi mutatus eſt. Quemadmodum enim Princeps, qui civibus ſtipulantibus promittit, nolle ſe absque eorum conſenſu leges, bellum vel pacem facere, tributa aut portoria indicere, &c. poteſtatem hæc agendi non transfert, aut ſubditis communicat, ſed apud ſe reti-

(*a*) Lib. 30. Hiſtor. c. 37.

retinet, licèt modus habendi alius & ſtrictior ſit; Ita quoque Resp. libera P exercitio particulæ cujusdam ſummæ quoad modum habendi ſe obligans, non planè amittit, ſed vi pacti ſui tene cipis, cum quo inita conventio, v. gr. co vel aliud quid, de quo invicem pacti ſu impetrare. Licèt fatear, multum de a te & ſplendore ejus Reip. detrahi, qua paſſa eſt tam ignobiles leges. Improp & nimis rigidè Grotius loquitur, qua fœdera cum imminutione imperii e Non enim imperium imminuunt, ſed habendi liberiorem, qui priùs ab alte trio non pendebat.

§. 10. *Quibus hi, qui à religion ſunt, in cauſa juſta ſublevantur.]* Si c Chriſtianus Princeps aliena habendi cup transverſum abreptus contra naturalia um jura, paganam gentem, quæ ſuis finit te vivens Chriſtianos nullis injuriis lacel adoritur: in hunc etiam Chriſtianis gen re juſtum eſſe bellum ad coërcendos imp minis ſpiritus dicendum erit. Jus enim g quod quieti omnium ſtudet, & audaciæ minatoris tam ſanctæ compaginis comm xilio reprimendam jubet, inter Chriſt gentiles nullum diſcrimen novit. Quin ſtianorum Principum admodùm intere nam hanc graſſandi licentiam in ordine re, ne gentiles hac enormi impietate in lum conjecti eò magis fidem Chriſtiana ſentur, & parem ſibi armis in nos utend

Digitized by Google

tem, ad quam aliàs naturâ ſuâ & inveterato erga nos odio inclinatiſſimi ſunt, ex capite, quod quisque juris in alium ſtatuerit, ut ipſe eodem utatur, non extra omnem rationem aut adeò injuſtè ſibi arrogent. Bene tamen illud obſervandum eſt, injuſtitiam armorum ex parte Chriſtianorum debere eſſe indubitatam, & populo gentili non eſſe moris, nulla data occaſione nos vi aut inſidiis impetere. Quodſi enim ille vel juſtas belli cauſas haberet, vel hic latronum more, ut ferè ſemper fieri ſolet, nos nullis de cauſis, ubi modò ipſi bonum & utile viſum, aſſiliret, ita ut nec fœderum nec juſtitiæ ullam habere curam certum ſit, quando tempus vel occaſio in nos victoriam monſtrare videntur, tunc ſanè non modò Chriſtiani Principis in effrenos homines vindicta laudanda, ſed & omnibus modis juvanda eſt. Quemadmodum profectò infenſiſſima Chriſtiano nomini gens Turca adeò erga nos naturali ferè odio & perfidia ſe habet, ut nobiscum pro ſuo commodo vel pacem habeat, vel fracto fœdere bellum gerat. Nos verò adeò deſides & à majorum virtute degeneres ſumus, ut vix ampliùs hoſti tam crudeli, neque tamen adeò ſtrenuo faciem obvertere audeamus, ingens etiam lucrum putantes, ſi improviſa irruptione uno vel altero fortalitio propugnaculi noſtræ Germaniæ Hungarici regni expugnato nobis iterum pacem offerat, rumpendam continuò, quàm primùm fatalis noſtra ſecuritas ipſi aliam dilatandi imperii viam monſtraverit: inter pocula interim & in gynæceo non niſi ſanguinem, (quem vix noſtrum ſemel aut iterum in ſectione venæ videre poſſumus,) vulne-

vulnera & cædes narraturi. Jam enim
retro seculis ita nobiscum egere Turcæ,
bitrium suum vel bellum fecerint, ve
Quando enim nos dimisso milite imbel
imparatos vident; Imperatorem conti
riuntur in Hungaria. Qui, cùm solus t
bus, quas plerunque ex omni orbis par
trahunt, impar sit, ad auxilia Germani
rum Principum Christianorum refugiu
Donec itaque indicuntur comitia, del
de quantitate subsidiarii exercitus, cor
tur milites, & in unum coguntur corpu
nium est. Quo longissimo spatio hostis
res suas agit: expugnatisque munitissi
busdam locis, ubi Christianos in unum
nimadvertit, expleta ambitione de pace
nem injicit, quam nos adeò cupidè app
mus, ut vel cum ingenti dedecore, & de
ne omnium, quæ ab hoste occupata su
mendam judicemus. Atque hoc mod
quidem nostro detrimento videmur r
Sallustium arguere velle, quod in bello J
no scribere ausus sit, *omne bellum sum*
cæterùm agerrimè desinere. Nec in eju
testate initium & finem esse. Incipe
cuivis ignavo licere, deponi, cùm
res velint. Quod si verò ille improbissi
terator vel credere posset, vel saltem al
cum damno suo edoceretur, scire nos no
vincere, sed & uti victoria, profectò fer
brevi esset abitura in fumum: & nos egr
de superiorum annorum turpi ignavia a
superaturi essemus. Ac, me Hercule

Digitized by Google

aliquis indignabundus posset, quorsum Germanorum illa omnibus seculis decantata virtus decoxerit? Majores enim nostri domestica fortitudine non Europam modò omnem, sed & Asiam & Affricam sibi subjecere; Nos verò Diis etiam gratias ingentes agimus, si quis nos finibus nostris tranquillè vivere patiatur. Et quorum patres colonias in Galliam, in Italiam, in Hispanniam, in Angliam, & omnem omnino orbem dimisere; Horum nunc degeneres filii vix patriam defendere etiam ab ignavis possunt. Sed convertet aliquando, quod spero, Deus misertus Germaniæ suæ nostras mentes, & quorum virtus jamdudum obdormivisse visa est, ex lethali lethargia excitata in patrium redibit florem solatio civibus, adminiculo amicis, & terrori hostibus.

§. 10. *Profanæ opes magnum &c.]* Hoc nomine Franciscus Galliæ Rex maximum Christiani orbis odium incurrit, quòd nulla suarum rerum tuendarum necessitate, sed sola aliena rapiendi ambitione ductus, contra Christianos cum Turcis flagitiosissimam iniit societatem, quâ abjurato veræ religionis hosti, non solùm ingens occasio facta est occupandi plurima, quæ nostri in Affrica & aliis locis adhuc tenebant; sed & Italiam, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, aliasque maritimas oras invadendi janua aperta, strenuè ubique cooperante Gallorum impietate, qui obliti mutui amoris, quem Salvator noster fidei consortibus invicem injunxit, perpetua nominis sui infamia in causa fuerunt, quòd tot Christianorum millia aut crudeliter occisa, aut, quod morte pejus, in miserabilem servitutem abducta legimus.

Hinc

Hinc cum magna indignatione superioris seculi vix annale tempus apud Historicos invenies, ubi non Gallorum classis cum Turcica conjunctio more prædonum mare infestum reddiderit, ex cursiones in terras mari proximas fecerit, & urbium vel oppugnatione vel expugnatione Christianos Principes terruerit, aut ingenti affecerit damno. Quin quod hæc detestanda conjunctio nec ipsis Gallis, imbelli adulandi consuetudine non planè occœcatis satis probari potuit, Thuanus *l. 3. Histor.* Hariadenum Solimanni jussu *infaustas* rebus Gallicis suppetias tulisse fatetur, & Belcarius nominat impium facinus. Sed & alii populi non melius judicium dedere. Prudentissimus Venetiarum Dux Heinrico III. ex Polonis reduci effectus inde manantes gravi exposuit oratione. *D' ou pensez vous, Sire*, ait, *que soient decoules tant de malheurs l' un sur l' autre en vostre royaume, & sur les personnes des Roys, vos predecesseurs, si ce n' est de cette alliance contraitée avec l' ennemy de Jesus Christ? Tant d' ames Chrestiennes trainées captives par le corsaire Barbarosse, appellé par le Roys vostre ayeul, & qui depuis ont este forcées renier leur baptesme, crient vengeance aux enfers contre les Autheurs de leur infortun. On peut se maintenir avec l' infidel, mais de faire une ligue offensive & deffensive, c' est declarer la guerre à Dieu, qui sçait a son tour pendre la vengeance, quoy que tardive, mais d' autent plus grieve.* i. e. *Unde putas, domine, tot tantaq; mala continua serie irrupisse in regnum tuum, & ipsos etiam Reges prædecessores tuos pressisse, nisi occasione fœde-*

fœderis illius facti cum inimico perpetuo Jesu Christi? Tot animæ Christianorum in captivitatem abductæ per piratam Barbarossam, appellatum à Rege, avo tuo, & deinceps coactæ ad abjurandum baptisma suum ex inferno diras imprecantur authoribus sui infortunii. Possumus res habere cum infidelibus. At verò cum eis facere fœdus offensivum & defensivum, hoc est bellum Deo facere, qui suo tempore optimè novit vindictam sumere, utcunque dilatam, hoc magis tamen gravem. Status Imperii Germanici Franciscum Regem propter hoc fœdus non minùs quàm ipsum Turcam pro communi Christianorum hoste habendum censuere, *in Rec. Imp. Spir. 1544.* §. So achten wir. Ipse Carolus V. *habere penes se*, dixit *Aramontii Gallici Legati commentarios Bizantii scriptos, & ad Regem per Costam centurionem quendam missos, qui societatis cum Turcis in Christiani nominis pernitiem initæ plenam fidem faciunt. Limn. in annot. ad art. II. Capit. Carol. V. verb.* aller Hülff ꝛc. hoc totum argumentum de fœdere cum infidelibus adversus Christianos faciendo examinat, & rectè concludit, obstare nihil morale prohibens; Ubi præter cautelas, quas hîc Grotius affert, & alias non inutiles dat. *Quod si infidelis*, inquit, *miles, ubi alia remedia expediendæ salutis non supersunt, in auxilium vocetur, ante omnia adhuc in Deum magis quàm in illum spes salutis collocari debet, ne eandem fortunam cum Asa incurrere voluerimus. Deinde in id incumbendum potiùs, ut auxilia illa hosti propriis interim negotium facessant, atque ita domum ejus*

vires revocent. Mavelim quoque, ut fidelis nullo contracto fœdere cum ejus conferibatur, vel advocetur, ut ita ip eidem præfecti à nostro potiùs nutu, Principis sui dependeant. (Sed hæc in a to, ubi de fœderibus agitur cum infide dis, locum habere non possunt.) *Velim, in campo nobis contra hostem serviat, civitate & locis munitis. Velim, ne sit fior, velim in castris distincto à Christi tentoria ponat &c.* Cæterùm ab ha Grotius & Limneus defendit, sententia tem deprehendo Reinkingium *de R. S. cl. 3. c. 3. n. 49. &c.* cùm enim in prio affirmativa multas rationes protulisset *Sententiam contrariam evidentioribu tionibus, & juris divini fundamentis, plis, ex quibus appareat, talia fœdera ximè displicuisse.* Et post authores alle tat etiam multa in Sacra Scriptura testi quæ tamen Grotius in §. 9. satis superqu dit, ut neutiquam nostra repetitione op cundam rationem pro negativa dat, qu & auxilia infidelium sunt periculosa. r periculum perversionis & seductionis; scandalum & offendicula in fide. 3. Pr tum invasionis. 4. Propter metum de Sed quis non videt, hæc eximiè non per quæstionem, quin obliquè impugnar vam. Quærimus, an liceat Christiano deli fœdus facere? Qui respondet, esse dera periculosissima, is respondet affir effectu, dat verò cautelam, ne quis se

ed by Google

prudenter immiſceat. Conſilium nunquam negavit quæſtionem, ſed verſatur circa factum, à quo jus eſt diverſum. Aliud enim eſt quærere, an talia fœdera ſint licita, nec ne? i. e. an aliquid contineant vitii? aliud, an conſultum ſit, hæc paciſci? illud eſt de jure quærere, hoc de conſilio, & utrobique diverſis reſponſionibus opus eſt; Qui negat quæſtionem, & non eſſe licita dicit, is defectum principii agentis & vitium in effectu durans commonſtrare debet, non pericula adducere, quæ probabiliter ſuboriri poſſunt, quia hæc non improbant fœdus tanquam illicitum moraliter, ſed diſſuadent propter cauſas externas, quæ per ſe rem non vitiant. Uno verbo, ut diximus, prior quæſtio eſt juris, hæc conſilii. Et malè facit, qui omiſſo jure, de quo quæritur, conſilium ſeu cautelam dat, reſpondet enim de alio, licèt connexo. Quod & hîc facit Reink. cum quo convenit, & eandem meretur correctionem, quod habet *Bocerus l. 1. de Bello & duello. c. 8.* diſtinguens, *inter infideles, de quorum virtute, fide & conſtantia in promiſſis certò conſtat, & quorum fides eſt dubia.* Ad facultatem enim agendi, i. e. contrahendi fœderis cum infideli nihil poteſt facere dubia aut perſpecta fides. Nam ſi licet, licet etiam cum eo, qui eſt dubiæ fidei. Sed cautela eſt, ne contrahendo fœdus cum eo, qui eſt fidei volubilis, decipiamur. Quæ cautio non in infideli ſaltem, ſed & Chriſtiano locum habere poteſt, & omninò ſemper in conſiderationem venire debet, ad juris autem deciſionem nihil facit. Tertium fundamentum deſumit Reinking. *ex S. Paul. 1. ad Corinth. 6. ratione ſumpta à*

minori ad majus. Si Paulus indecens & nefas esse putavit, Christianos homines propter lites & controversias civiles coram infideli judice litigare, & potiùs voluit tolerare injurias, quàm id committere, quanto magis nefas erit, exorta dissensione inter Christianos ad infidelium fœdera confugere, & auxilia adversùs fideles quærere. Non operosus ero, circa sensum hujus loci explicandum, quia hoc à Theologis ubique factum videmus, plerorumque tamen opinio illa est, non omninò & absolutè à Paulo Christianos prohiberi, ne coram judicibus infidelium litigent, sed comparatè, ut potiùs abjectissimis in Ecclesia negotium committant, quàm ut coram Magistratu infideli de bonis fortunæ disceptent. Quod si tamen adversarii mei malitia adeò in me exundaverit, ut neque Christianos arbitros admittere, neque ab injuriis, quibus me quotidie persequitur, desistere ullo modo voluerit, sic ut vel res meas vel famam nullo alio modo, quàm judiciorum ordine defendere possim, Paulum neutiquam prohibere adire Magistratum infidelem, præsertim quidem si ab alio in jus fueris vocatus, tunc sanè obsequii tui in superiores est, authoritatem publicâ prætensa pietate non contemnere, quam omnibus modis venerari etiam religio Christiana præcipit. Quòd verò Paulus Christianos non de rebus quibusvis voluit ad Magistratum infidelem ire, causa est, tum quòd nos deceat in omni litigiorum genere priùs compositionem amicabilem tentare, tum ne conversatione paganorum nobis & fratribus offendiculo simus: tum quia in Ecclesia parturiente Christianis

nis vix à seculari judice jus suum consequi licuit, ob ingens, quo passim premebantur, odium, & contemptum gentilium. Ut paucis dicam, non jubet Paulus Christianos omnia quæque amittere, quàm coram judice pagano litigare, si necessitas ita ferat, & spes sit sui juris consequendi. Sed vetat, ne continuò & levibus de causis non tentata priùs amicabili compositione, incitato, injurioso, atque virulento animo ad judicium gentile fratres nostros trahamus, quos vel benigna juris mei demonstratio e vel arbitrorum sententia morigeros habere possumus. Atq. e hic est simplicissimus hujus dicti Pauli sensus. Cujus commentationem Theologis relinquimus. Nos autem, ut ad Reink. redeamus, monemus, primò, etiamsi Paulus ad verbum se intelligi vellet, malè tamen ejus præceptum ad Principes usque extendi, quod privatis est datum. Privatus enim potest & tunicam & pallium amore pacis Christianæ violento actori dimittere, quia pallio & tunicæ ad nihil tenetur. Rex autem non æquè subditos, quibus & ad se tuendos & ad justitiam administrandam obligatus est. Deinde malè infertur à judicibus ad socios. Prohibet Paulus Christianos ire ad judices gentiles litigatum, at non prohibet iisdem uti sociis contra aliorum improbas molitiones. Judicem ut superiorem de jure dicundo imploramus; at fœderatum super auxilio. Jus in odium Christianorum potest à pagano Magistratu etiam ei dici, à cujus latere non stat; Auxilia autem feruntur ei, qui justitiam armis suis comitem habet. Quare cùm hæc adeò diversa sint, mirum non est, si ab uno ad

aliud extensio non datur, præcipuè in
to tam odioso libertati & justitiæ, quo
dum potiùs, quàm ampliandum est. Te
niam, ut vidimus, non adeò rigid9 præ
lini sensus est, nobiscum is potiùs cont
militabit, quàm ut quicquam pro eo p
re. Ad mentem igitur sancti Pauli dicin
cium Christiani Principis esse, cui ab al
imminet, ante omnia tentare viam,
res amicè possit componi. Quando
rius pervicacia ad bellum perveniendu
no est, & justitia insuper à tua parte st
feliciter legitima defensione, injecta su
conciliationis per remedia leniora me
provoca ad arbitrium boni viri. Ubi
lis armis jus persequi impietati decretu
autem hostilibus viribus impar aut i
existis, ad Christianorum Principum
confuge, à quibus, si & tuæ justitiæ cauſ
versarii iniquitatem omni juri adversan
venit, peroraveris, facilis spes est, impet
auxilia, vel saltem authoritatem eorum
positum, ut tandem hostis animo mitesc
piat. Si nemo est Christianorum Princi
se litigiis vicinorum immiscere vult, cùi
& gentium jura & mutuus amor afflic
ferre jubeat, jam ad gentiles tibi refug
rio, modò certissimè de justitia tua const
versarius nulla ratione ab armis & iniqu
dimoveri, & ad tuam amicitiam pertrah
rit, ipse verò solus tantis viribus sustine
nor sis, ita ut sub injusta violentia tibi
dum esset. Hoc necessitatis casu nequ

lus justæ causæ persecutionem à judiciis gentilium, neque quisquam sanæ mentis miserè oppressum ab auxilio qualicunque, modò honesto & bono, arcere vult aut potest. Quæso enim, cui magis culpa imputabitur, illi ne, qui gentilium armis se ab alterius defendit invasione, an, ut puto, ei, qui prava ambitione inebriatus omne jus fasque pedibus conculcat, & ad barbarorum olim Gallorum morem, sed ad hunc usque diem Gallis utique familiarem, jus in armis fert, & omnia fortium virorum esse existimat? Natura nos ad mutuum fecit adjutorium, ut potentiores ab injuriis aliorum imbecilles defenderent, & propterea etiam sapientibus inter omnes homines amicitia quædam & cognatio esse dicitur, quum itaque natura jubet mihi oppresso opem ferre, cur ego prohibear ab eadem accipere auxilium? Quarta ratio Reink. est, fœdera hæc in publico Viennensi Concilio damnata & improbata esse. Respondeo, damnata sunt ibi non simpliciter, sed quoad abusum, sicut & nos damnavimus. Neque enim potuit Concilium Viennense legitimum defensionis modum, qui & suo modo hîc fundatur, penitus è medio tollere. Ut taceam, quum jam Ecclesia Christiana dilatata esset, & pleraque in Europa Imperia Salvatori nostro nomẽ dedissent, ex singulari quodam religionis Zelo censuisse patres, non ampliùs opus fore auxiliis gentilium uti, cùm per Dei gratiam Christiani Principes ipsi jam per se improborum violentiæ sufficiant, & unus alterum fraterno amore prosequi, ac in discrimine constitutum omnibus viribus juvare teneatur. *Quintò*, pergit, *per talia fœdera ob-*

ſcurari laudem & gloriam Dei; Victor
à ſolo Deo ſperandam & petendam.
victoriam neq; à vero Deo petere, neq;
idolis acceptam ferre, adeoq; gloriam
ſoli Deo debitam transferri ad idola.

ſodes, ſequela eſt, victoria à ſolo Deo
ergo cum infidelibus non poſſunt fie
Eadem enim opera concluderem, nec
um opem me implorare, neque exerci
ſcribere, neque fortalitia munire, ne
actiones bellicas exercere poſſe, ſed v
eſſe à ſolo Deo ſperandam & expectan
nec ille hoſtes meos vel igne cœlitus mi
delapſo, vel aquarum inundatione, v
trabili fulguris efficacia, vel alio mortis
tæ genere perimat. Victoria eſt à ſolo
randa, ſed nec nos nobis deeſſe deben
quos tanquam ſua inſtrumenta plerunq
operatur, & nobis in adjutorium venit
nùs tamen ipſe feciſſe videtur, quod per
cit. At infideles victoriæ laudem neq
Deo petunt, neque eidem, ſed ſuis ido
ptam ferunt. Verum quid hoc ad me.
enim, ſi ego victoriam, quam conſecut
ſoli Deo acceptam feram, quicquid au
mei gentiles ſentiant. Et quid ſi quis Chr
tum Principum adeò non ſit Chriſtianus
ctoriam ſuis viribus, non Deo adſcribat
dem uti non poſſum? quid ſi milites ipſi,
Chriſtiani, qui, ut nunc tempora noſtra
exundantiſſima omnium vitiorum collu
litiam agunt, victoriam non Deo, ſed ſib
cent, an eosdem commilitones non ha

Digitized by Google

Deus non rarò malis hominibus ad punienda aliorum delicta uti ſolet, cur id nobis non licebit? modò nos in pietate maneamus, & aliorum enormem vitam animo non læto, ſed triſti, atque ut Chriſtianum decet, feramus, omninò illam correcturi, ſi in noſtra poteſtate eſſet, Sexto objicit, *quòd bella non minùs pie quàm fortiter gerenda & ſuſcipienda ſint. Piè autem cum infidelium auxilio adverſus fideles bellum geri nō poſſit.* Sed hoc eſt jam in quęſtione paulò antè à nobis ſufficienter refutatum. Eſt enim geſtio belli actus quidā executionis juſtitiæ, quam juſtitiam tam per probum quàm improbum hominem exequi poſſum. Quoniam juſtitiæ nihil intereſt, quibus inſtrumentis, modò ex ordine executio fiat, imprimis hoc noſtro neceſſitatis caſu, ubi defectus proborum ſupponitur *Conf. omn. Grot. l. 2. c. 26. theſ. 5.* expreſsè & rectè quidem exemplo ipſius Dei ſtatuentem, poſſe Regem voluntate militum non tantùm bona, ſed & mala uti. Pietati enim & jùſtitiæ & omni moralitati convenientius eſt, ut innocens Chriſtianus infidelium juſto patrocinio erigatur, quàm ut à Chriſtiano, (qui nomine quidem talis eſt, revera autem & prædo, & carnifex, & lupus & neſcio quid non) fratre ſuo injuſtis armis ob virium imbecillitatem pereat. Et ſine dubio actus ille, quo gentilis inſontem tuetur, Deo magis eſt acceptus, quàm quo Chriſtianus Princeps alium ſuæ religionis ex mera imperandi ambitione & ignobili violentia opprimit. Quod ſubdit, *bellum præcedere debere preces ardentes erga Deum*, tanti non eſt, ut propterea ſubſidio, quod juſtè accipere poſſumus, debea-

mus carere. Oret Christianus Prince
tnm in se est, pro felici successu Deum
tores verò, quos uno ictu ad verum D
vertere nequit, suis ritibus relinqua
equidem Deus offenditur, sed non
Christiano militant, sed quia per se e
religione & cultu idolorum scatent. N
gentiles interea vel ad Deum conversi
vel illis abstinuissent ritibus, si mihi n
sent in auxilium. In principio omnis
in adjutorium invocandus est, quâ eade
là inferrem, omne commercium cum
interdictum Christianis esse: quod s
concesserimus, qua tandem ratione ve
Christiani, in Ecclesia primitiva, tanto
cum infidelibus vivere potuere? aut q
illi, quibus familiaritas nobiscum nulla
test, ad veram religionem convertentur
verò, ut omni dubio nostram sententiam
est negotium, in quo magis conveniat
successu Deum implorare, quàm actus
hendi mutuam illam & individuam vitæ
tudinem maris & fœminæ, i. e. matrim
Et ex sacris literis & pro suggestu orali a
tione quotidie docemur, hoc præcipuè o
implorationè divini Numinis ex voto in
que posse neque debere; Attamen & Ap
adhuc saniores Theologi matrimonium
cum infideli contractum nullum non pr
ant, sine dubio irritandum, si cum infideli
adorationem falsis Diis exhibitâ nullus C
norum actum aliquem rectè exercere pos
de, quod ipse Reink. concedit, *n.* 12. po

lem infideli rectè militare: At bone Doctor, qua ratione fidelis infideli salvâ conscientiâ militare potest, si victoria à solo Deo speranda est, quam infidelis idolis suis acceptam fert? Si bella non minùs piè quàm fortiter gerenda & suscipienda? Si bellum præcedere debent preces ardentes erga Deum? quæ omnia à gentilibus non ritè expediuntur. Quod si non obstant hæ rationes, quò minùs Christianus possit rectè militare infideli: cur impedient auxilia infideliũ in exercitu Christianorum? cùm hic infideles non magis quàm ibi victoriam idolis suis acceptam ferant, aut ad suos falsos Deos preces fundant nec magis injustè bella suscipiantur. Ex quibus nunc satis patere arbitror, quàm specioso pietatis involucro sæpiùs propugnatores sententiæ alicujus imbelles argumentorum ineptias tegere soleant. Quid enim apparenter verius esse potest, quàm dicere, victoriam esse à solo Deo sperandam & petendam, bella non magis piè quàm fortiter suscipienda, bellum præcedere debere preces ardentes erga Deum, hoc divinis edoceri oraculis, & Imperii Recessibus? Quis hæc omnia non verissima noverit, ut primo intuitu vix dubitare de falsa sequela audeat? Quàm primùm verò ad consequentiam accuratiùs attenderit, deprehendet inanem verborum sonum, & verissimam locutionem ad quæstionem præposterè applicatam. Septimum obstaculum putat esse Reink. *quòd fœdera jurisjurandi religione vetustissimo more & usu firmanda sint. Si verò fidelis ab infideli exigat juramentum, hunc non per verum, sed fictitios Deos juraturum, quod neq; sine impietate exigi*

exigi neq; recipi, multò minùs fiducia in id poni poteſt. Sed iam planè nugari incipit. Si propter juramentum fœdus cum infideli facere nequeo, ſequitur, quòd nec pacem poſſim, quia & hæc ſemper conſuevit firmari juramento. Et hac ratione perpetuum bellum habebimus. Jurat gentilis per ſuos Deos, quod juramentum ipſum æquè adſtringit, ac ſi in verum Dei nomé juraſſet, & fallentes verus Deus punit, quia perfidiam in ſui contumeliam interpretatur, *ut ad c. 13. h. l. 2.* explicavimus, ubi & illud dubium reſolutum invenies, quatenus tale juramentum à Chriſtiano ſalvâ conſcientiâ accipi poſſit: nolo itaque iteratione lectori eſſe moleſtus. Cæterùm omnes rationes, quæ modò ſpeciem aliquam habere videntur, hîc in cumulum Reink. conjecit, ut ſaltem colorem ſententiæ faceret, quam ardore religionis & odio in gentiles defendendam ſuſcepit. Sed nihil eſt in contraria opinione Chriſtiano indignum, propter quod veritatem deſtituere debeamus. Ultimo loco affert exemplum Electoris Saxoniæ, qui in fœdus Smalcaldicum Helveticos ideo noluit admittere, quia ob diſſenſionem de ſacra cœna triſtem verebatur exitum. Verùm hujus Electoris conſcientiam rectè Limneus *in ſupr. alleg. loc.* nimis tenellam vocat; Quid enim ad ſocietates & auxilia, ſi quis in uno aut altero articulo fidei, (*vid. Clariſſ. Dn. Textor, de Rat. Stat. c. 21.*) diſſentiat? Fortaſsè Elector Saxoniæ hac Helvetiorum rejectione ſuam cauſam egit, & intentionem fœderis Smalcaldici, quàm Proteſtantes prætendebant, tanto religionis

Digitized by Google

nis Zelo probare voluit. Dicebant illi, agi hac contra Cæsarem confœderatione non de bonis fortunæ & regionibus, sed conscientiarum & veræ religionis libertate. Hanc se omnibus modis defendendam suscepisse. Imperator verò rebellionem & crimen majestatis prætendebat. Quod si itaque Protestantes Helvetios, qui tum temporis credebantur dissentire de religione, in fœdus accepissent, videri potuissent corrupisse intentionem suam, & dedissent adversariis oportunam calumniandi occasionem. Nam quî potuissent illi de religionis libertate certare, qui hæreticos, ut putabant, in societatem admitterent? Maluit igitur Joh. Elector vel cum damno rejicere Helvetios, quàm cum invidia suscipere, licèt bene sciret, quanti sit ipsorum conjunctio propter vires & potentiam, *ut ait Sleidan. l. 5.* Rejectis itaque Reinkingii rationibus, quibus negativam tueri voluit, sustineamus eas, quas pro affirmativa attulit, contra illius impugnationem. Idque eò libentiùs, quoniam quædam ibi reperiuntur, quæ ad nostram sententiam non parum faciunt, & loco supplementi probatorii esse possunt eorũ, quæ Grotius pro his fœderibus attulit. Et prima quidem, secunda & tertia jure naturali & legitimo defensionis inculpatæ modo fundantur, dum cuique necessitatis casu corpus suum & salutem defendere licitum est. Respondet Reink. *defensionem omni jure esse permissam, si est legitima. Legitimam autem fieri legitimis mediis, qualis hæc non est. Utpote quæ fiat mediis lege divina morali prohibitis.* At hoc jam est in quæstione. Legitimam nos asseruimus cum Grotio,

Grotio, idque certissimo quidem fundamento, quòd nullo jure sit prohibita. Neque faciunt textus allegati ex sacris Bibliis, ad quæ sufficienter respondet Grotius, ut jam indicavimus. Placet insuper Reink. sibi alio respondendi modo, *jure nimirum naturali primævo inspecto istam societatem licitam fuisse, postea verò crescente malitia hominum Deos fideles suos separasse ab infidelium amicitiis & fœderibus.* Sed qualis est ista separatio, quando & quomodo facta? Distinctionem esse inter fideles & infideles nemo negare potest, sed neque etiam probare, esse talem, quæ quidem nostræ conjunctioni noceat. Omnis amicitia cum infidelibus non est sublata, quî enim aliàs possent ad fidem converti, si eos à sodalitio nostro intempestiva morositate arceremus? Aut quî potuere primæ Ecclesiæ Christiani inter tot gentes commixti vivere, si quidem illa separatio à Deo facta & jussa est? Sine dubio enim jam in veteri Testamento ex mente Reink. obtinuit, quoniam eæ probandæ textus inde adducuntur. At vixisse cum gentilibus Christianos primos, non solùm amicè, sed, quod magis est, in matrimonio, nec hoc improbasse vel Deum vel Apostolos, imò adhuc inter Mahometanos in Oriente innumeros Christianos vivere, agere, contrahere & conversari sine peccato, ubique liquet. Quare separatio ista Reinkingii fictitia, cerebrosa & ens rationis est. In cultu & religione separatio quædam necessaria erat, eaque facta ab initio statim, non demum crescente malitia hominum, in civili conversatione neutiquam. Utut igitur sibi placeat Author hac sua inventa responsione, nihil pro-

Digitized by Google

profectò ingenii habet. Equidem verum est, necessitatem non excusare actum, qui per se & moraliter est illicitus, at talem esse fœdus cum pagano initum, negamus, & contrarium satis Grotius ex sacro Codice probavit. Nos verò refutavimus rationes Reink. quare alias afferat necesse est, aut cedat opinione sua, quique cum ipso faciunt. Quarta ratio pro affirmativa hæc est. Si hostes dolo & insidiis fallere rectè possumus, quare non fœdere cum infidelibus? Fateor, hæc nihil directò probare, neque tamen rectè refutantur, quando dicitur, licere hostes fallere dolo bono, non malo. Nam hic est, ut ita impropriè loquar, dolus bonus. Nihil hoc fœdus habet moralis vitii. E. licet hostes eo fallere. Quintum argumentum à contrariis, ut & sextum de bono fine, & septimum ab effectu persuasoria magis sunt, quàm demonstrativa, quare opus non est, ut in illis defendendis diu moremur, modò monuerimus, media illa, quæ ad finem bonum ducunt, non esse illicita. Ad octavum, quod desumitur ab exemplo Dei, qui in ulciscendis Judæorum peccatis gentibus sæpè usus est, respondet, actiones divinas à nobis non semper in imitamentum trahi oportere, quia sæpiùs Deus quædam jure absolutæ potestatis facit, quæ nobis facere minimè licet. Quod utut verissimum sit, & à nobis suprà etiam demonstratum; nihil tamen vetat, in iis actionibus, de quarum rectitudine jam nobis per alias rationes constat, exemplum Dei sequi, qui nihil, quod injustum est, agere potest. Ea, in quibus nobis voluntas & intentio divina latent, in nostris verò oculis exter-

externè vitiosa videntur, ita ut prop
agentem actioni concilietur justitia, n
nit imitari. Ubi verò nihil vitii morali
sed actionis rectitudo se nobis per fi
commendat rationes, in eo nos confir
gis potest, si & à Deo tale quid factum a
tamus. Quod subjicit, non esse veren
Deus contagione impiorum invitietur
cautelis quibusdam in actionibus hum
ri potest. Et præterea propter abusum
tollendus est. Argumentum nonum
à piorum exemplo. Quod & Grotius
ut non opus sit repetitione. Respond
non exemplis, sed legibus esse judicand
ego & judicari exemplis posse de actio
dam bonitate, si illa exempla infallibi
approbaverit. Cùm enim exempla no
ca actiones humanas versentur, qua
bonas esse si certò constiterit, exempli
licet. Quomodo autem certiùs de ac
nitate constare poterit, quàm si sacræ li
ipsissima veritate inspirante consarc
ctum approbent, tunc enim tutissimè
judicari non nisi fatuus negarit. Non
judicandum exemplis, siquidem dubia
certa, quoniam levissima circumstanti
qualitatem mutate potest. Positis aut
bus requisitis, quæ quondam actionem
bant, ponitur & necessaria eadem qu
certissimum per exempla judicium. *
sent. & interloc. omn. jud. exemplis v
care, sed quomodo & ubi? In jure ni
cundo, ubi leges civiles perpetuam

lites præscripsere formulam. Has leges sequi interest Reip. & periculosum sanè ad præjudicia delabi, quæ ex circumstantiis etiam minimis alia esse possunt. Et insuper authoritas legum requirit, ne his contemptis ad exempla, quæ, ut dixi, ob casuum varietatem incerta & periculosa sunt, abeatur. Vetantur itaque judices consultationes & sententias eminentissimorum Præfectorum sequi. Sed quas? *quas*, ait Justinianus, *non ritè judicatas esse putaverint*. Quid mirum igitur, si exemplis, quæ non rectè & ex præscripto legum se habent, vetamur judicare, cùm leges multò certiorem viam præscribant, quas ab omnibus religiosè observari ordo civilis postulat? Sed hi nunc JCtorum quorundam mores sunt, ut, si infelici acumine sententiam quandam, quæ primo intuitu generalis videtur, in certis tamen terminis loqui solet, in lege deprehenderint, illam jam sine examine & judicio cuivis argumento etiam diversissimo applicent, modò exteriorem quandam convenientiæ speciem habeat. Et quidem frequentissimi sunt hi in jurisprudentia errores, à quibus nisi quis sedulò caverit, in retia irresolubilia incidit, & contraria contrariis permiscere sæpissimè necesse habet. Cum sale igitur & judicio legendæ sunt illæ in jure regulæ, imprimis verò leges, unde desumptæ sunt, rectè inspiciendæ, & sæpissimè deprehendes, generalem locutionem casui speciali applicatam esse, & aliis diversis haudquaquam convenire, ut ut regula universalis sit. Et tamen leguleji illi sibi admodùm de suis regulis gratulantur, ut in eorum scriptis, præcipuè quæ judicialiter agitan-

tur, vix quicquam præter illas reperire
bique ferè tamen ita applicatas, ut reć
cienti causa magis prodita quàm defe
reat. Ut saltem nostro inhæreamus p
quàm falsa sit hæc regula generaliter
vel moralis doctrina & politica monit
bus hæc nostra cura, ostendunt. Quor
quæso à sapientibus viris tam assiduè la
storias legendi usus, si exemplis non ju
Imò verò omnes prudentes in eo cor
verè perfectum civilem virum, qui in R
matice versari, & feliciter ex civilis p
præceptis actiones suas dirigere vult,
tiæ uberem rerum variarum notitiam
re debere; quæ notitia unde hauriri ali
quàm ex historiis & exemplis? Illa e
quæ nobis, velut in theatro, quid bon
le, quid noxium item & triste, per vari
infinita rerum discrimina ostendunt.
quisque est, qui solus sibi ipsi sapere pot
tequam experientia te plenè informav
esse desiisti. At haud paulò plures a
ventis docentur. Evolvendo itaque
temporum monumenta, quod virtuos
laudabile repereris, imitamento sit. Q
me & invidiosum, fugiendum est: & si
ipsis rerum actibus versaris, qua felici
tot difficultatibus, variisque omniun
nexibus expedies; quàm si assidua hi
lectione edocearis, à viris sapientibus
fortuna hoc tentatum prosperum hab
tum. Historia enim lux illa veritatis &
vitæ est, fidelis quædam φυλακὴ, ut ai

Historicus, (a) τῆς τῶν ἀξιολόγων ἀρετῆς, μάρτυς τῆς τῶν φαύλων κακίας. ὠφελίτις τῷ κοινῷ τῶν ἀνθρώπων γένους. In qua licet ὥσπερ ἐν ἰσθμῷ κοσμίων καὶ ἀκοσμήτων ἤθους τὰς τῶν ἄλλων ἀρετὰς τὸν βίον. (b) Et ubi *hoc præcipuè salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita intueri, ut inde tibi tuæq; Reip. quod imitere capias, inde fœdum incepto, fœdum exitu, quod vites.* (c) Atque hoc imprimis Machiavellus (d) Principi suo suadet, quando dicit. *Quanto al exercitio della mente, deve il Principe leggere le historie, & in quelle considerare le attioni de gli huomini excellenti, vedere come si sono gubernati nelle guerre, esaminare le cagioni della vittoria & perdita loro, per poter queste fuggire, quelle imitare. i. e. Quod exercitium mentis attinet, debet Princeps legere historias, & in iis considerare actiones hominum excellentissimorum, quomodo res gesserint in bello, qua causa victoria aut cladis: ut possit hanc fugere, illam imitari. & c. eodem tr. del Princip. Non si maravigli alcuno,* inquit, *se nel parlare de principati io adduro grandissimi essempli. Perche caminando li huomini quasi sempre per levie battute, da altri, & procedendo nelle attioni loro con le imitatione, ne si possendo le vie d'altri al tutto tenere, ne alla virtù di quelli, che tu imiti aggiugnere, debbe uno huomo prudente entrare sempre per vie battute da huomini grandi, & quelli, che sono stati excellentissimi, imitare, acciochè se la ver-*

(a) Diodor. Sic. 1. Biblioth.
(b) Plutarch. in Timol.
(c) Liv. l. 1. Histor.
(d) Del Princ. c. 13.

tu non arriva, almeno ne rende qua
& fare come li Arcieri prudenti, a qu
do il luogho, dove disegnano ferire, tr
no, & cognoscendo fino a quanto arri
de loro arco, pongono la mira assai pi
per aggiugnere con la lor' forza o fre
ta altezza, ma per potere con l' ajut
mira pervenire à disegno loro. i. e. N
tur, si in materia de Principatibus
potissima exempla. Cùm enim sempe
sime homines per viam aliis frequent
& agant, ut alios ante se egisse videru
tamen semper in via regia manere, a
tutem eorum, quos sequi volunt, possi
re; Sapientis viri est, via aliis hom
dum trita insistere, & imitari eos, q
sunt excellentissimi. Ut si virtus tua
pertingat, saltem inde spargat aliqu
Et facere, ut Sagittarii prudentes, q
eus, quem ferire tendunt, nimis long
plorato, quousq; arcus intenti virtus
possit, metam altiorem sumunt, non
tam altitudinem sagitta evolet, sed
ad locum, quem primò intendebant.
idem Politicus scripsit *in proœm. dis*
Liv. & dict. discurs. l. 1. c. 10. & 38.
20. & 27. l. 3. c. 5. & 27. Eodem mod
Achæorum Prætor Aristhenus in con
Macedonum Rex Philippus an Rom
habendi? inter alia & ad exempla prov
exemplorum, ait, *nobis aliena clades p*
quæramus, quemadmodum cæteris e
mus. (a) Isocrates etiam in Oration

(a) Liv. Histor. l. 32. c. 21.

αλία prudentiam in rebus agendis exemplis hauriri docet, quando Nicoclem jubet, θεωρεῖν τὰ γινόμενα καὶ τὰ συμπίπτοντα καὶ τοῖς ἰδιώταις, καὶ τοῖς τυράννοις. Ratione addita: ἐὰν γὰρ ἀφελληνυθῶσι μιμήσεις, ἄμεινον καὶ περὶ τῶν μελλόντων βουλεύσῃ. Sic pariter Nicopompus apud Barclajum meum in sua Argenide exempla majorum velut lydium quendam lapidem constituit, ad quem Principes formam regiminis probare, & exemplum ab ipsis exemplis capere debeant. *Quamdiu*, inquit, *pro ratione impetum habebimus, nec ex nostris parentúmve successibus metiemur consilia. Quare satius fuerat Regem in suos majores inspicere, & malo cavere ex eorum sive consiliis sive erroribus, quàm accepto vulnere in medicina laborare.* Nec malè Polybius rem tetigit, qui esse dixit, ἀληθινωτάτην παιδαίαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις ἐν τῆς ἱστορίας μάθησιν. Et Aristoteles historias utiles judicat πρὸς τὰς πολιτικὰς συμβουλάς. *i. e. ad publicas deliberationes.* Quod probè expendens Alexander Imperator ad quodlibet negotium, quod in deliberationem veniebat, literatos adhibebat, & maximè eos, qui historias norant: itentidem interrogans, quid ab aliis in simili casu consilii captum, qua ratione effectui datum, & quem eventum denique sortitum esset. Quam normam cùm assiduè tenuisset, ad finem usque vitæ cum æterna sui laude feliciter imperavit. I nunc, & cum JCtis mihi dic ex *l. 13. C. de Sent. & interloc. omn. jud.* non exemplis, sed legibus judicandum. Quæ deinde Reinkingius de auxilio Davidis disputat, quod Agidi Philistæorum Regi contra Israëlitas tulit,

non ex omni parte quadrant quæstioni. Quare nec tam operosa responsione opus erat. Non enim David pugnaturus contra Israëlitas in fœdus & societatem assumpsit Agidem Regem, sed ob continuam Saulis persecutionem extorris patria in tutelam Agidis se contulerat, qui deinde ad bellum, quod cum Saule habebat, Davidem ferè pro imperio vocaverat, non ut socium & æquali potestáte præditum, sed ut incolam & penè subditum. Cui imperio deinde David paruit, an verò pugnaturus fuerit contra fratres suos nec ne, textus sacer non dicit, nec nobis multum scire interest, quantum ad nostram quæstionem, quia, ut diximus, directò nihil facit, sed est exemplum in terminis diversis. Suprà ipse Reinkingius asserere non dubitavit, non idem esse judicium de eo, qui militat infideli, & qui infidelem recipit in militiæ societatem, *n. 70.* quare æquo animo patietur, ut idem in ipsum retorqueatur. Quod exemplum Assæ attinet, ad id respondet Grotius, & vitium singulare in illo fœdere ostendit, ut repetitio hîc ociosa sit. Decimum & ultimum argumentum est, *quia jus fœderum & belli paripassu ambulant; Jam verò propter justas & gravissimas causas Christianus Magistratus adversus alium Christianum bellum gerere potest, ergo & fœdus inire, cùm non minùs fœderibus quàm armis hostium conatus reprimatur.* Respondet Reink. plus esse in conclusione, quàm fuit in præmissis. Licet enim concedatur, posse adversus eos fœdus iniri, adversus quos bellum geri potest, non tamen inde sequi, ergo & cum infidelibus posse fœdus iniri. Verùm

hæc

hæc reſtrictio ſine ratione adjicitur, & conſequentia omninò bona eſt. Eſt enim bellum, ut antè diximus, nihil aliud quàm executio juſtitiæ contra contumaces. Quam executionem per quas perſonas faciam, juſtitiæ nihil refert, ſiquidem debito modo fiat. Et ſi poſſum fœdus inire contra eum, quem bello perſequi licet, poſſum etiam cum infideli ſocietatem habere, quia diverſitatis nulla ratio eſt, & fit fœdus non in alium finem, quàm ut juſtitia adminiſtretur, cujus executioni idonea quæruntur inſtrumenta. Sed non minùs ſunt idonea inſtrumenta pagani quàm Chriſtiani, nec magis immane eſt, Chriſtianum ſanguinem, qui nocens eſt, infidelium manu profundere, quàm fidelium. Imò hoc immanius eſſe videtur, imprimis propterea, quoniam & à parte innocenti quosdam in bello perire oportet, quos omninò magis optare debemus eſſe gentiles quàm Chriſtianos, ut ferè idem obtineat, quod alio loco Politici tradunt, ſi fieri poſſet, bonum Principem effecturum, ut auxiliariorum magis jactura quàm civium victoriam habeat. Atque hæc quidem longa ſerie contra Reinkingium nulla invidia, ſed ſolo veritatis amore commentati ſumus, quæ lector non in malam partem interpretaturus eſt, ſi æquus eſt.

Extra ſummam neceſſitatem.] Quæ neceſſitas Fridericum Regni Neapolitani Principem excuſare ab invidia poteſt, quòd contra Gallos Turcas in ſodalitium armorum advocaverit; Ab omnibus enim tunc deſtitutus, imò ab ipſo conſanguineo Hiſpanniarum Rege turpi circumventus fraude injuſtis Gallorum armis ad ſum-

mas indies redigebatur extremitates, neque in se & suo regno quicquam solidæ opis sperare poterat. Quare necessitate cogente ad alia potentiorum infidelium arma confugere debuit. Idem judicium de Venetianis esto, de quibus inquit Guicciardinus, habuisse in exercitu suo *una squadra di Turchi, che erano a soldi loro.* (a) Nam ad eos perdendos coivere illo tempore Romanorum Imperator, & Rex Franciæ, & Julius Pontifex, aliique Italiæ Principes. Antequam huic argumento manum extremam imponam, visum mihi fuit indicare, solitos etiam esse quandoque Christianos Principes contra alios inter se inire fœdus defensivum & offensivum, sed ab illo excipere non tam Christianos, quàm infideles. Exemplum habemus Venetiarum Remp. quæ superiori seculo cum Imperatore Carolo V. Ferdinando Austriæ Archiduce, & Francisco Duce Mediolani ad defensionem Regni Neapolitani contra omnes Christianos, qui illud armis invadunt, fœdus & societatem icit. Non verò & contra Turcas. *Perche i venetiani recusavano obligarvisi generalmente, per non irritare contra se l' armi di Turchi.* (b) Rerum enim, quæ possidebant in mari mediterraneo, ratio non ferebat, ut Turcas hostes haberent. Neque adeò improbanda est talis exceptio, quam salus Reip. quæ suprema lex est, exigit.

§. 13. *Ad injusta bella nullam esse obligationem.*] Omnia enim fœdera, quæ auxilium ad bellum spondent, hac tacita intelliguntur conditio-

(a) Lib. 9. Histor.
(b) Guicc. Histor. l. 15.

ditione, si bellum justum fuerit, etiamsi expressè non sit additum. Promissio enim de re illicita & turpi non obligat, unica autem in bello injustitia est id, quod illud in latrocinium mutat; Imò eandem ob rationem dicendum, licèt quis etiam in societatem injusti belli consenserit, non teneri tamen promissis stare, quia fidem suam obligare nemo potest, quando illam servasse peccatum est.

Causis utrinq; justis.] Quomodo fieri possit, ut bellum sit utrinque justum, explicat *Grotius inf. in l. 3. c. 20. thes. 27. & 28.*

§. 16. *Nullam in partem obligari.]* Directò sc. obligatur tamen indirectè & per obliquum, non quidem ad sponsionem observandam, quam administri sui sine ejus jussu spoponderunt, sed hactenus, ut teneatur jus reddere iis, quibus sponsores fidem suam obstrinxerant, in quantum quidem obligati sunt. Quemadmodum enim cuilibet extraneo, qui in subditum suum actionem quandam juris habet, justitiam administrare debet: ita quoque contra sponsores, qui fidem Principis temerè injussu suo, & ita nulliter, obstrinxere, stipulantibus judicium secundùm jus & æquum dabit. De quo igitur teneantur illi sponsores, nunc est quæstionis, quando constat, eum, qui imperium habet, non teneri ad faciendum id, quod facturum sponsores spoponderunt. Suprà *c. 11. §. ult. h. l. 2.* nos Grotius satis docuit, regulariter eum non obligari ad id, quod interest, qui factum alienum promisit, modò facere non omiserit, quod ex sua parte ad id factum obtinendum facere poterat. Hac tamen

cum limitatione, nisi verba aut negotii natura obligationem inducant strictiorem. Ad quam limitationem sine dubio noster etiam actus, de quo hîc quærimus, pertinet, quoniam non solùm sponsor promittit factum alienum, sc. sui domini, sed & simul aliquid ab altera parte accipiendo se ad faciendum vel dandum obligat, ita ut non liberetur, si omnem operam præstiterit, ut factum, quod promisit, tertius impleat, sed si non impleverit, stipulatori tenebitur quanti ejus interest, promissionem non fuisse factam; Quamvis autem maximè ejus intersit, rem in eum statum restitui, in quo erat ante sponsionem, quia tamen hoc semper in sponsoris potestate non est, & sic impossibilium nulla obligatio, morali necessitate itur ad id, quod facere potest, ut propterea existimem, præter deditionem corporis & bonorum sponsorem ultra obligari non posse. Princeps enim per sponsorem non obligatur; Ejus verò, quod interest, sæpiùs tanta est æstimatio, ut impossibilis sit præstatio ab iis, qui sponsionem fecerunt. Ut ex gr. in sponsione Caudina, ubi Samnitibus maximè interfuit, si pax secundùm sponsionem non fieret, rem in eum statum restitui, ut ante sponsionem erat, id quod & Samnitium Imperator & tribuni plebis maximè urgebant. Sed verò neque hoc arbitrii & potestatis Consulum erat, qui in exercitum, quem sua sponsione liberavere, tantum juris nō habuerunt, ut eum contra voluntatem R eip. ad sistendum se captivum in saltus illos caudinos cogere potuerint, neque etiam Resp. ad restituendum ullo modo obligabatur, quare nihil superfuit aliud,

quàm

quàm ut ſponſorum corporibus & bonis fidei ſatisfieret. *Samnitibus ſponſores nos ſumus*, inquit Poſthumius Conſul, *rei ſatis locupletes, in id, quod noſtrum eſt, in id, quod præſtare poſſumus.* Quin etiam, ſi quis rem examinare plenius vellet, neſcio an non ſponſores quoque neceſſitate dedendi corpora & bona & ita ab omni obligatione liberos rectè defenderet, eo fundamento, quo ſuprà cum Grotio *c. 13. theſ. 9.* abſolutiones à juramento ſuſtinuimus. Neque diverſitatis ratio eſt, quia promiſſiones juramento confirmatæ, multò magis quàm ſimplices ſervare convenit, à quibus tamen ſi liberatio certis caſibus eſt, quid vetat, quin & in noſtro caſu idem ſit dicendum. Scilicet, ut rem breviter repetam, voluntates & actiones civium ita ſunt in poteſtate & arbitrio eorum, qui jus ſummi imperii habent, ut prohibentibus illis nihil, quod teneat, poſſint agere. τὸ κύριον enim Civitatis facultatem agendi, quæ civibus competebat, ex poteſtatis plenitudine & efficaci majeſtatis indole ad ſe trahit, & ſubditos omni agendi jure deſtituit. Interdixiſſe autem illis agendi facultatem ſemper cenſetur, ſi qui actus in præjudicium & damnum Reip. vergunt, niſi vel ad id agendum habeant mandatum ſpeciale, vel res ita ſit comparata, ut aliis, quas agere juſſi ſunt, neceſſario nexu cohæreat. Ut veniamus ad Caudinam ſponſionem, ſpoponderunt Conſules, fœdus à populo Romano ictum iri cum Samnitibus, hoc quoniam neque poſſunt per ſe ſpondere Conſules, neque actus officio eorum connexus eſt, nam ad bellum gerendum, non faciendam pacem miſſi fuere, ſequitur, hæc ſpon-

tu non arriva, almeno ne rende qualche odore; & fare come li Arcieri prudenti, a quali parendo il luogho, dove disegnano ferire, troppo lontano, & cognoscendo fino a quanto arriva la virtu de loro arco, pongono la mira assai piu alto, non per aggiugnere con la lor' forza o freccia a tanta altezza, ma per potere con l' ajuto di si alta mira pervenire à dissegno loro. i. e. Nemo miretur, si in materia de Principatibus adducam potissima exempla. Cùm enim semper lubentissime homines per viam aliis frequentatam eant, & agant, ut alios ante se egisse viderunt: neque tamen semper in via regia manere, aut ad virtutem eorum, quos sequi volunt, possint ascendere; Sapientis viri est, via aliis hominibus dudum trita insistere, & imitari eos, qui omnium sunt excellentissimi. Ut si virtus tua eò ipsa non pertingat, saltem inde spargat aliquem odorem. Et facere, ut Sagittarii prudentes, qui, si eis locus, quem ferire tendunt, nimis longus sit, explorato, quousq; arcus intenti virtus penetrare possit, metam altiorem sumunt, non ut ad tantam altitudinem sagitta evolet, sed perveniat ad locum, quem primò intendebant. Conf. quæ idem Politicus scripsit *in proœm. discurs. supr. Liv. & dict. discurs. l. 1. c. 10. & 38. l. 2. c. 19, 20. & 27. l. 3. c. 5. & 27.* Eodem modo prudens Achæorum Prætor Aristhenus in consultatione, Macedonum Rex Philippus an Romani amici habendi? inter alia & ad exempla provocat, *satis exemplorum*, ait, *nobis aliena clades præbent, ne quæramus, quemadmodum cæteris exemplo simus.* (a) Isocrates etiam in Oratione πρὸς Νικο-

(a) Liv. Histor. l. 32. c. 21.

πόλιν

πλέα prudentiam in rebus agendis exemplis hauriri docet, quando Nicoclem jubet, θεωρεῖν τὰ γινόμενα καὶ τὰ συμπίπτοντα καὶ τοῖς ἰδιώταις, καὶ τοῖς τυράννοις. Ratione addita: ἐκ γὰρ τούτων μάλιστα μιμνήσῃ, ἃ μέλλων καὶ περὶ τῶν μελλόντων βουλεύσῃ. Sic pariter Nicopompus apud Barclajum meum in sua Argenide exempla majorum velut lydium quendam lapidem constituit, ad quem Principes formam regiminis probare, & exemplum ab ipsis exemplis capere debeant. *Quamdiu*, inquit, *pro ratione impetum habebimus, nec ex nostris parentúmve successibus metiemur consilia... Quare satius fuerat Regem in suos majores inspicere, & malo cavere ex eorum sive consiliis sive erroribus, quàm accepto vulnere in medicina laborare.* Nec malè Polybius rem tetigit, qui esse dixit, ἀληθινωτάτην παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν. Et Aristoteles historias utiles judicat πρὸς τὰς πολιτικὰς συμβουλάς. *i. e. ad publicas deliberationes.* Quod probè expendens Alexander Imperator ad quodlibet negotium, quod in deliberationem veniebat, literatos adhibebat, & maximè eos, qui historias norant: itentidem interrogans, quid ab aliis in simili casu consilii captum, qua ratione effectui datum, & quem eventum denique sortitum esset. Quam normam cùm assiduè tenuisset, ad finem usque vitæ cum æterna sui laude feliciter imperavit. I nunc, & cum JCtis mihi dic ex *l. 13. C. de Sent. & interloc. omn. jud.* non exemplis, sed legibus judicandum. Quæ deinde Reinkingius de auxilio Davidis disputat, quod Agidi Philistæorum Regi contra Israëlitas tulit,

non ex omni parte quadrant quæstioni. Quare nec tam operosa responsione opus erat. Non enim David pugnaturus contra Israëlitas in fœdus & societatem assumpsit Agidem Regem, sed ob continuam Saulis persecutionem extorris patria in tutelam Agidis se contulerat, qui deinde ad bellum, quod cum Saule habebat, Davidem ferè pro imperio vocaverat, non ut socium & æquali potestate præditum, sed ut incolam & penè subditum. Cui imperio deinde David paruit, an verò pugnaturus fuerit contra fratres suos nec ne, textus sacer non dicit, nec nobis multum scire interest, quantum ad nostram quæstionem, quia, ut diximus, directò nihil facit, sed est exemplum in terminis diversis. Suprà ipse Reinkingius asserere non dubitavit, non idem esse judicium de eo, qui militat infideli, & qui infidelem recipit in militiæ societatem, *n. 70.* quare æquo animo patietur, ut idem in ipsum retorqueatur. Quod exemplum Assæ attinet, ad id respondet Grotius, & vitium singulare in illo fœdere ostendit, ut repetitio hîc ociosa sit. Decimum & ultimum argumentum est, *quia jus fœderum & belli paripassu ambulant; Jam verò propter justas & gravissimas causas Christianus Magistratus adversus alium Christianum bellum gerere potest, ergo & fœdus inire, cùm non minùs fœderibus quàm armis hostium conatus reprimatur.* Respondet Reink. plus esse in conclusione, quàm fuit in præmissis. Licet enim concedatur, posse adversus eos fœdus iniri, adversus quos bellum geri potest, non tamen indè sequi, ergo & cum infidelibus posse fœdus iniri. Verùm

hæc

hæc restrictio sine ratione adjicitur, & consequentia omninò bona est. Est enim bellum, ut antè diximus, nihil aliud quàm executio justitiæ contra contumaces. Quam executionem per quas personas faciam, justitiæ nihil refert, siquidem debito modo fiat. Et si possum fœdus inire contra eum, quem bello persequi licet, possum etiam cum infideli societatem habere, quia diversitatis nulla ratio est, & fit fœdus non in allum finem, quàm ut justitia administretur, cujus executioni idonea quæruntur instrumenta. Sed non minùs sunt idonea instrumenta pagani quàm Christiani, nec magis immane est, Christianum sanguinem, qui nocens est, infidelium manu profundere, quàm fidelium. Imò hoc immanius esse videtur, imprimis propterea, quoniam & à parte innocenti quosdam in bello perire oportet, quos omninò magis optare debemus esse gentiles quàm Christianos, ut ferè idem obtineat, quod alio loco Politici tradunt, si fieri posset, bonum Principem effecturum, ut auxiliariorum magis jactura quàm civium victoriam habeat. Atque hæc quidem longa serie contra Reinkingium nulla invidia, sed solo veritatis amore commentati sumus, quæ lector non in malam partem interpretaturus est, si æquus est.

Extra summam necessitatem.] Quæ necessitas Fridericum Regni Neapolitani Principem excusare ab invidia potest, quòd contra Gallos Turcas in sodalitium armorum advocaverit; Ab omnibus enim tunc destitutus, imò ab ipso consanguineo Hispanniarum Rege turpi circumventus fraude injustis Gallorum armis ad sum-

mas indies redigebatur extremitates, neque in se & suo regno quicquam solidæ opis sperare poterat. Quare necessitate cogente ad alia potentiorum infidelium arma confugere debuit. Idem judicium de Venetianis esto, de quibus inquit Guicciardinus, habuisse in exercitu suo *una squadra di Turchi, che erano a soldi loro.* (a) Nam ad eos perdendos coivere illo tempore Romanorum Imperator, & Rex Franciæ, & Julius Pontifex, aliique Italiæ Principes. Antequam huic argumento manum extremam imponam, visum mihi fuit indicare, solitos etiam esse quandoque Christianos Principes contra alios inter se inire fœdus defensivum & offensivum, sed ab illo excipere non tam Christianos, quàm infideles. Exemplum habemus Venetiarum Remp. quæ superiori seculo cum Imperatore Carolo V. Ferdinando Austriæ Archiduce, & Francisco Duce Mediolani ad defensionem Regni Neapolitani contra omnes Christianos, qui illud armis invadunt, fœdus & societatem icit. Non verò & contra Turcas. *Perche i venetiani recusavano obligarvisi generalmente, per non irritare contra se l' armi di Turchi.* (b) Rerum enim, quæ possidebant in mari mediterraneo, ratio non ferebat, ut Turcas hostes haberent. Neque adeò improbanda est talis exceptio, quam salus Reip. quæ suprema lex est, exigit.

§. 13. *Ad injusta bella nullam esse obligationem.*] Omnia enim fœdera, quæ auxilium ad bellum spondent, hac tacita intelliguntur conditio-

(a) Lib. 9. Histor.
(b) Guicc. Histor. l. 15.

ditione, si bellum justum fuerit, etiamsi expressè non sit additum. Promissio enim de re illicita & turpi non obligat, unica autem in bello injustitia est id, quod illud in latrocinium mutat; Imò eandem ob rationem dicendum, licèt quis etiam in societatem injusti belli consenserit, non teneri tamen promissis stare, quia fidem suam obligare nemo potest, quando illam servasse peccatum est.

Causis utrinq; justus.] Quomodo fieri possit, ut bellum sit utrinque justum, explicat *Grotius inf. in l. 3. c. 20. thes. 27. & 28.*

§. 16. *Nullam in partem obligari.]* Directò sc. obligatur tamen indirectè & per obliquum, non quidem ad sponsionem observandam, quam administri sui sine ejus jussu spoponderunt, sed hactenus, ut teneatur jus reddere iis, quibus sponsores fidem suam obstrinxerant, in quantum quidem obligati sunt. Quemadmodum enim cuilibet extraneo, qui in subditum suum actionem quandam juris habet, justitiam administrare debet: ita quoque contra sponsores, qui fidem Principis temerè injussu suo, & ita nulliter, obstrinxere, stipulantibus judicium secundùm jus & æquum dabit. De quo igitur teneantur illi sponsores, nunc est quæstionis, quando constat, eum, qui imperium habet, non teneri ad faciendum id, quod facturum sponsores spoponderunt. Suprà *c. 11. §. ult. h. l. 2.* nos Grotius satis docuit, regulariter eum non obligari ad id, quod interest, qui factum alienum promisit, modò facere non omiserit, quod ex sua parte ad id factum obtinendum facere poterat. Hac tamen

cum limitatione, nisi verba aut negotii natura obligationem inducant strictiorem. Ad quam limitationem sine dubio noster etiam actus, de quo hîc quærimus, pertinet, quoniam non solùm sponsor promittit factum alienum, sc. sui domini, sed & simul aliquid ab altera parte accipiendo se ad faciendum vel dandum obligat, ita ut non liberetur, si omnem operam præstiterit, ut factum, quod promisit, tertius impleat, sed si non impleverit, stipulatori tenebitur quanti ejus interest, promissionem non fuisse factam; Quamvis autem maximè ejus intersit, rem in eum statum restitui, in quo erat ante sponsionem, quia tamen hoc semper in sponsoris potestate non est, & sic impossibilium nulla obligatio, morali necessitate itur ad id, quod facere potest, ut propterea existimem, præter deditionem corporis & bonorum sponsorem ultra obligari non posse. Princeps enim per sponsorem non obligatur; Ejus verò, quod interest, sæpiùs tanta est æstimatio, ut impossibilis sit præstatio ab iis, qui sponsionem fecerunt. Ut ex. gr. in sponsione Caudina, ubi Samnitibus maximè interfuit, si pax secundùm sponsionem non fieret, rem in eum statum restitui, ut ante sponsionem erat, id quod & Samnitium Imperator & tribuni plebis maximè urgebant. Sed verò neque hoc arbitrii & potestatis Consulum erat, qui in exercitum, quem sua sponsione liberavere, tantum juris nō habuerunt, ut eum contra voluntatem Reip. ad sistendum se captivum in saltus illos caudinos cogere potuerint, neque etiam Resp. ad restituendum ullo modo obligabatur, quare nihil superfuit aliud,

quàm

quàm ut ſponſorum corporibus & bonis fidei ſatisfieret. *Samnitibus ſponſores nos ſumus*, inquit Poſthumius Conſul, *rei ſatis locupletes, in id, quod noſtrum eſt, in id, quod præſtare poſſumus.* Quin etiam, ſi quis rem examinare plenius vellet, neſcio an non ſponſores quoque neceſſitate dedendi corpora & bona & ita ab omni obligatione liberos rectè defenderet, eo fundamento, quo ſuprà cum Grotio *c. 13. theſ. 9.* abſolutiones à juramento ſuſtinuimus. Neque diverſitatis ratio eſt, quia promiſſiones juramento confirmatæ, multò magis quàm ſimplices ſervare convenit, à quibus tamen ſi liberatio certis caſibus eſt, quid vetat, quin & in noſtro caſu idem ſit dicendum. Scilicet, ut rem breviter repetam, voluntates & actiones civium ita ſunt in poteſtate & arbitrio eorum, qui jus ſummi imperii habent, ut prohibentibus illis nihil, quod teneat, poſſint agere. τὸ κύριον enim Civitatis facultatem agendi, quæ civibus competebat, ex poteſtatis plenitudine & efficaci majeſtatis indole ad ſe trahit, & ſubditos omni agendi jure deſtituit. Interdixiſſe autem illis agendi facultatem ſemper cenſetur, ſi qui actus in præjudicium & damnum Reip. vergunt, niſi vel ad id agendum habeant mandatum ſpeciale, vel res ita ſit comparata, ut aliis, quas agere juſſi ſunt, neceſſario nexu cohæreat. Ut veniamus ad Caudinam ſponſionem, ſpoponderunt Conſules, fœdus à populo Romano ictum iri cum Samnitibus. hoc quoniam neque poſſunt per ſe ſpondere Conſules, neque actus officio eorum connexus eſt, nam ad bellum gerendum, non faciendam pacem miſſi fuere, ſequitur, hæc ſpon-

ſpondendi facultatem non habuiſſe, ſed eam antecedenter à Rep. ipſis fuiſſe ſubtractam, ut hac ratione ſponſio invalida, quin planè nulla ſit, ſponſoribus ad nihil omninò obligatis. Ex pacto enim, quod nullum eſt, neminem teneri, quis ignorat? maximè autem nullum fieri pactum ex defectu juris agendi iterum dubio caret. Romani tamen, qui non rarò conſilia excellentiora utilioribus, licèt honeſtis, prætulere, ut omnem ſcrupulum fidei non ſervatæ à ſe amoverent, maluerunt ad judicia non ſatis æqua declinanda ſponſores dedere. Videtur quidem ex formula deditionis, quæ eſt apud Livium, colligi poſſe, factam eam ex capite damni dati. Ita enim ſe verba Patris patrati habent. *Quandoquidem hice homines injuſſu populi Romani Quiritium fœdus ictum iri ſpoponderunt, atq; ob eam rem noxam nocuerunt, ob eam rem, quo populus Romanus ſcelere impio ſit ſolutus, hosce homines vobis dedo.* Sed attentiùs rem inſpicienti apparebit, deditionem hanc non eſſe talem, quæ aliàs eſt ex dato damno, ſive, ut JCti loquuntur, actione noxali. Nam moris eſt in illa deditione noxali, ut is, qui noxam nocuit, dedatur ei, cui nocuit, ab illo, cui non nocuit. V. gr. ſervus occidens pecus alterius noxæ dedendus eſt à domino ſuo, cui non nocuit, ei, cui occidendo pecus noxam dedit. Hoc verò noſtro caſu contrarium obtinet. Sponſores enim fœderis Caudini ſpondendo nihil Samnitibus nocuerunt, ſed Romanis, quare ſi deditio ex capite damni dati facta eſſet, ſponſores dedendi fuiſſent à Samnitibus Romanis, non ab his illis: quod verò, cùm factum ſit, facilè apparet,

in

in formula deditionis ejusmodi noxam, quæ venit ex damno dato, & de qua in *c. 17.* agemus, non intelligi. Sed ne quis opinetur, illam sententiam, quâ asseruimus, posse eum, qui summum imperium habet, actum aliquem civis antecedenter nullum facere, subtrahendo agendi facultatem, fraudibus & perfidiæ idoneam esse, monendum censui, nolle me id tam crudè intellectum, quasi in quovis actu civis talis subtractio præsumi debeat; Agit enim quædam civis ut civis, & secundùm communem civitatis morem; alia verò, quæ regulariter agere non convenit, nisi ab eo, qui civitatis est dominus, excepto, si quem speciali agendi mandato instruxerit. Illa omninò firma ratáque sunt, neque præsumpta superioris prohibitione sufflaminari possunt: quoniam potiùs contra præsumitur, concessisse Principem & huic civi talia agendi potentiam, quam aliis omnibus concessit, nisi contrariam voluntatem expressè declaraverit, quod facere potest, interdicendo, ne cum hoc vel illo, e.gr. prodigo, quid rei geratur. In his verò, quæ jus Imperantis tangunt, & speciale mandatum requirunt, præsumptio est, non habuisse civem hæc agendi potestatem, & sibi imputabit, qui sua facilitate læsus diligentiùs de mandato non inquisivit: Ex quibus simul apparet, quantò minùs totus exercitus, qui nihil spopondit, fuerit obligatus ad se intra furculas caudinas sistendum, quem hoc, quod diximus, jure, etiamsi spopondisset, Imperans necessitate promissionis servandæ potuisset eximere.

Si sponsores præ se tulerunt.] Tum demum dedi-

deditio ex capite damni dati procederet; Nam mendacio suo nocuissent Samnitibus. Sed vix est, ut dicamus, sponsores hanc potestatem præ se tulisse, quia expressè negavere, injussu populi Romani fœdus fieri posse. Quasi tacitè inferre voluissent, posse injussu populi Romani fieri sponsionem fœdus ictum iri. Cui assertioni, quæ juris, non facti est, si tam promptè credidere Samnites, habeant, quod sibi imputent, cùm error juris non excuset.

Bona primùm ad id, quod interest.] Potest enim sponsio de negotio ejusmodi esse, ubi ad ejus, quod interest, satisfactionem, bona fortunæ sufficiunt.

Corpus ad servitutem.] Romani putabant hac deditione eum, qui deditur, fieri civem ejus, cui fit deditio. Ita enim Posthumius apud Livium, *se Samnitem civem esse, illum legatum, fecialem à se contra jus Gentium violatum, eò justius bellum gesturos.* Et Mancinus, qui infamis sponsionis auctor apud Numantiam fuit, cùm deditus, sed non acceptus in patriam rediisset, & more solito Senatum ingredi vellet, gravi oratione à P. Rutilio Trib. Pleb. repulsam tulit, vetanti, ne in Senatum iret ratione addita, quòd per deditionem Numantinus & ita peregrinus factus legibus patriis in Senatu esse prohiberetur. Quamobrem in Senatu Rom. agitata quæstio fuit; An Mancinus deditus, sed non acceptus in civitate R. mansisset. Mitior sententia miseratione optimi viri, qui adversæ fortunæ culpam satis luisse tantâ ignominiâ miseriaque videbatur, vicit quidem sub juris specie, quòd nihil posset traditum videri, quod

quod ab eo, cui traderetur, acceptum non esset, sed Tribuni plebis verior est, qui contra omninò rectè ita disseruit. *Quo tempore Pater patratus ad solvendam religione civitatem hostibus te populi R. dedidit, civis noster esse desisti, neq; tibi prodest, quod non es receptus, excludere te sua civitate Numantini potuerunt, non potuerunt in nostram restituere Postliminium autem frustra appellas, cùm sit memoriæ proditum, quem pater suus aut populus vendidisset, aut pater patratus dedisset, ei nullum postliminium esse.* Bene hic, ut dixi, Rutilius; Nam non acceptatione ejus, cui fit deditio, sed deditione quis civis suæ Reip. esse desinit. Id quod ipsa deditionis formula ostendit: *quandoquidem hice homines noxam nocuerunt, ob eam rem hosce homines vobis dedo.* Quamprimum autem ego aliquid dedo, eo animo, ut meum esse desinat, continuò desinit meum esse, etiam non expectata alterius acceptatione, quæ ad dominium amittendum nihil operatur, sed saltem efficit, ut res dedita fiat accipientis, non ut desinat esse dedentis. Quare si acceptatio secuta fuisset, Mancinus Civis Numantinus factus esset, illa autem non secuta civitate quidé Numantinorum eum exclusit, in Romanam verò, quam jam ante acceptationem amiserat, non restituit. Quin ipse populus R. in deditione Mancini lege lata denuò cavit, *uti C. Mancinus Civis R. haberetur, neque deditio ei fraudi foret.* Quâ quidem sanctione fictione juris effectum est, ut nunquam videretur Civis esse desiisse, id autem, quod revera fuit, tolli non potuit. Effectum juris, non factum

ipsum

ipsum mutatum censeo. Nam quî, quod factum, infectum fieri posset? Atque ex his judicium sumi potest de eo, quod Posthumius, ubi Fecialis deditionem fecisset, genu femur Fecialis, quanta maxima poterat vi, percuserit; clara voce non expectata acceptatione, ajens: *Se Samnitem civem esse. Fecialem à se contra jus gentium violatum, eò justius bellum gesturos.* Nimirum hæc esse ludibria religionis & vix pueris dignas ambages, ut rectè Pontius appellat. Posthumius quidem deditione civis R. esse desiit, neque tamen ante acceptationem civis Samnis esse cepit, & violavit Fecialem non ut Samnis, sed ut homo, qui à suis deditus, ab hostibus non receptus, jam sub nullius imperio est. Et nescio, annon Posthumius hoc callido facto aliud quid intenderit. Legatum enim percussione sua violasse indubium erat, quod si jam deditionem Samnites acceptassent, ad eos transiviisset noxa illa, & violatorem juris gentium debuissent Romanis iterum ad pœnam tradere, & ita sua calliditate Posthumius facilè Samnitium manibus elabi potuisset; sine dubio Romanos, quorum Fecialem violavit, clementes dominos habiturus. Postquam autem Pontius deditionem non accepit, Posthumius neque Samnis civis factus est, neque ut Samnis legatum violavit, & optima ratione à Pontio Imperatore derisus est. Quod verò idem Pontius populum R. omnia in integrum restituere jubet, ad id ille, ut satis probavimus, non erat obligatus: Imò in hoc negotio singulares quædam circumstantiæ occurrunt, quæ restitutionem in integrum, etiamsi aliàs debita esset, hîc tamen impossi-

poſſibilem faciunt. Nam quod dicit Samnis, *reſtituat legiones intra ſaltum, quo ſeptæ fuerunt, nemo quemquam deceperit, omnia pro infecto ſint, recipiant arma, quæ per pactionem tradiderunt, redeant in caſtra ſua, quicquid pridie habuerunt, quàm in colloquium eſt ventum, habeant.* Qua ratione ex parte Samnitium præſtari potuit? qui Romanos ſub jugum miſerunt, & ita maximâ, quæ tum temporis in bello erat, afſecerunt ignominiâ, qui quosdam Romanorum vulnerarunt & necaverunt, ſi vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendiſſet. Quod ſi jam Romani omnia in integrum reſtituere voluiſſent, Samnites profectò potuiſſent neque famam & exiſtimationem, quam ſubjugatione milites R. amiſerant, neque occiſos reſtituere, & ob hunc defectum dediſſent etiam ipſis Romanis juſtam reſtitutionem negandi cauſam, quam ab utraque parte æqualiter fieri oportet, & unius defectus alteram etiam obligatione liberat. Atque ſic ex hoc capite Romani juſtè repudiaſſent reſtitutionem, etiamſi per ſe ad illam tenerentur, cujus tamen contrarium & ſuprà oſtendimus.

Brutulum Papium.] *Vid. me ad l. 3. c. 1. §. 3.*

§. 17. *Nam hæc conditio non impleta.*] At ſive verbis ſive facto ipſo impleatur, nihil intereſt. *Vid. l. 5. ff. Rem rat. haber. & Dn. Ziegl. ad h. l.*

CAPUT XVI.

DE INTERPRETATIONE.

§. 1.

Quod recta interpretatio suggerit.] Dicit Dn. Ziegl. *istam interpretationem quandoq; stipulatori, quandoq; promissori nocere, & per consequens non semper esse in potestate stipulatoris interpretationem in commodum suum facere.* Verùm neque Grotius interpretationem in potestatem stipulatoris ponit, sed non attento eo, qui promisit vel stipulatus est, præscribit modum, per quem ex signis probabilibus mentis collectio fieri possit. Fit autem collectio mentis tam à stipulatore quàm promissore, & cui verba aut conjecturæ magis favent, ille interpretatione vincit. Neque enim, si crudè accipiatur, verum esse potest, in quibusdam negotiis stipulatorem vel promissorem interpretationem in commodum sum facere posse, nisi alia insuper signa, quibus mentem contrahentium venamur, pro uno contra alterum stent. (a)

§. 2. *Ex proprietate populari.]* Quò respexit Pompej. in *l. 23. ff. de S. P. U.* quando servitute imposita, ut lumina, quæ nunc sunt, ita sint, nihil de futuris luminibus caveri videri pronunciavit.

§. 3. *In artium vocabulis.]* V. gr. si habitatio legata fuerit, an idem sit, ac si usus sit legatus? An χρῆσις usum & usumfr. contineat? An ususfr. domus habitandi causâ relictus denotet habitationem?

(a) Vid. l. 29. ff. de pœn.

tionem ? Hæc enim aliaque vocabula artium vulgus non capit, ſed à peritis jurisprudentiæ eorum indoles indaganda eſt. Quemadmodum Ulpianus *in l. 10. ff. de Uſ. & hab.* reſpondet, habitationem cum uſu quoad effectum ferè eandem eſſe, non tamen ex omni parte, ſed propriam quandam conſtituere ſervitutem. Χρῆσιν non uſumfr. ſed nudum uſum denotare. Et uſumfr. domus habitandæ causâ nihil eſſe præter habitationem.

§. 5. *Sed civilem.]* Sc. quo æquator totus circa terram circumvolvitur. *Vid. Hahn. ad Weſ. de Minor. obſ. 1. & Dn. Ziegl. h.*

Donare.] Sic etiam, qui legat alicui fructus annuos fundi Corneliani, uſumfr. legat. *Vid. l. 20. ff. de uſufr. & l. 14. §. 1. ff. de uſ. & hab. alia exempla habet Dn. Ziegl. h.*

§. 6. *Effectum à ratione alienum.]* Ita in fœdere, quod ſuperiori ſeculo Pontifex, Rex Hiſpanniarum & Venetiani inter ſe icerant, ad expellendos Italia Gallos inter alia cautum erat, ut Pontifex & Venetiani obligarentur ſingulis menſibus quadraginta Ducatorum millia ſolvere, donec Galli Italia pulſi eſſent. Quibus prælio ſuperatis & in Galliam reverſis, *negavano il Pontefice & i Venetiani di riaſſumere il pagamento de quaranta mila Ducati il meſe intermeſo dopo la rotta, allegando, che per l'havere l'eſercito franceſe paſſato di la da monti non erano piu ſotto poſti a quella obligatione, la quale terminava ſecondo i capitoli della confederatione ogni volta, che i Franceſi fuſſero cacciati d' Italia. Et a queſto ſi replicava in nome del*

Re d' Arragona, non si potere dire cacciato il Re d' Italia, mentre che erano in potestà sua Brescia, Crema & tante fortezze (a; *i. e. Negabant Pontifex & Venetiani dissolvere stipendium quadraginta millium Ducatorum menstruum post victoriam, dicentes, cùm exercitus Gallicus ultra montes abierit, non durare amplius obligationem, quâ se juxta capitula confœderationis semper finire debet, quando Galli fuerint Italiâ expulsi. Ad hoc replicabatur nomine Regis Arragoniæ, non posse dici, Regem esse Italia pulsum, quamdiu sint in potestate ejus Brescia, Cremona & tot fortalitia.* Quæ Hispannorum interpretatio sine dubio negotio magis conveniebat, verba enim cum effectu intelligenda sunt, & Galliarum Rex ibat in regnum suum non eo animo, ut abstineret in posterum Italia, sed ut illam deinceps majoribus viribus iterum aggrederetur. Habebat adhuc in manu sua plurimas urbes & munimenta, quæ ipsi aditum in omnes Italiæ partes facilè aperiebant. Non itaque pulsus Italia ille est, qui in ea firmissima receptacula suosque præsidiarios habet. Nec illa confœderatorum prima intentio esse potuit, qui non tam ad personam Regis & exercitum pellendum, quàm urbes aliaque fortissima loca è manibus ejus extorquenda respexere.

§. 7. *Quæ ex eadem voluntate proficiscuntur.*] In fœdere, quod Rex Galliæ cum Joh Bentivolio Bononiæ Principe habebat, Rex se obligabat ad tuendam urbem Bononiam, ipsumque Bentivolium, cum exceptione, ne exinde præjudicium

(a) Guicc. Histor. l. 11.

dicium Ecclesiæ R. fiat. Quare cùm Valentinus Romaniolæ Dux Pontificis Alexandri VI. filius Bononiæ inhiaret, & ejus potiundæ ingentē spem haberet, in castris ad castellum S. Petri mandatum Regis accipit, *di non procedere ne all'occupatione di Bologna, ne a cacciarne Giovanni Bentivogli; perche allegava essere obligato alla protettione & della città & di lui. i. e. ne Bononiam occupet, aut inde Joh. Bentivolium ejiciat, esse enim se ad protectionem urbis & Bentivolii obligatum.* Ad exceptionem, ne fiat præjudicium Ecclesiæ, ita respondet. *Doversi intendere di quelle ragioni & preminentie, che allhora vi possideva la chiesa. Perche intendendosi indistintamente, & non secondo il suono delle parole, come pretendeva il Pontefice, sarebbe stata cosa vana & di niuno momento a Bolognesi & a Bentivogli il recevergli quella sua protettione.* (a) *i. e. Debere intelligi de iis pretensionibus & præeminentiis, quas nunc ibi possidet Ecclesia. Nam si indistinctim intelligeretur, & non ut verba sonant, sicut pretendebat Papa, fieret res vana & nullius momenti protectio sua, neq; conduceret Civitati, neq; Bentivoliis.* Postea verò mitigato per Pontificem Regis animo, cùm Valentinus eadem in Bononiam expediret arma, & Bentivolius auxilium regium ex fœdere poscebat, Rex, *variando la interpretatione delle parole secondo la varietà de fini suoi, & comentando le capitolationi fatte piu tosto come jurisconsulto, che come Re, rispondeva, che la protettione, per la quale si era obligato a di-*

(a) Guicc. l. 5.

fenderlo non impediva l'impresa del Pontifice, se non per la persona & beni suoi particolari. Perche se bene le parole erano generale, v'era specificato, ch'ella s'intendesse senza pregiuditio delle ragioni della Chiesa, alla quale niuno negava appartenere la Citta di Bologna, & perche nella confederatione, che haveva fatta col Pontefice, anteriore di tempo a tutte quelle, che haveva fatte in Italia, s'era obligato in qualunque conventione facesse per l'avenire con altri, eccettuare sempre, che elle non si intendessero in pregiuditio delle ragioni della Chiesa. (a) *i.e. variansinterpretationem verborum suorum secundùm varias intentiones, & explicans capitulationes factas magis ut Jureconsultus, quàm ut Rex, respondebat, protectionem, per quam se ad defendendum Bentivolium obligasset, non impedire expeditionem Pontificis, nisi quantum personam suam & ejus bona attinet. Licèt enim sint verba generalia, esse tamen in specie subjectum, ne intelligantur in præjudicium Ecclesiæ, ad quam pertinere Bononiam indubium sit; tum etiam quòd in fœdere, quod sibi cum Pontifice est, anteriore tempore omnibus aliis, quæ in Italia fecerit, se obligaverit, in omni alia conventione, quam postea sit facturus, excipere semper præjudicium & rationes Ecclesiæ.* Quam interpretationem Guicciardinus rectè cavillatoriam ex hoc nostro loco de conjunctis origine arguit. Quia jam alibi Rex expresè fassus erat, exceptionem, ne præjudicium Ecclesiæ fiat, intelligendam de bonis, quæ actu Ecclesia possidet. Quare hîc

(a) Guicc. Hist. l. 5.

hîc verba ad tempus accommodare, & iis tanquam talis ludere, contra mentem fœderis & propriam declarationem, eſt agere ut ſophiſtam, non ut Regem decet: Et his diverticulis juramenti religio non ſolvitur, ſed adſtringit magis ad infamiam perjurii.

§. 11. *Sumenda verba ſecundùm totam proprietatem.*] Sic pupillus, qui juravit, *dare ſe non oportere*, non ſe ſolum, ſed & fidejuſſorem liberat, *l. 42. pr. ff. de jurej.* Et ſi cautum ſit, ne luminibus officiatur, humanius eſt, verbo generali omne lumen ſignificari, præſens & futurum, *l. 23. ff. de S. P. U.* Et privilegia Lubecenſia, quibus Lubecenſes ſibi licere affirmarent, etiam durante inter Livonos & Moſcos bello intima Ruſſiæ penetrare, contra obnitentibus Livonis, qui id de terreſtri profectione non maritima intelligi debere contendebant, Ferdinandus Cæſar electus controverſiæ judex pro libertate interpretatus eſt contra Livonos. *Thuan. Hiſtor. l. 36.*

Eam, qua latiſſima eſt.] Verbum, *ne ſineret*, non ſolùm ſignificat, ſi videris prohibere, ſed & cuſtodire, ne tale quid fiat, *l. 29. ff. Loc.*

Quo onus vitetur.] Ita poſtulare prohibiti non vetantur extrajudicialiter conſilio, ſcripturis, aut aliis privatis actionibus inſervire; Hîc etiam fundamentum habet diſtinctio *Struvii in Synt. Feud. c. 8. theſ. 8. n. 5.* Agitatur etiam apud Limneum (*a*) quæſtio, an Imperatori liceat in ſuis territoriis hæreditariis ad confinia fortalitia extruere; Si periculum ſit, externas poteſtates extructionem illam in ſui æmulationem inter-

(*a*) Jur. publ. l. 4. c. 8. n. 237.

pretaturas esse? Limneus, qui jurium Imperatoris maximus osor est, negat, ea ratione, quoniam Imperator jurat inter alia, daß er wolle und solle in Zeit seiner Regierung fried- und nachtbarlich sich gegen den anstossenden und Christlichen Gewälten halten. Quæ quidem verba, si ad nostram regulam examinamus, id, quod Limneus vult, non important. Versamur enim in materia odiosa, ubi Imperatori, quod ipsi aliàs & vi majestatis & juri superioritatis, ut aliis Principibus Imperii, competit, ademptum imus, cui ademptioni probandæ non sufficiunt verba, quæ videntur extra propriam in latiori significatione tale quid inferre, sed potiùs, quia odia restringenda sunt, pro libertate interpretanda veniunt. Nam verba fried- und nachtbarlich sich halten / salva etiam propria significatione impleri possunt, quamvis fortalitia in confiniis meis extruam. Nemini injuriam facit, qui re sua utitur, & Principes contermini de jure læso nullas querelas habent.

§. 13. *Ut Saguntini apud utrosq; eo loco essent.*] Rectè ergo Galli Anglis quærentibus de captivis in Scotia intra inducias, quas uterque populus invicè habebat, responderunt. *Si manentibus induciis jus fuit Gallis in Scotia pro regni conservatione militare, licuisse & iis in bello illic captos, cujuscunque tandem nationis sint, jure belli uti.* (a) *Conf. h. Dn. Ziegl.*

§. 14. *Arctiorem significatum.*] Quomodo se defendunt Carthaginenses apud Consules Romanos. *Gessimus enim bellum, sed lacessiti, sed coacti.*

(a) Thuan. Histor. l. 3.

coacti. Ad hoc fœderis vestri caput negligendum vi ac necessitate subacti sumus (*a*)

§. 15. *Liberam fore Carthaginem.*] Ita verò Senatus Consultum Legatis Carthaginensium de pace Romam missis datum se habebat. *Quando ad optimum tandem concilium adjecissent animos Pœni, Patres ipsis libertatem, leges suas, agrum omnem, sacra, sepulchra, quicquid denique publicè privatimq; possiderent, concedere.* Subolverat jam tum Carthaginensibus imperfecta SCti munificentia, *quòd inter multa, quæ Romani concessuros dixerant, omissa fuisset urbium mentio, quum alia nominatim referrentur.* Nec fefellit eos suspicio; Post imperatos enim obsides & arma tradita jussi à Consulibus R. *urbem aliam, ubicunque videbitur, sed decem minimùm millia passuum à mari distantem & sine muris condere*, cum flebili oratione SCtum prætenderent, responsum est à Consulibus. *Ipsos homines non solùm atque ædificia Carthaginem se arbitratos esse.* Fraus est, ut videmus in voce Carthaginis, quam Carthaginenses ad homines & urbem ipsam extendebant, Romani verò ad solos restringebant cives, ea imprimis ratione, quòd liberam fore Carthaginem promiserint; libera autem Carthago de muris intelligi non possit, quòd his, ut omnis libertatis incapaci subjecto, ejusmodi attributum non competat. Replicabant miseri Carthaginenses, nihil obstare, quò minùs de Civibus & urbe simul libertatis concessio rectè dici queat. Quæstio igitur est, pro quo sit facienda interpretatio? Respondemus

(*a*) Suppl. Liv. l. 49. c. 13.

mus secundùm regulam §. 12. propositam *in non odiosis verba secundùm totam proprietatem usus popularis intelligenda esse, & si plures sint, eam, quæ latissima est.* Cùm itaque Carthago ex usu populari non solùm mœnia & lapides, sed cum urbe cives etiam denotet, sumendam eam latiorem significationem, ad evitandum onus à Romanis imponendum, sc. migrationem de locis patriis, & urbis novæ extructionem. Nam si in odiosis sermo figuratus quandoque admittitur, ut evitetur onus, quantò magis vocabulum in propria significatione accipiendum est, neque inusitata restrictione eludendum. Quivis enim, qui Carthaginem liberam vocari audit, continuò de Civibus cum urbe, non solis hominibus intelligit, id quod etiam sine dubio Romani veriti sunt, & propterea tam ambiguè loqui maluerunt, ut inopinata interpretatione periclitanti fidei subvenire possent, vel hac sola occulta fraude digni, contra quos fiat interpretatio.

Ob attributa] Sc. liberam fore. Hoc enim attributum magis hominibus, quàm urbi competit.

§. 16. *Quod si adjectum.]* Vid. nos supr. *ad c. 14. §. 10.* juxta quæ Grotium hîc intellectum volumus.

Reale esse.] Reale fœdus dicit, quod in successores transit, personale, quod persona pacisscentis terminatur.

§. 17. *Jus enim regni.]* Explicatum id satis à nobis est *in l. 1. c. 4. thes. 18.*

§. 18. *Antequam sufficiens &c.]* Vel jam adeò

adeò ab invasore sit subacta, ut vires resistendi amplius nullas habeat.

Dicebat T. Quintius.] Non admodùm sincerè cum Nabide Romani egerant, nunc ejus amici, pòst inimici. Nunc quædam ejus acta probantes, paulò pòst carpentes, pro temporis & utilitatis ratione. *Vid. Liv. Hist. l. 34. c. 31.*

§. 19. *Qui omnes antecedit, aut quem nemo.*] Differt is, qui omnes antecedit, ab eo, quem nemo antecedit, in hoc, quòd ille parem non habeat, hic habere possit. Quicunque omnes antecedit, eum antecedit nemo; At quem nemo antecedit, is non continuò omnes antecedit, cùm duo vel tres possint esse pari ordine & gradu.

§. 20. *Rationem esse causam unicam.*] Valentinus Alexandri VI. Pontificis sceleratissimi non degener morum filius ope & authoritate parentis sui per Romaniolam, in quam terram, velut bona Ecclesiæ, Pontifex jus & dominium prætendebat, arma victricia latè circumferebat, donec tandem vicinis Dominis potentia ejus nimia in suspicionem venerit, qui non sine ratione veriti sunt, incendium quoque ad se penetraturum, si confinia absumpsisset. Quare potentiorum nonnulli facto inter se fœdere pro defensione Statuum suorum ingentem Valentino injecerunt solicitudinem, qui cùm se non solùm eorum viribus, quibus hucusque feliciter usus erat, destitutum, sed & communibus armis oppugnandum videret, difficili exinde remora suis progressibus injecta, & se ipso insuper etiam de jam acquisitis periclitaturo, dolo utendum ratus, reconciliationem cum illis ante omnia sibi necessariam existimavit

mavit, ut amicos opprimeret, quibus, ut hostibus, nocere non potuisset. Ad quam rem Paulum Orsinum judicans idoneum instrumentum esse ad persuadendos cæteros, evocavit eum Immolam, dulcissimaque verborum structura credulitatem ejus ita occupavit, ut tandem opera & intercessione sua in certas conditiones conventum sit, quibus pro securitate confœderatorum illud adjectum erat, *che non fussero obligati d' andare à servirlo personalmente, se non uno per volta. (a) Ne teneantur Valentino in personæ militare, nisi qualibet vice saltem unus.* Verùm cùm non ita multò pòst insidiis Valentini in manus ejus universi penè incidissent, crudeliterque omnes strangulati essent, inhumanam perfidiam filii Pater Papa hoc modo excusare ausus est. *che essendo stato Pagolo Orsino & gli altri i primi à mancargli della fede, perche s' erano obligati d' andare à lui uno per volta, & v' erano andati tutti insiemi, non era stato meno lecito à lui mancare à loro (b) i. e. Cùm Paulus Orsinus & alii primi fuerint, qui contra fidem fecerunt, quòd se obligassent, ut accederent non nisi singuli singulis vicibus, & simul omnes venissent, neque amplius Valentinum eis ad fidem servandam teneri.* Quæstio itaque est, an cautela illa, quam confœderati pro securitate sua conditionibus inseruere, ita interpretanda sit, ut si, omnes ad Valentinum iviſſent, contra fœdus egisse viderentur? Quod ex hoc Grotii loco negandum est; Primò enim non se obligaverunt Valentino, ne possint

(a) Guicc. Hist. l. 5.
(b) Ibid. d. l. 5. Histor.

Digitized by Google

sint omnes ad eum ire, sed ne teneantur, etiam vocati aut jussi, quia ratione sibi ipsis potissimùm prospiciebant, qui animum Valentini bestialem & perfidum ignorare non poterant. Deinde ratio unica, quæ paciscentes movebat, erat eorum securitas. Quam si voluerunt insuper habere, jus suum sponte remiserunt, salvis conditionibus, neque Valentinus in quoquam læsus fuerat, quòd eum omnes simul accessissent. Tertiò denique ipse adeò occulta eis fraudes struxerat, ut improvisò in potestatem Latronis redacti tam violentæ ejus invitationi non potuerint non parere. Nam à militibus suis sensim abducti, momento omni Valentini exercitu circumdati erant, qui ad omnes domini sui nutus paratissimum ad quodvis scelus animum obfirmaverat. Quare ne majorem de se suspicionem excitarent, invitati parere maluerunt, quàm vi abduci, & ita Valentino justiorem inobedientiæ prætextum dare in se sæviendi. Quamvis nec spontaneum obsequium perditissimi hominis animum mitigare potuerit, quin omnes uno velut ictu tolleret, qui sibi adeò suspicioſi & molesti erant.

Ubi ex scripto ducimus, quod scriptum non est.] Conf. *l. 58. §. 1. ff. de Usufr.* ubi quæritur, an *legata parte sexta ex redactis fructuum oleris, quotannis pars sexta legata sit?* Et respondet JCtus, legatam videri, nisi contrarium ab hærede probetur. Pari modo in *l. 12. §. 4. de usu & hab.* vocabulum, usum ex voluntate defuncti & rei necessitate, ad usumfr. extendimus. *Conf. ibid. Goth. lit. q.*

§. 22. *Nemo credendus est velle absurda.*] Qui

Qui alicui domum aut domus habitationem legat, alteri relicto horto, ad quem non nisi per domum via est, is, cui domus legata est, aditum ad hortum præstare debet, licèt à testatore non sit legatus, ne videatur absurda voluisse. *l. 41. pr. ff. de S. P. U.*

Ubi ratio talis additur &c.] Sic qui in prædii venditione circa aquam latè pedes decem excipit, non dominium loci, sed iter duntaxat excepisse videtur, *l. 30. ff. de S. P. R.* Item qui fundum superiorem suum ea lege vendit, ut aquam sulco aperto emptori educere in fundum inferiorem, sc. venditoris, rectè liceat, vicinus fundus inferior ampliùs nihil recipere debet, quàm quod ipsius fundi superioris siccandi causâ derivatum est, non etiam ut aquam ex alio fundo excipere & in illum inferiorem ducere possit, *l. 29. ff. de S. P. R.*

§. 27. *Nimis grave atq; intolerabile.*] *Hac lex traditionis, stillicidia uti nunc sunt, ita sint, significat impositam vicinis necessitatem stillicidiorum excipiendorum, non illud, ut etiam emptor stillicidia suscipiat ædificiorum vicinorum. Hoc igitur pollicetur venditor, sibi quidem stillicidiorum servitutem deberi, se autem nulli debere.* Ait *l. 17. §. 3. ff. de S. P. U.*

§. 29. *Pactio vetans &c.*] *Vid. l. 28. ff. Comm. divid.*

§. 32. *Conditionem offerentis.*] Qui Grotio hîc dicitur offerens conditionem, is in jure Romano vocatur stipulans. Promittens verò est Grotio accipiens, & idcirco meritò ejus verba inspicienda sunt, si sunt perfecta & absoluta in se,

ne

ne aliàs ſtipulanti jus daretur promittentem obligare in infinitum. Si verò promittens imperfectè reſponderit, referendo ſe tantùm ad interrogationem, tum offerentis conditionem verba interpretationem recipiunt, quia promittens nihil dixit, quod interpretari poſſimus: v. gr. ſi Titius ſtipuletur ita; Centum aureos & domum tuam dare ſpondes? Mævius reſpondeat, ſpondeo: verba ſecundùm ſtipulationem; ſi verò domum ſaltem ſpondeat, ſecundùm promiſſionem interpretanda ſunt.

CAPUT XVII.

DE DAMNO PER INJURIAM DATO. ET OBLIGATIONE, QUÆ INDE ORITUR.

§. 2.

ET ab aſſignatrice juſtitia ſpectatur.] Negat hoc Dn. Ziegl. *quia ut conducatur miles, Profeſſor, Medicus, qui quàm rectiſſimè fungi iſto officio poſſit, non diſtributiva eſt juſtitia, ſed commutativa.* Sed hîc diſtinguendum eſt jus ejus, qui eligit, à jure illius, qui eligitur. Is, cui magiſtratus collatio mandata eſt, Reip. tenetur ad eligendum eum, qui dignus eſt, & ad hoc exigendum Resp. jus habet proprium: ut ipſe Grotius continuò *in §. ſeq. 3.* agnoſcit; de quo caſu ſi loquitur Ziegl. & ab eo cit. Horn. *doctr. mor. l. 3. c. 13. n. 11.* nihil contra Authorem noſtrum aſſeruit. At verò ille, qui dignus eſt repertus, cui honos vel præmium conferatur, quando in electione fuit præ-

præteritus, nihil quæri de jure suo læso potest, quod non habet, multò minùs actionem de damno inde accepto instituere: Eligens quidem non secundùm rectam rationem elegisse putatur, repudiatus autem præter aptitudinem ad rem nihil habet, neque in re ulla damnum accepit, de quo in *h.* §. 2. Grotio sermo est. Ut inanis hîc sit & temeraria Ziegleri castigatio, quæ alium à mente Grotii casum præsupponit, & sic utraque sententia vera est, quia circa diversa est.

§. 3. *Habent tamen verum jus petendi.*] Differt itaque jus petendi, à jure habendi officium. Illud pertinet ad justitiam expletricem, hoc ad assignatricem.

Non totius rei expetitæ.] Ratio, quia adhuc satis certum non erat, an etiam ad officium fuisset promovendus, cùm vel adesse potuisset alius dignior, vel quidam pares, vel etiam eligens minùs dignum digniori præferre.

§. 4. *In fructibus, qui propriè rei fructus sunt.*] Quin & in civilibus, unde damnum in amissione pecuniæ factum æstimatur, non solâ pecuniâ, sed & usuris licitis, quas aliquis interea habere potuisset; nisi quis vellet dicere, etiam usuras propriè fructus esse pecuniæ, non quidem naturales, sed prout rei conditio admittit.

§. 9. *Ex caritatis norma.*] *Considerandum relinquit* Dn. Ziegl. *num in genere morum opponere ita liceat justitiam caritati? quia justitia hic intelligenda est non ea tantùm, quæ in foro externo apud judicem custoditur, sed interna etiam, in animo & affectu residens.* Verùm sciendum est, Grotium non loqui de justitia universali,

versali, quæ omnium virtutum complexu absolvitur, & sic etiam caritatem comprehendit, sed particulari, & quidem expletrice, quæ consistit in facultate morali ad aliquid justè habendū vel faciendum; Hanc sanè diversam à caritate virtutem esse nemo facilè dubitaverit, qui utriusque effectus & attributa diligentiùs examinaverit. Justitia enim strictè sic dicta dat mihi jus ad aliquid ab alio exigendum, ideo quia meum est, vel mihi debetur; Caritas verò me impellit, ut eam in proximo exerceam: Quod in re, quæ mea est, habeam præ omnibus prælationem in usu ejus rei, possimque eandem vindicare ab injusto possessore, hoc justitiæ opus est; Caritatis verò, ut eandem ipsam rem in pauperes & homines miseros sustentationis causâ expendam. Uno verbo, quod alteri ex justitiæ expletricis præscripto debeo, id ille à me & exigere, & me ad dandum cogere jure potest: quod autem caritas dare jubet, in eo nemini quicquam juris est, sed mihi hi soli incumbit virtutis illius laudabile exercitium. In hac enim nemini potestas est exigendi jure suo, sed petendi solùm, ut suæ indigentiæ aut necessitatibus pro re nata subveniam. Et quò minùs dubites, justitiam & caritatem divinam considera, &, si vis est, unam eandemque virtutem dic. Illa humanum genus ad ignem & perpetuos cruciatos condemnat, hæc idem salvat: Illa judicat, hæc miseretur, illa terret, hæc fovet & solatur. Apud illam nullus gratiæ locus; hæc mera gratia. Et quî fit, si justitia & caritas non distinctæ virtutes sunt, ut quotidianis precibus Deo humiliter supplicemus, ne nobiscum

secundùm justitiam suam & nostra merita ; sed secundùm gratiam, misericordiam & caritatem agere velit? Quis nunc est, qui justitiam & caritatem ob tam diversas operationes diversas etiam virtutes esse negare ausus sit? Illud quidem concedi potest, fieri contra caritatem, quocunque fit contra justitiam, quia caritas justitiæ individua comes est. Sed termini non sunt convertibiles, nec continuò, quod contra caritatem est, est etiam contra justitiam expletricem, utut non solùm in foro externo, sed & internè in animo & affectu consideretur. Nec movet me ratio Dn. Ziegl. *quasi justitia iisdem legibus succumbat, quibus succumbit caritas, & utraq; communi naturæ præcepto innitatur, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Nam nulla omninò virtus est : quæ non in hac generali regula & lege suum fundamentum habet, neque tamen propterea justitiam statim cum omni alia virtute confundere & eandem dicere Dn. Ziegl. vel voluit vel potuit. Quia singulæ virtutes præter generalia præcepta, in quæ conveniunt, speciales habent operationes & attributa, quibus ab reliquis distinguuntur. Quod si verò Ziegl. justitiam non expletricem, sed universalem intellexit, frigida est animadversio, quia nihil contra Grotium, qui expressis verbis in h. §. de justitia expletrice loquitur.

§. 10. *Non tenebunt.*] Notat ad hæc verba Dn. Ziegl. *ea ratione omnino extingui & invalidari causam restitutionis istam, quam Grotius §. 7. constituit in laudatione. Sic enim laudatorem nunquam teneri quia eo etiam non laudante damnum datum fuisset.* Verùm consequentia

Digitized by Google

quentia nulla eſt; Nam laudans poteſt etiam eſſe cauſa quædam impulſiva damni dati, dum maleficium, de quo adhuc ille, cui id facere in animo eſt, dubiè deliberat, laudando atque aſſentando promovet, & ita authorem ad factum perſuasionibus ſuis, vel à facilitate vel utilitate vel fortitudine deſumptis, magis impellit. Quo modo laudatorem teneri juſtum eſt, cùm ipſe non minimum momentum actui attulerit. Quod ſi verò jam conſtat, alterum, etiamſi non laudaſſet, certò fuiſſe facturum damnum, quod laude dignum exiſtimavit, laudator idcirco conveniri de damno nequit, quoniam ipſe nihil damni dedit, nam & illud absque ſua opera datum fuiſſet. Nec juvant Ziegl. jura civilia, *in l. 1. §. 4. ff. de ſerv. corrupt.* & allegati alii JCti. Nam primò hoc lege civili ita conſtitui potuiſſe certum eſt, at tali caſu obligaretur laudator alteri non ex ſuo facto, ſed lege, quæ temerarium propoſitum & inofficioſam cohortationem hoc remedio voluit coërcere. Nam non ſolùm pactionibus & maleficio ſed & lege obligationem quæri, jam antè §. 1. noſter Grotius docuit. Deinde neque citata *l. 1. §. 4. ff. de ſerv. corrupt.* neque Authores *Carpzovius & Matth.* Ziegleri ſententiam quicquam juvant. Quantum enim *l. 1. §. 4. de ſerv. corr.* attinet, ibi non dicit, teneri laudatorem maleficii ei, cui damnum à ſervo datum eſt, ſed domino, cujus ſervum corrupit, quæ quæſtio à noſtra toto genere alia eſt. Nam domino rectè tenebitur, quia lex propoſitum ſervi corrumpendi ad actionem ſervi corrupti ſufficiens eſſe voluit. At qui damnum à ſervo corrupto accepit, an & in lau-

datorem habeat actionem de damno dato, de quo nos disputamus, ne literula quidem decidi-tur. Carpzovius quoque, qui *arbitrio judicis puniri* dicit *eum, qui mandavit, si etiam absque mandato mandatarius delictum fuisset perpetraturus*, nihil contra nos facit, quia aliud est puniri arbitrio judicis, aliud teneri de damno dato. Nam si de hoc teneretur, excluderetur arbitrium judicis, quòd damnum sit certum, & debeat rependi ei, cui datum est. Carpzovio verò arbitrio judicis puniri nihil aliud est, quàm multari, quæ multa fisco cedit, & ab actione damni dati alia est. Rectè aliquis punitur de flagitioso consilio, etiamsi alter absq; eo malum feciſſet. Nemo verò extra legē ſpecialē tenetur de damno, quod neque fecit ipse, neque, ut fieret, quicquam momenti contulit, vel in causâ fuit. Distat insuper is, qui maleficium mandat, ab eo, qui laudat tantùm, toto cœlo, ut neque cæteris paribus ex mandato & laudatione par ad malum gradus sit. Multò minùs nos ferit Anth. Matthæus, asserens, *teneri etiam illum, qui consilium dedit, & furem, e. gr. qui docuit, qua parte ædium Paterf. injuriæ pateat.* Certè talem, qui furi occasionem & locum in ædes rependi & furto res auferendi demonstrat, in terminis simplicis laudatoris, qui nihil adjumenti ad damnum confert, non manere, adeò clarum esse existimo, ut meliùs probari non possit, quàm si modò nudis verbis referatur, & propterea casus à nostro alieniſſimus nulla planè refutatione opus habet. Pertinet enim is, qui furem docet, qua parte ædium paterf. injuriæ pateat, non ad eum, qui laudat, sed qui juvat

vat opus & in ipso crimine participat, quos Grotius refert ad illos, qui tenentur per se & primariò : laudatores verò secundario ordine collocat.

§. 9. *Tenentur autem primo loco ii.*] Rursus hîc inconsideratè animadvertit Dn. Ziegl. *primo loco teneri patratorem facinoris, quippe qui immediatè damnum dedit, & scire debuit, mandatum rei turpis non obligare.* Grotius enim hîc agit de actione maleficii non criminali, quâ certum est, patratorem primariò teneri, sed civili de damno dato, quâ omninò primariò tenetur is, cujus jussu est factum damnum, non autem qui fecit, quia facientem, cui jubere potuit, oportet esse sub aliena potestate; Sic jure civili de servo, qui damnum fecit, tenetur dominus, non ipse servus, noxali actione ad servum vel noxæ dedendum, vel damnum reparandum. Quomodo etiam non à subdito, qui jussu superioris deliquit, sed Principe, sive Rep. res repetuntur. His verò deficientibus, i. e. patratore sub nullius potestate existente, à qua mandatum accipere potuit, tenetur ipse, qui fecit. Ita enim explicandus est Grotius, non ut Ziegl. explicat, quasi his non deficientibus delinquens non teneretur. Nam hoc Grotius, non censuit, sed saltem in superiorem, cujus mandatum accessit, dandam esse actionem.

In solidum singuli.] Ratio est, quia pro parte delinquere nemo potest. Maleficia enim sunt indivisibilia, & totum delinquit, qui in opere participat.

§. 13. *Ut qui fugere noluit.*] Existimo con-

tra Ziegl. non teneri ex jure stricto eum fugere, qui contra latronem & temerarium insultatorem vitam defendere armis debet. Ratio est, quia ipse gladium ad sui corporis defensionem prætendendo in re illicita non versatur, sed arbitrio invasoris relinquit, velit absistere impio proposito, an in scelere perseverando incurrere tutelarem ensem, & de vita sua periclitari. Suprà propter rerum defensionem occisionem furis firmissimis argumentis legitimavimus, quare nos nulla ratio cogit, diversum sentire, ubi hoc majus versatur periculum, quantò dignior vita rebus fortunæ est. Ut taceam, nunquam adeò securam fugam quemquam sibi promittere posse, quin vel titubando vel alio impedimento sibi quandoque nocumento sit.

§. 21. *Natura ad nihil tenetur.]* Interesse adhuc existimo, an servus sive mancipium noxam dederit, an verò aliud quoddam animal irrationale. Servus enim, qui rationis est capax, damnum injuriâ, i.e ex consilio dare omninò potest, & propterea etiam dominus ceu Magistratus legitimus petitori jus & justitiam administrare obligatur, quæ vel in deditione rei, vel damni reparatione consistit, planè eodem modo, quo Principes tenentur subditos, qui vicinis damna dederunt, vel dedere iis, quos damno affecerunt, vel ipsos delinquentes punire, & ita de injuria satisfacere. Ut Grotius, si sententiam suam etiam ad servos extendat, vix contradictionem effugiat, qui §. *præc.* expressè statuit, suæ patriæ rectores ad puniendos noxios aut dedendos obligatos fuisse, ut rectè objicit Dn. Ziegl. Nam in hoc negotio

tio, quæ eſt ratio puniendi noxios vel dedendi in Principe aut Rep. erga ſubditos, eadem illa ratio eſt in domino erga ſervum. Non obſtat, quòd mancipium quadrupedibus annumeretur. Hoc enim non naturaliter, ſed quoad effectus quosdam juris civilis peculiares verum eſt, quod tamen nec illo civili jure generaliter procedit, quo quadrupedum fœtus in fructu ſunt, non autem partus ancillarum. In aliis animalibus, quæ ratione deſtituuntur, ſentio cum Grotio, quia de animali damnum injuriâ datum dici non poteſt, propter defectum conſilii & electionis, quod & JCti bene diſtinxerunt, qui quadrupedum damnum pauperiem dixerunt. Illa verò pauperies facta eſt ſine culpa domini, quare ille non obligatur per ſe. Neque obligatur per animal, quod noxam dedit, cùm illud omnis obligationis ſuâ naturâ ſit incapax. Nam obligationis ſubjectum unicum eſt homo, adeò ut JCti exiſtimaverint, ne ſervos quidem obligari poſſe. Quoniam itaque dominus neque per ſe obligatur, qui ipſe nihil nocuit, neque ex mandato aut juſſu ſuo, quadrupedibus enim jubere non poteſt, neque denique per animal noxium, propter ſubjecti incapacitatem, ſequitur, quòd planè non obligetur. Obligatio igitur ex jure civili ſeu lege eſt, quæ in dominum de pauperie actionem eſſe voluit. Niſi quis fortè exceptionem poſuerit in eo domino, qui ſcivit, pecus ſuum eſſe calcitroſum, vel ſolere cornu petere, alióve modo damnum dare. Hactenus enim, quia vitium ſciens non cavit amovendo pecus, in culpa eſt. *Conf. Exod. 21, 29. & 35. & 36.*

§. 22. *Exhibitione honoris.*] Honor in se lædi non potest, quia fundamentum ejus in honestate morum consistit, quæ externis rebus non subjacet. Quoniam verò calumniis alicujus bona fama apud viros probos traduci & in periculo esse potest, reparatio in exhibitione honoris ita consistit, ut injurians se ipsum mendacii arguat, culpam fateatur, & publica confessione honestum & bonum virum eum agnoscat, cujus existimationi criminationibus suis labem quandam inurere molitus est. *Conf. Ziegl. h. & Hahn. ad Wes. de injur. n. 18.*

Quanquam & pecunia] Et hoc est hodiè quotidianum, quæ deinde pecunia pro natura actionis institutæ vel fisco cedit, vel actori.

CAPUT XVIII.

DE LEGATIONUM JURE.

§. 2.

EX parte subditi sunt.] Talem Reip. statum non posse dari *inc. 3. ad lib. 1.* satis probavimus, ubi Remp. illam mixtam exulare jussimus.

Qui bello solenni victi.] Non continuò Reges majestatem amittunt, & per hanc jus legationis, quando eos victor regno expulit, nisi & ipsi vel capti vel occisi sint. Ut in *c. 4. thes. 18. l. 1.* satis declaravimus. Ipse etiam Grotius *c. 16. §. 17. l. 2.* expressè fassus est, *jus regni penes ipsum,* (i. e. Regem regno pulsum) *manere, utcunque possessionem amiserit. Conf. & Ziegl. nobiscum sentientem.*

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. *Duo autem ſunt.]* De fundamento tum admiſſionis tum ſecuritatis legatorum authores non omnes idem ſentiunt; Grotius noſter & cum eo plerique ad conſenſum gentium confugiunt, in quo omne obligationis principium ponunt. Scilicet conveniſſe quondam in certa quædam pacta gentes omnes aut ſaltem moratiores, & ex hoc conſenſu vim obligandi ad poſteros transmiſiſſe. Nos eum conſenſum in *l. 1. ad c. 1.* rejecimus, ideoque hîc propiùs quærendum eſt fundamentum. Equidem in legatorum ſecuritatem conſenſere gentes, ſed non effectivè & libera voluntate, verùm neceſſitate morali, quia negotium hoc ad mutuum Rerump. nexum pertinet, quem nemo violare poteſt. Agnoſcit id quidem *Dn. Hornius de Civitate, l. 2. c. 8.* in explicatione tamen non minùs deficit, ob fundamenti, quod ponit, inſufficientiam. Ita verò idem ille. *Aufim ego*, inquit, (a) *ſecuritatis cauſam omnem à majeſtate mittentis arceſſere; Nimirum Princeps, qui alterius territorium volente Domino ingreditur, quamdiu ſe hoſtem peregrinæ Reip. non profitetur, eo honore, eaq; reverentiâ colendus eſt, ac ſi apud ſuos ageret. Si temerè neminem laceſſens violaretur, contra jus ac fas ſceleratiſſimos parricidas facere quilibet cenſeret. Neminem ladere, ne quidem infimæ ſortis hominem, quamdiu innocens agit, ex præſcripto juris naturalis jubemur. Sed hic concurrit ſimul publica gentium ratio, quòd Princeps inſtructus imperio ac majeſtate, quocunq; loco fuerit, divinitatis quendam impreſ-*

(a) d. c. 8. §. 4.

sum characterem circumferat, & universæ Reip. instar sit. Quare sive a Principe peregrino, sive hujus subditis ladatur, semper Dei Vicarius & integra communitas offenditur. Sustinet nunc illas Principis vices legatus, &, huic quicquid accidit, sibi vel honori vel contumeliæ ducit mittens. Nunquam verò sine præsentissimo metu secuturæ vindictæ contemni aut violari Princeps poterit, aut in hoc Resp. nisi dissolvatur simul vinculum & omne jus, quo hactenus gentes invicem conglutinantur. Majestas igitur, quæ Principis, legati quoque caput tuetur, nec caput tantùm, sed comites & omnia vasa, quòd hæc accessoria æstimentur ex conditione principalis. Hucusque Hornius. Cujus mentem & verba si quis accuratè consideraverit, facilè deprehendet, majestate Principis omnimodæ legatorum securitati non prospici, quoniam non ultra tuti essent legati, quàm ipsa Principis majestas. Dubit autem mihi hoc, quicunque vel mediocri notitia in jus gentium penetravit, posse Principem ab hoste vel in sua vel hostili terra bello peti, damnisque multis & penè infinitis affici, quin, si ita casus ferat, capi etiam & omni exui imperio, imò occidi, absque injusta læsione majestatis, modò belli justitiam pro se habuerit. Majestas itaque Principi in bello contra hostes nullam securitatem largitur, quare multò minùs legatus, qui ejus personam induit, quicquam sibi tuti spondere poterit. Habet Hornii sententia, ut palàm est, restrictionem ad legatos, qui in pace commerciorum negotia tractant, ad internuncios autem bellicos, qui durante bello hostium placita

placita utrinque perferunt, nihil pertinet, quoniam si ipse Princeps mittens adesset, securus non esset. Ex particulari verò ratione universale construere fundamentum, quo nitatur securitas illa legatorum publica, præter rationem est, cùm cessante singulari ratione, quæ certo saltem casu obtinet, cessare etiam necesse sit, quodcunque super illam construxeris. Equidem verum est, Principem, qui alterius territorium volente domino ingreditur, quamdiu se hostem peregrinæ Reip. non profitetur, eo honore, eaque reverentiâ colendum esse, ac si apud suos ageret: sed quid dicendum, si contra domini territorii voluntatem & publicus Reip hostis accesserit. In hunc profectò jure gentium tanquam in omnem alium hostem animadverti posse, dubio caret, nec ipse Hornius inficiatur, qui eodem *c. 8. §. 9.* ita expresè fatetur. *Posse Principem hostilia moliri, arma expedire, posse præliantem vinci, & victum captumq́, si ita res ferat, trucidari.* Quare si eodem jure censendus legatus foret, tolleretur omne inter hostes mutuum commercium, & neque pax fieri, neque alia negotia, quæ necessarium per nuncios publicos conferendi modum requirunt, perfici rectè possent. Nam quoniam legatus majorem securitatem, quàm mittens, non haberet, nemo sanè in se tam periculosum munus facilè susciperet, in quo eum nulla hostium infamia de vita aut libertate periclitari, imò hostium loco esse certum sit. Oportet itaque adhuc in legato esse aliud quippiam, quod ipsi conciliat securitatem, quam Princeps, qui mittit, non habuisset. Accedit, quòd Princeps, censente Hor-

Hornio, qui alterius territorium ingreditur, alter tutus non sit, quàm si volente domino ingrediatur: id quod necessariò etiam ad legatum trahendum esset: sed qua ratione nunc admissio legatorum necessitatis est, si à voluntate Principis admittentis pendet? Quicquid igitur Hornius de majestate Principis dicat, hanc in læsione legati semper etiam lædi, & sic Dei vicarium per eundemque integram communionem offendi, in Principe, qui hostis est, cessare, nec applicari posse, satis constat, quia aliàs non solùm omnia bella, quæ gerunt inter se publicæ potestates, injusta irritaque essent, sed ferè etiam jus gentium usu suo careret. Imò si quis de re, ut se verè habet, velit differere, dicendum videtur, majestatem in Principe ad exteros planè non pertingere, & propterea non lædi imperium per læsionem Principis. Ratio assertionis se ipsam ingerit. Nimirum majestas & omne imperium territorium subditosque afficit, extraneis autem neque imperare neque præcipere potest. Atque hinc natum est, quod in ore vulgi est, extra suam jurisdictionem jus dicenti impunè non pareri. Hinc unà operâ infero, si majestati cum extraneis nihil est negotii, sequi, eandem ab iis non violari. Principis majestas extraneis nihil jubet vel vetat, ergo nec contraveniendo in majestatem peccare possunt. Manet hæc obsequii gloria solos subditos, qui imperio civili subsunt, & superioris voluntati obligantur. Horum inobedientia majestatis indignationem incurrit, externos ab obsequio negatio imperii liberat. Quin si Principis majestas ab extraneo Principe lædi posset, sequere-

Digitized by Google

queretur, eundem læſæ majeſtatis reum arguendum eſſe; Nam læſa majeſtas immediatè læſæ majeſtatis crimini connectitur. Sed hactenus ab omnibus in id unanimi itum eſt conſenſu, tam enormi delicto non niſi ſubditos ſubjacere. Sequitur ergo, non niſi ſubditos majeſtatem lædere poſſe. Hunc enim arguendi modum firmiſſimum arbitror, qui non conveniri poteſt de læſa majeſtate, ille nec majeſtatem lædere. Et qui majeſtatem lædere poteſt, ille eſt læſæ majeſtatis reus. Termini hi ſunt adeò convertibiles, ut infallibilis ab uno ad alterum tranſitus & ſequela detur. Quodnam verò erit aliud certius fundamentum, poſtquam conſenſum gentium & majeſtatem Principis repudiavimus, in quo ſecuritati legatorum conſultum ſit? Neque enim ſufficit aliorum incertas vel mancas refutare traditiones, requiritur inſuper, ut expleamus, quod in alio deſideravimus, & rem ex genuina eruamus ſcaturigine. Suprà *ad l. 1. c. 1.* fundamentum obligationis juris gentium quæſivimus in objecto, i. e. connexione & contextu Rerump. ad invicem, latèque oſtendimus, omnes actus, de quibus jus gentium præcipit vel vetat, ita comparatas eſſe, ut neceſſariò mutuum inter gentes reſpectum involvant, & morali relatione omnibus communes ſint, adeò ut non poſſint non ad omnes populos ſimul pertinere; Videamus igitur in ſpecie quoque, an talis Rerump. relativa qualitas de ſecuritate legatorum proſpexerit, ut eorum violationem jus gentium puniat, id quod ſine operoſa deductione facilè cuivis patebit. Conſtitutis Rebusp. cùm gens gentem vicino imperio contingere cepiſſet, fieri

fieri non poterat, quin sæpiuscule variis de causis agendum cum Principibus conterminis esset; Hoc enim & mutuus commerciorum usus postulabat, & amicitiæ fœderum sancta societas, & si quas injurias populus ab alio accepisset, repetitum res mittendum erat, aut bellum indicendum. Imò in ipso etiam bello multa incidebant, quæ colloquiis magis & pactionibus, quàm armis expedienda fuerant, ut induciarum fides, & utrinque cæsorum honesta sepultura. Ita quoque pax unicus belli finis nunquam sanè coalesceret, nisi antè inter partes de conventionibus & satisfactione actum fuerit. Quoniam autem non semper commodum, imò periculosissimum Imperanti foret, alienæ se concredere fidei, & super negotiis publicis ad hostes vel non adeò amicos ire, Reip. necessitas salutari invento rem ad legatos deduxit, qui publica omnium gentium fide securi, imò sacrosancti, summarum potestatum placita hinc & inde ferunt, donec ab utraque parte habito tractatu in unum conventum sit: Hos autem inviolabiles jus gentium effecit, & eorum securitati gravissimis cavit suppliciis, quia nemo aliàs facilè munus illud in se esset susceperturus, quod nullis munitum privilegiis omnium injuriis pateret. Fundatur itaque intemerata legatorum sanctitas primariò in morali illo Rerump. coagulo, & relativa necessitate, cùm impossibile sit, ut per legatorum violationem non simul communis omnium gentium tranquillitas & consociatio, imprimis verò mittens lædatur, cujus personam legatus sustinet. Secundariò verò & à posteriori firmatur insuper præsumpto popu-

populorum consensu, quia non potuerunt non in id consentire, quod gentium quieti tam salutari efficacia providet, & arctissimam vinculorum compagem conservat, quæ Resp. perpetua sociat libertate, quicunque igitur contra faxit, ipso facto se hostem gentium & præcipuè læsæ Reip fatetur, contumeliaque, quibus contra jus legatos affecit, præsentissimo supplicio luet. Neque solùm Principi, in quem injuria redundavit, vindicta competit, sed & aliis gentibus licitum est, imò ferè ex officio tenentur, afflictis opem ferre, & contra temerarium juris gentium violatorem communi auxilio animadvertere, ut impius homo condignam sceleribus pœnam sentiat, exemplo ad alios dato.

Quod ab hoste armato veniret.] Sufficiens hæc sola causa non est ad legatos rejiciendos, nisi specialiores rationes concurrant. Multa inter hostes accidunt, quę internunciis expediri debent, & magno omnium populorum incommodo omitterentur Si hostis armati ad alium legatos missos non oporteret admittere, nunquam sanè pax fieri posset, quæ tamen omnium bellorum finis est. Interdum ob singulares causas non admittuntur legati, non tam quòd veniant ab hoste armato, quàm quòd legatus suo facto aut intentione se privilegiis juris gentium indignum reddiderit; V gr. si certum sit, eum nō super pace aut negotiis publicis, sed ad seditionem concitandam, civiumque sollicitandos animos venisse. Si non legatus, sed explorator, si ad tempus extrahendum, eaque morâ rebus domini sui consulendum, & hostium, ad quos missus est, nocendum venerit. Si

similà

simili fallacia jam sæpè aliis illusit, aut aliis modis legati ingenium suspectum est. Hæ & si quæ sunt aliæ rationes civiles exceptionem à regula dant, generale jus non constituunt.

*Adeo.] Atheum, sicuti & hæreticum legatum qui rejicit, juris gentium animadversionem non effugit, quoniam hoc de actibus populorum publicis constituit, quà populi sunt, quà fideles verò aut infideles, quà pii aut impii, quà orthodoxi aut hæretici, nihil curat. Sed nec alia ratio est, quæ infidelem excludat; nam & Christianis cum gentilibus licet non solùm conversari, sed & sub una Rep. vivere, ut in primitiva Ecclesia omni tempore contigit. Nisi fortè atheus legatus aut infidelis in contumeliam ejus, quem accedit, missus esset. Sed hic casus iterum est exceptio à regula, non ipsa regula.

§. 4. *De non violandis.] Tractat hoc argumentum fusè & eleganter *Joh. Frid. Horn. de Civit. l. 2. cap. 8. thes. 6. &c.* ubi solidissimis rationibus Grotium nostrum *ad h. §. 4.* refutat, & adversæ accedit sententiæ, quæ legatos hostilia patrantes subjicit animadversioni illius Principis, in cujus pernitiem hæc machinati sunt. Imò ipsa præjudicia Livii & Sallustii adeò dextrè explicat, ut omninò contra Grotium magis faciant, quàm ut ei faveant. Præsertim quòd Grotius in loco Sallustii æquum & bonum interpretatur de jure naturali, id Hornius multò meliùs ad exceptionem à regula generali refert. Equidem privilegia pro legatorum incolumitate eis aliquid contra jus commune tribuunt, nam, cùm hostem, ubicunque repertus est, occidere liceat, legatum nullibi

Digitized by Google

nullibi violare licet, ſed hæc ſecuritas non extendenda eſt ad eum caſum, quem jus gentium noluit comprehendere. Non opus eſt, ut ampliſſimo diplomatate malitiam in inſontes armemus, ſufficiat legatis, ſi tuti ſint & ſecuri, quamdiu intra honeſtatis terminos manſerint, & illam qualitatem retinuerint, quam jus gentium ipſis communicavit. Omnis legatio, etiamſi ab hoſte venerit, aut hoſtilia in mandatis habeat, nihil hoſtile agere debet, ideo enim & inter hoſtes tuta eſt, quia accedit non tanquam hoſtis, ſed velut amicus, qui mutuo colloquio velit res utrinque neceſſarias agere & conficere. Quod bene Clodovæus obſervavit, quem ita dicere ſolitum novimus, *inter arma ſolam legationem pacis ſequeſtrem eſſe, exuere hoſtem, qui legatione fungitur.* Quando verò legatus à pacifico oratore in hoſtem tranſit, indignus jurisg. tutela eſt, & idem gentium jus concedit legatum punire, non ut legatum, ſed ut hoſtem, ut latronem, ut inſidiatorem, ut exploratorem, ut ſeditioſum concitatorem. Sed jam deſino agere, quod ante me meliùs jam laud. Hornius egit, quem hîc cum Grotio conferre tam utile, quàm neceſſarium eſt.

§. 5. *Ita demum, ſi admiſit.*] Admittenda tamen ſemper legatio eſt, niſi rejectionis juſtæ & prægnantes cauſæ adſint: non in mero ejus, ad quem legatio tendit, arbitrio id eſt poſitum, ſed neceſſitatis eſt, niſi periculum ſubſit.

Per quorum fines non acceptâ veniâ.] Ego ita contra Grotium cenſeo. Sacroſanctos inviolabilesque legatos eſſe debere non tantùm iis, ad quos mittuntur, ſed & omnibus omninò, per

quorum fines iter eis faciendum est. Idque sine dubio intendit jus gentium, quia aliàs securitas illa publica maxima sua parte frustranea esset, sæpissimè enim legatos ad remotiores mittimus, quibus per aliena eundum est, si ad eum, ad quem missi sunt, pervenire velint. Neminem insontem ubicunque pacificè se gerit, lædere jus naturæ suadet, quod principium deinde legatis jus gentium singulariter applicuit, & ex ratione publica universali jussione sancivit. Nam non potest fieri, quin violatio legatorum, à quocunque facta sit, ad injuriam mittentis redundet, & violans juris gentium reus fiat. Ut nullo modo concedere Grotio possim, in tali legatorum violatione, *non illud jus gentium, de quo agimus, sed amicitiam & dignitatem, aut ejus, qui misit, aut ejus, ad quem eunt, violatam censeri.* Nam de libero inter populos commerciorum per legatos habendorum exercitio non impediendo jus gentium cavit, & transgressorem committit vindictæ ejus, cujus legati violati sunt, & aliarum gentium commune spondet auxilium. Jam non minùs ille impedit commerciorum libertatem, qui legatos per suum territorium pacificè euntes violat, quàm is, ad quem missi sunt. Quare non minùs etiam contra jus gentium delinquit. Decet quidem, ut mittens petat transitus veniam, sed is, à quo petitur, nisi justas causas habeat, negare non debet.

Nam siquidem ad hostes eorum.] His & similibus casibus legati retineri aut etiam puniri possunt, quia in terminis amicæ legationis non manent,

Digitized by Google

manent, ſed ipſo facto ſe hoſtes profitentur, qui hoſtibus meis ſeſe adjungunt.

§. 7. *An jure talionis.*] Nemo innocens ob delictum alterius puniri poteſt. Utut igitur Princeps legatos alterius violaverit, talio ceſſat niſi & ii, qui mittuntur, in crimine participaverint. Vid. omn. *Joh. Frid. Horn. de Civit. l. 2. c. 8. theſ. 11.*

§. 9. *Capi non poſſe.*] Si bona legati propria ſint, & à domino ejus ſatisfactio jam aliquoties petita obtineri non potuit, debitum verò ſit liquidum vel chirographo, vel ipſius legati confeſſione, his omnibus circumſtantiis concurrentibus bona legati in ſolutionem aut pignoris loco rectè capi poſſe arbitror, quoniam debitum exigitur à legato, nulla infertur injuria. Et non favet hactenus jus gentium legatis, ut eos voluerit à ſolutione æris alieni indemnes præſtare, ſi citra diſpendium legationis ſolvere poſſunt, quod in propriis rebus ſemper præſumitur, quoniam Principis eſt, legatum opibus & neceſſariis impenſis inſtruere, ut propter rei ſuæ in ſolutum datæ jacturam nihil incommodi legationi metuendum ſit.

§. 10. *Regibus, qui cogi nequeunt.*] Par parem cogere jure poſſe ſuprà Grotius rectè aſſeruit. Sine dubio igitur hîc vel de ſubditis loquitur, qui jus cogendi ſuperiorem ob moralem inferioris ordinem non habent, vel de coactione, quæ profluit ex imperio. Ita enim ſaltem verum eſt, Regem à Rege vi imperii cogi non poſſe; Cogitur interim iis remediis, quæ inter ſummas poteſtates jus gentium ſui juris conſequendi causâ inſtituit.

CAPUT XIX.

DE JURE SEPULTURÆ.

DE variis homines sepeliendi modis, vid. *Alexandrum ab Alexandro, Dier. gen. l. 3. c. 2.* ubi videbis, gentes quasdam magnificum sepulchrum in avium aut canum ventribus quæsiviſſe.

§. 5. *Exceptionem eorum.* Reprobatur hæc exceptio à noſtris Theologis ferè omnibus: *vid. Ziegl. ad h. §.* Illud tamen defendi poſſe exiſtimo, eum, qui mortem delicto aliquo meruit, à magiſtratu ſine peccato poſſe adigi, ut ſe loco carnificis ipſe occidat, v. gr. gladii acumine pectus feriat, aut laqueo cervicem elidat: &c. quia nihil juſtitiæ intereſt, per quem executio fiat. Nam nec hoc dubitant, datum reo venenum ab ipſo ſine peccato ebibi, ſi legitimo modo ad mortem condemnatus ſit. Quantum verò intereſt, veneno te interimas, an juſto magiſtratus juſſu pectoris penetralia ferro ſcrutere.

CAPUT XX.

DE POENIS.

§. 1.

Malum paſſionis.] Stoici, qui nihil malum præter vitium, nec bonum quid præter virtutem agnovere, ſupplicia, mortem, laborem, inediam, aliaque corporis incommoda ad res adiaphoras & indifferentes referunt, nec beatiorem ſapientem exiſtimant, qui omnibus fortunæ

&c

Digitized by Google

& corporis bonis affluit, eo, qui est in tauro Phalaridis. Peripatetici verò, qui hominem non solo animo & ratione, sed corpore etiam constare & absolvi animadverterunt, juxta hæc duo duplicia quoque bona per se expetenda, animi sc. & corporis faciunt, quibus deinde totidem mala contradistinguunt. Animus nobis pro tempore non est, utrorumque rationes examinando ostendere, Stoicos Angelum magis, omnis materiæ expertem, quàm hominem corporeum considerare, & fingere sapientem suum, non facere. *Vid. Cicer. de Fin. l. 4. & 5.* Illud pro comperto habemus, per plures inani verborum fiducia in scholis & inter pocula multa de morte doloribusq; contemnendis, de periculis, de cruciatibus ad affectandum Stoici nomen crepuisse, quos si quis cum Epicteto interrogasset, πόθεν εἴδες? sine dubio respondissent illud, ὅτι Ἑλλάνικος λέγει ἐν τοῖς αἰγυπτιακοῖς. Quasi verò adeò rigidam & penè inhumanam Stoicorum disciplinam verbis magis quàm opere ipso & exercitio addiscere oporteat; quàm multi sanè fuerunt, qui externa morum austeritate & inculto corporis habitu simulavere Curios, & vixere Bachinalia;

Hispida membra quidem & dura per brachia seta
Promittunt atrocem animum, sed podice lævi
Caduntur tumida, medico ridente mariscæ. (a)

Contra quos festivè admodùm eundem Epicte-

(a) Juven. 2. Satyr.

tum ita dixisse legimus;(a) τὶ γὰρ διαφέρει τοῦ αἰσχροῦ ἢ ὅτι Διογένης ὁ τῆ ἠθικῆ, ἢ χρύσιππος, ἢ ἀπολλόδωρος, ἢ βιβασάνικας ἦν αὐτὸ καὶ δόγμα σεαυτῦ ποιῆσαι. δείκνυε πῶς ἔωθας ὁ πλοίῳ χαμάζεσθαι. μίμησαι ταύτης τῆς διαιρέσεως, ὅταν ψοφήσῃ τὸ ἰσχίον, καὶ ἀναπαυομένοντί σοι ἐν τῆς κακοσχολίας ταύτης αὐτῆ, λέγε μοὶ σὺ πρὸς τοὺς ἀλιεῖς, ἃ πρωὶ ἔλιγες, μὴ κακία ἐστὶ τὸ ναυσιῶσαι; μὴ τὶ κακίας μετέχον, ὦ ἄρα ξύλον ἐστίσεις αὐτῆ; τὶ ἡμῖν καὶ σοὶ, ἄνθρωπε; ἀπολλύμεθα, καὶ σὺ θέλων παίζεις. ἂν δὲ σε ὁ Καῖσαρ μεταπέμψηται κατηγορήσοντα, μίμησαι τῆς διαιρέσεως. ἂν τὶς σοὶ αὐτοῦντι καὶ ἀχρειοῦντι ἅμα καὶ πρίαντι προσελθὼν εἴπῃ, τὶ πρίασαι, ὦνθρωπε; περὶ τίνων σοὶ ἐστὶ ὁ λόγος; μήτι ἔσω ὁ Καῖσαρ ἀριστᾷ καὶ κακίαν τοῖς εἰσερχομένοις δίδωσι; τὶ μοὶ ἐμπαίζεις καὶ σὺ πρὸς τοῖς ἡμοῖς κακοῖς; ὅμως φιλόσοφε εἰπὲ μοι τὶ πρίασαι; μὴχὶ θάνατός ἐστι τὸ κινδυνευόμενον, ἢ δεσμωτήριον, ἢ πόνος τοῦ σώματος, ἢ φυγὴ, ἢ ἀδοξία; τὶ γὰρ ἄλλο; μήτι κακία; μήτι μετέχον κακίας; σὺ δὲ τίνα πρὸς ταῦτα ἔλιγες; τὶ ἐμοὶ καὶ σοὶ ἄνθρωπε; ἀρκεῖ ἐμοὶ τὰ ἅμα κακά. καὶ καλῶς λέγεις· ἀρκεῖ γὰρ σοὶ τὰ σὰ κακὰ, ἡ ἀμάθεια, ἡ δουλία, ἡ ἀλαζονεία, ἣν ἀλαζονεύῃ ἐν τῆ σχολῆ καθήμενος. τὶ τοῖς ἀλλοτρίοις ἐπαλλοτρίζῃ; τὶ ξωικὸν ἔλιγες σεαυτὸν τηρεῖτε ὅπως ἐκείνῳ ἐν εἶς πράσητε, καὶ ἐυρήσετε τίνος ἕνεκ' αἱρέσεως. τὰς πλούτους ὑμῶν ὑπερκρείττους ἐυρήσετε, ὀλίγως τινὰς πιεστικὰς, καὶ τούτους ἐκλελυμένους.

Malum actionis.] Objicit Dn. Ziegl. angustiorem esse definitionem hanc suo definito, *quòd omnis pœna peccatum sive delictum præsupponat, peccatum autem sit vel commissionis vel omissionis, quod ultimum non comprehendatur in definitione.* Frustra, quoniam peccatum illud omis-

(a) Apud A. Gell. Noct. Att. l. 1. c. 2.

omissionis semper sua natura & efficacia involvit quandam actus positionem, cujus respectu malum actionis dici potest. Sic cùm lex honore parentes afficere filios jubet, cùm patriam defendere, obedire superioribus, peccata omissionis contra legem affirmantem non minùs actualia sunt, quàm quæ scriptores commissionis dicunt. Qui enim non debito honore parentes prosequitur, contemnit eosdem, qui non defendit patriam, cùm potest, prodit, qui Magistratibus non obsequitur, repugnat, quæ omnia in mala actionum transeunt, nec ullum poterit mihi adferri exemplum, ubi à peccato omissionis ad illud commissionis non contiguus detur transitus, ut propterea de hac distinctione delictorum in commissionis & omissionis non immeritò dubitari possit, cùm omne peccatum omissionis, ut demonstratum dedimus, sit etiam commissionis, nec minùs peccatum commissionis omissionis, quia quicunque facit, quæ eum non decet agere, omittit ea, ad quæ agenda ex officio tenebatur: nisi hactenus quis velit aliquam differentiam agnoscere, quatenus in peccato, ut dicunt, omissionis præcedit omissio, & sequitur actio: in isto verò commissionis sequitur commissionem omissio: Neque enim in peccato omissionis priùs agere non debita potes, quàm debita omiseris, neque in peccato commissionis priùs omittere debita, quàm commisseris indebita, id quod tamen tanti non est, ut propterea singulari quadam divisione opus fuerit, imprimis cùm utrumque in debitorum omissionem & commissionem indebitorum collimet.

Quæ natura ipsa dictat.] Lex naturæ itemque ratio socialis præcipit quidem & dictat, ut sontes puniantur, quî enim aliàs communis tranquillitas, finis præcipuus magnæ illius inter homines societatis conservari posset? quo verò pœnæ genere, & à quo, id non adeò determinat, sed primum specialiori cujuslibet legislatoris curæ relinquit, alterum ordini tum naturali, tum civili. Eminet inter hos jurium conditores optimum Numen, quod Noæ posterisque ejus communia quædam & universalia præcepta totum humanum genus obligatura dedit, & quibusdam ex iis certam pœnæ speciem adjecit, quam nunc humanis potestatibus, quæ omnes divino imperio sine dubio subjacent, mutare vel negligere non licet, ubi chorum ducit, quod de homicida morte puniendo generalissimè statutum est. Non licet itaque Principibus effusi sanguinis reum lege eximere, quam non fecerunt, & tenentur omninò ad persequendum eum, qui terram humano cruore piacularem fecit, alio modo non expiandam, quàm ut ab ea tam detestandum facinus nocentissimo sanguine abluatur; A quo verò exactio pœnæ institui debeat, naturali quidem ratione nihil aliud constitutum est, quàm ut quicunque sontem punire rectè possit: in ordine autem sive domestico sive civili jus puniendi ad eum spectat, qui civitati præest, sicut in §. 3. & 8. fusiùs patebit.

Latet culpa, ubi non latet pœna.] Vide quæ notavimus in Prolegom. ad verb. *Jus Dei.*

§. 2. *Sed an ad assignatricem.]* Difficilem hanc quæstionem fecit apud JCtos & Ethicos non tam

tam perplexa ipſius negotii natura, quàm peregrinus terminorum mathematicorum in doctrina morali uſus, quos cùm alii aliter, omnes tamen ſic explicarunt, ut penitiorem rei cognitionem etiam magis involverent, mirum eſſe nemini debet, inter ipſos non potuiſſe convenire. Sic enim hactenus inter Ethicos plerunque univerſos creditum fuit, formale juſtitiæ diſtributivæ conſiſtere in diſtribuendis rebus à toto ad partes juxta proportionem geometricam. Commutativam autem obſervare commenſurationem ſimplicem & proportionem arithmeticam nullo perſonarum habito reſpectu: in qua proportione arithmetica atque geometrica adeò juſtitiæ utriusque formalem rationem conſtituunt, ut nullo modo ſibi ab ea diſcedendum eſſe exiſtiment. Sed Grotius in *l. 1 c. 1.* & nos ad eum fuſiſſimè docuimus, neque ſatis rectè in terminis matheſi propriis rerum moralium formalitatem & eſſe proprium conſtitui poſſe vel debere, neque proportiones illas ex omni parte convenire utrique juſtitiæ, quin potiùs in vera applicatione omninò deficere, ſatisque multos in moralibus errores peperiſſe, neque non omninò dari priores, magisque ad argumentum accommodatos terminos, quibus licèt juſtitiæ tam diſtributivæ quàm commutativæ exprimere indoles & operationes, quare etiam hîc nobis ſecundùm ea, quæ *add. l.* ſufficienter diſputavimus, procedendum erit, & haud apparebit difficulter, ad utram juſtitiam pœnæ & earundem exactio pertineat. Rem autem paulò altiùs ordiamur. Cùm omnipotens orbis hujus tam eleganter, tam ad omnium re-

rum ordinem & mirabilem concentum compositi conditor hominem etiam divina ratione præditum & omnium rerum terrenarum dominum feciſſet inter alia naturæ humanæ infinita dona illud quoque non poſtremis, ſed ſoli homini propriis adnumerandum eſt, quod eundem ſociali appetitu inſtructum hoc duce tam nobili ad politioris manſuetioriſque vitæ conſuetudinem perduxerit, & hoc modo nos omnes inter nos ipſos reddiderit ſocios atque neceſſarios. Continuò teſtatus eſt Deus noſter hunc naturalem mutuæ conſociationis ſtimulum in primis orbis vix penitus abſoluti diebus, negando homini bonum eſſe, ſi ſolus fuerit. Ratio non alia, quàm quòd divina benignitate appetens ſocietatis animal primus Adam, noſtrorum ſtirps & origo, creatus fuerit; qui talem appetitum in ſocia conjuge exultante animo continuò exercuit, neque enim illam paranympho ipſo Deo ſibi traditam ferus & ἀπόλιτος rejecit, ſed vivida comitate complexus eſt. Atque hæc ſunt prima hujus naturalis ſocietatis incunabula, ſc. congenitus appetitus, quo ad ſocialem rationem ferimur. Acceſſere dinde quædam aliæ cauſæ, quæ eam vel neceſſitudine vel utilitate commendabiliorem faciunt. Ac primò quidem, cùm omnes ab uno communi parente orti ſimus, inter nos etiam revera fratres & jura fratrum eſſe oportet, nec propterea nobiliores & potentes infirmos vel plebejos contemnere decet, quia quò longiùs ad ſtemmatis noſtri initia recurrimus, hoc ignobiliora deprehendimus, & tandem ad agricolam deveniendum eſt, à quo cuncti deſcendunt. Deinde

inde cum ipsis humani generis incrementis cepit societas, dum amor conjugalis primos parentes sibi invicem, filios deinde parentibus naturalis ille cum ipso materno lacte haustus conciliaverit, donec in familiam numerosiorem & tandem civitatem duce natura multitudo excrevisset. Successu temporis cariorem fecit societatem metus à potentioribus & rerum indigentia, quæ res homines solitarios miserè affligebant, eosque ad civitatem sua sponte pronos æquabili juris & æqui administratione omniumque rerum sufficientia magis magisque inclinabant. Quoniam verò, ut diximus, societas inter homines est, jura quoque communia esse oportet, ad modum & rationem societatis ordinata; nulla enim societas sine juris communione esse vel durare potest. Est autem in hoc genere jus omne id, quod justum est, & justum id, quod injustum non est; Injustum verò dicitur, *quod naturæ societatis ratione utentium repugnat*, (*a*) Hinc justum erit, quod naturali illi societati ratione informatæ convenit. Atque ex hoc jure sive justo nanciscimur homines moralem quandam qualitatem agendi conducibilia societati, & quæ ad eam ducunt, pellendique contraria: quæ qualitas iterum vel perfecta est, & facultas dicitur, seu jus strictè sic dictum, quæ homini potestatem dat ad aliquid agendum vel habendum jure suo constituto. Vel minùs perfecta, & vocatur aptitudo ad aliquam rem, quam tamen mihi petere licet, non jure meo exigere. Sicuti istam differentiam *ad d. c. 1. l. 1.* pluribus exposuimus: Et facultas quidem

(*a*) Grot. l. 1. c. 1. thes. 3.

quidem Grotio dicitur respicere justitiam explo-
tricem, moralistis aliis communiter commutati-
vam; aptitudo verò, attributricem, aliàs distri-
butivam. Veniendo igitur ad nostram quæstio-
nem nervus omnis in eo positus est; ut explore-
mus, qualitas illa moralis puniendi fontes an sit
facultas & jus strictum, an verò aptitudo solùm
sine jure constituto? Non esse autem aptitudinem
tantùm, inde constare arbitror, quòd in hac is,
qui debet aliquid rationi consentaneum facere,
v. gr. exercere liberalitatem, conferre officia &
munera publica, ab eo, cui hac ratione debet,
cogi non possit, nec propterea in jus vocari aut
compellari de satisfactione, si minùs dignum di-
gniori prætulerit. In pœnis res aliter se habet.
Ibi enim is, qui debet pœnas, nimirum noxius
criminis, strictè debet, sic ut ad supplicium jure
coactivo trahatur, nec relinquatur ejus arbitrio,
velit ne an nolit noxam, quam dedit, luere, sed
ad satisfaciendum ei, cui nocuit, omninò obliga-
tus est, & non nisi vi atque injuria exigenti pœnam
resistere dicitur. Ad fontem puniendum verum
jus habemus, ex voluntate delinquentis nobis
concessum, dum non potest non præsumi voluis-
se se subjicere correctioni & condecentibus pœ-
nis, qui homo particepsque juris socialis contra
illud nefario ausu delinquere sustinuit. Neque sa-
ne aliter publica quies conservaretur, si cuilibet
flagitium semper impune, plerunque etiam non
sine lucro esset. Ad petendum verò id, quod ju-
stitiæ attributricis est, extra aptitudinem habem,
nihil, sed arbitrio ejus, à quo petimus, v. gr. mu-
nificentiam aut donum, relinquitur, nobis, qui
re digni

re digni ſumus, an verò aliis eam collatam cupiat. Quod ſi electo minùs digno præterierit digniorem, nullum remedium juris tui aſſerendi cauſa tibi datur, licèt alterum rationi minùs conſentanea feciſſe rectè dicere poſſis. Et propterea apparere puto, ad diſtributivam juſtitiam exactionem pœnarum non pertinere, quoniam, ut jam expoſui, exiguntur pœnæ ab eo, cui verè debentur ex contractu involuntario, ut loquitur Ariſtoteles; quod verò ex juſtitia attributrice petitur, verè petitur, non exigitur jure aliquo: i.e. oſtendere te potes re, quam petis, dignum, & ut ex ratione naturali propterea diſtribuens tui potiſſimùm rationem habeat. Præter preces verò & aptitudinem nihil aliud habes, quo honorem vel rem petitam tibi liceat conſequi. Cùm econtra abſurdiſſimum ſit ſtatuere, eum, qui pœnam exigere vult, adverſus noxium non niſi precibus agere teneri, ut ſe patiatur puniri, quaſi dignus pœna ſit. Niſi enim aliud fortius quid delinquentem cogere poſſit, precibus præſertim in capitali periculo nunquam tantum dabit, ut ob ſolam illam aptitudinem punire velit, qua ratione unà impunitas in delictis & ex ea flagitioſorum audax impietas ruimperet ſanctiſſimam ſocietatis naturalis compagem, & in pernitioſiſſimam confuſionem ordinata jurium communium vincula diſſolverentur: Viſus præterea mihi ſum aliam in hoc genere arguendi viam excogitaſſe, unde manifeſtò ſatis liqueat, juſtitiæ diſtributivæ hîc locum non dari eſt verò talis, ut oſtendam ex ipſa pœnarum definitione, hanc juſtitiam repudiari. Nam pœna eſt malum paſſionis,

onis, ob malum actionis. Nunc colligo, qui pœnam debet, is ille est, qui deliquit, (ita enim rectissimè dicimus, criminosum debere pœnam, non pœnam criminoso deberi, quod absurdissimum esset, ut paulò pòst declarabo) & ob id, pati aliquid in pœnam debet: Erit igitur hic debitor, ut ita loquar, patiens. In justitia verò distributiva, debitor, seu is, qui aliquid ex ratione naturali & æquitate agere debet, ad quod tamen jure nequit cogi, est agens, non patiens, qui ille demum est, cui debetur, cùm in pœnis supplicia debeantur agenti, qui ea exigit: Ergo pœnæ non pertinent ad justitiam distributivam. Schema tale erit.

IN JUSTITIA ATTRIBUTRICE.

Debitor	Creditor, ut sic dicam.
Exercens, sive agens.	Patiens, seu is cui beneficium confertur.

IN POENARUM EXACTIONE.

Debitor.	Creditor.
Patiens sive reus.	Vindex.

Hinc cùm in justitia attributrice alius & planè diversus creditor sit, quàm in pœnis, & diversus non minùs debitor, imò contrarius, non possunt pœnæ ad illam pertinere justitiam. Relinquitur ergo justitia expletrix seu commutativa, cui optimis rationibus pœnæ vindicantur. Princeps nota & character justitiæ expletricis est, ut qui secundùm eam agit, habeat agendi vel petendi facultatem ex jure aliquo suo & constituto: at qui pœnas exigit, ut rectè punire possit jus puniendi habere debet: Et sicuti in commerciis hominum

jus

jus nobis quæritur ad aliquid petendum dari vel fieri ex contractibus voluntariis, dum inter contrahentes id agitur, ut aliquid sibi dari vel fieri, itemque dare & facere velint, ita non minùs in delictis ipso facto & crimine nocentis ex contractu quodam involuntario jus ad puniendum nascitur. Unde satis prudenter prudentiæ oculus contractus in voluntarios & invitos distribuit, quòd in illos duce voluntate eamus, his verò etiam inviti teneamur. Quamvis, qui rem rectè considerare vult, in delictis quoque aliquid voluntarii inveniet, ex tacita voluntate collectum, & naturæ contractuum congruens. Quemadmodum enim, qui tutelam suscipit, qui in communione est, qui negotia alterius gerit, ex re & ipso gesto se pupillo, socio & ei, cujus negotia gerit, obligasse censetur ad omnia, quæ contractus cujusvis natura exigit, etiamsi expressè nihil dictum fuerit, eodem modo criminis reus præsumpta sua voluntate, ex delicto collecta, ad pœnas condecentes se obstrinxit, & aliis in se jus concessit puniendi: quo intuitu in *l. 52. ff. de re judic.* delictum, & in specie furtum dicitur descendere ex malè contractu & delicto. Atque hoc rationi sociali apprimè conveniens est, quæ omnia, quæcunque appetitui societatis repugnant, eundemque nefario ausu affligunt, severè prohibet, cæterisque, qui de communione participant, dat facultatem conservandi sospes corpus, pellendique noxia. Quo modo verò universum humanum genus citiùs non dicam in confusissimas modò turbas, sed & omnimodam pestem & interitum detrudi posset, quàm si flagitiosis homi-

hominibus, qui virtutis justitiæque amore
taneo non ducuntur, deliquisse impunè f
quamobrem ne præceptum juris illius nat
neminem esse lædendum, sine externa eff
sit, concessa est hominibus facultas in scele
merito animadvertendi, & ita etiam jus pu
di ex lege est, quale ad justitiam expletricem
tinere non dubitamus: Accedit, quòd sic
schemate paulò antè proposito demonstrav
ideò non pertinere pœnas ad justitiam at
tricem, quòd in illis & hac diversi credito
debitores sint, ita ex eadem ratione justiti
pletrici locum esse ostendi potest. In Justitia
expletrice creditor est, qui aliquid ab alio ex
di jus strictum habet: in pœnis idem ille cre
cui debentur pœnæ, est vindex, qui jure ex
cto sibi constituto pœnas dare sontem jube
ri modo in laudata justitia ut debitor est,
quid coactivè & cum effectu peti potest. It
pœnis debitor erit nocens, cui etiam invit
næ, prout commeruit, irrogantur. Schem
rum tale est.

IN JUSTITIA EXPLETRICE

Debitor.	Creditor.
Reus, quem dare vel facere oportet.	Actor. Cui debetu quid dari vel fie

IN POENARUM EXACTION

Debitor.	Creditor.
Reus criminis, qui correctionem & pœnas debet.	Actor sive vindex pœnæ debentur

Ex quo ordine collocato nunc apparet, in ju

e

expletrice & pœnis esse eundem debitorem & creditorem, ob eamque causam ad hanc justitiam spectare pœnas: His ita ad naturam utriusque justitiæ explicatis, accedamus ad Ethicorum vulgus, ut nobis constare possit, quibus rationibus pœnis applicandis utantur, & quàm minimè mirum sit, inter utrosque non potuisse convenire, cùm etiam ii, qui in thesi rectè & nobiscum sentiunt, falsas sententiæ stabiliendæ rationes afferant: Procedamus verò sic, ut primò audiamus eos, qui pro justitia commutativa pugnant, pòst etiam illos, qui pro distributiva, quos simul videbimus tam putidè ab adversariis refutatos, quàm dilutè ipsi senserunt: adjecto brevibus, si quid nobis ad rejiciendas illorum opiniones visum fuerit, quamvis per se facillimè sit, uno ictu omnia utriusque partis præsidia tollere, negatâ, quod oportet, proportionis arithmeticæ & geometricæ in justitia particulari ratione, cui certè magis fident, quàm Hercules clavæ suæ. Sed ad rem. Quæramus igitur, cur ad justitiam commutativam pertineat pœnarum exactio? Respondebunt, quoniam pœnæ proportione non geometrica, sed arithmetica exiguntur: Sed unde vobis certum est, observari proportionem arithmeticam in pœnis? quoniam, inquiunt ex Aristotele, *nihil refert, si probus pravo detraxerit, an pravus probo; neque si adulterium probus an pravus commiserit.* Ad quæ verba Hornejus ita commentatur. *Nihil dici poterat disertius. Si homo aliàs probus, inquit, defraudet bipedum etiam nequissimum, non minus est fraus & injuria, quàm si pessimus defraudet optimum, adeoque res*

pœna digna: quod si pœna digna, puniendo non minùs est in ista persona, quàm puniretur in altera; Si enim persona dignitas non vetat, quò minùs sit delictum, quod delictum aliàs per se est, nec eadem impedire potest, ne pœna illa dignum sit, quam aliàs commeretur. (a) Expectas adhuc aliquid, bone lector? Nihil quicquam ultra dicunt, his solis proportionem arithmeticam probare volunt, puerilia, ita me Deus amat, ad hanc rem crepundia. Esto, idem peccatum peccare posse probum & improbum; quid inde? ergo hîc observatur proportio arithmetica? Quæ hæc sequela est? Si nihil refert, pravus bono detraxerit, an bonus pravo, si utrobique idem est peccatum, quomodo proportio? Est enim proportio seu proportionalitas plurium numerorum seu linearum comparatio. V. gr. ut 2. ad 4. ita 8. ad 16. ubi idem numerus, eademque linea est, nulla proportio locum habet. Sic quemadmodum inter 2. & 6. ad 4. nulla est proportio neque geometrica neque arithmetica, quoniam 2. & 6. cum eodem numero conferuntur, (licèt inter 2. 4. 6. esse quandam proportionem non ignorem) pari modo inter personam vilem, quæ loco 2. erit, & nobilem sive probam, quæ loco 6. sit, non potest esse quædam proportio ad idem delictum, quod numero quaterno notamus. Deinde observamus, non dari proportionalitates inter quantitates diversas, v. gr. lineam & numerum, sed conferendum esse numerum cum numero, & lineam cum linea. Ita quoque qui quærunt proportionem arithmeticam vel geometricam in pœnarum

(a) Horn. Doctr. Mor. l. 3. c. XIII. §. 3.

rum exactione, imprudenter diversa personas & res comparant, nulla enim datur proportio circa diversa, sed vel inter solas personas vel solas res ea quærenda est, si quæ est, sicuti inter solum numerum & solam lineam comparationem instituimus: Tertiò impossibile est, ut persona proba & prava, itemque utriusque delicta tam accurata ratione inter se distent, quàm proportio arithmetica requirit, v. gr. ut 2. 4. 6. 8. sive ut omnia eandem excessus differentiam habeant. Quod si enim vel minimùm aliter differrent, concideret proportio arithmetica, & una Ethicorum nobilis commutativa justitia; Non est proportio arithmetica inter 2. 3. 5. 6. quia numeri non eundem habent excessum, ita quoque si persona vilis minor esset unitate quàm proba, ad delictum verò excessus tum binarius, tum item unitatis inveniretur, proportionem quidem aliquam libenter fatemur, sed moralem quandam, non arithmeticam & mathematicam. Quartò, si unum est delictum, quod probus & pravus peccavit, si ad pœnam nihil refert; quorsum pertinent, quæ Hornejus paulò pòst *thes. 18.* prolixè disputat, & nobilem atque bonum virum mitiùs quandoque puniri asserit, quàm ignobilem & improbum, itemque expressè peccata non paria esse vel ad minimum paria non præsumi ostendit: qua de re tamen nos infrà plura, quando de pœnarum mitigatione sermo erit. Imò §. *seq. 19.* suppositio casu, commisisse delictum duos, unum virtute præstantem, alterum nulla virtute, utrumque tamen magis ex imbecillitate & affectu quàm proæresi, expressè fatetur, *esse nihilominus delictum illius*

hujus quam hujus. Ergo maximè omninò refert, probus pravo detraxerit, an pravus probo, id quod suprà negaverat. Quintò, eo ipse Hornejus suam proportionem arithmeticam destruit, quòd scribit, in pœnis *dignitatem personæ planè per accidens respici, simpliciter verò nudam adæquationem delicti & pœnæ.* Ubi jam manet proportio arithmetica? In omni proportione sive continua, sive discreta minimùm tres numeri esse debent inter se conferendi, iique non per accidens, sed simpliciter & per se. In pœnis verò simpliciter tantùm considerantur duo, delictum sc. & pœna: E. in pœnis nequit observari proportio sive arithmetica sive geometrica. Personæ enim ad complementum trahi non possunt, quia ipso docente Hornejo saltem per accidens considerantur; Si dicit, non unum delictum unius, sed plurium plura inter se conferenda esse; respondeo, minimè nobis ex amussim constare, quæ delicta ita inter se comparanda sint, ut unum ab altero, & secundum tertio, atque deinceps, eadem excessus differentiâ distet. Id quod requirit arithmetica proportio. Imò nulla omninò delicta talem ad invicem rationem exactè habere, intrepidè dico. Non solemus nec possumus mathematica certitudine res morales æstimare, & quævis disciplina suas sibi proprias proportiones habet, quæ ab imperitis solùm in alienum forum protrahuntur. Tandem Hornejus *hanc immotam proportionis arithmeticæ regulam ponit, tam nobilem quàm quemvis alium simpliciter tantùm plectendum esse, quantum alteri nocuit aut injuriæ fecit: Sive æquale esse debere*

debere delictum cujusq; & pœnam: (*a*) Unde verò hanc immotam normam eruerit, mihi non constat, illud pro comperto habeo, cujusque rei regulam ex natura & indole ejus domestica petendam esse. Proportio arithmetica verò est, ipso concedente Hornejo, cùm plures inter se numeri conferuntur, inter quos est eadem excessus differentia; At quibus terminis aut qua collectione inde simul id conficiatur, ut arithmeticæ proportionis sit, tam nobilem quàm quemvis alium simpliciter tantùm plectendum esse, quantum alteri nocuit, illud hactenus nescio: Libenter agnosco quidem, aliquam proportionem habendam inter delictum & pœnam, itemque quandoque personarum diversitatem, sed hanc proportionem moralem dico, & talem, qualem officium justitiæ expletricis, quod circa delictorum correctionem versatur, requirit, mathematicam, & in specie arithmeticam esse nego, quia ob suprà allegatas rationes fieri non potest, ut tali proportioni in justitia locus sit. Dimissa pro merito proportione arithmetica, accedant geometræ, &, quid sibi velint, audiant. Decepit eos respectus & dignitas personarum, secundùm quam aliter vel aliter in delictis jus dicitur: Hunc respectum ajunt proportioni geometricæ similem esse, & ideo pœnas ad justitiam distributivam pertinere, cujus character certissimus hæc proportio est. Nos, qui argumentis firmissimis negavimus, proportiones mathematicas ad moralia rectè applicari posse, nihil relinquimus adversariis, quòd contra nos disputent, nisi ut

(*a*) Thes. 19. d. l. III. c. 15.

ostendant, justitiæ particulari non alias, quàm arithmeticam & geometricam proportiones convenire, id quod tamen æternùm non demonstratum dabunt. Alii, qui his proportionibus locum relinquunt, & pro arithmetica stant, nihil adeò dicere valent, quin etiam in ipsa quæstione & causæ meritis multa absurda atque incongrua cumulent, refutanda iterum ab eis, qui contraria sentiunt. Descendamus tamen ad singulas eorum rationes, quibus justitiam distributivam defendunt, & videamus, tam quid ad eas solidè responderi possit, quàm quid ab aliis responsum sit. Sed ne cum omnibus nobis res sit, & contentio in infinitum crescat, demus eis patronum. Wesenbecium, qui *in Commentar. ad tit. de just. & jur. n. 11. &c.* multis argumentis adversus nos pro justitia distributiva stetit. Idque eò libentiùs, quoniam & Hornejus *Doctr. Mor. l. 3. c. XIII. thes. 11. &c.* eundem sibi Wesenbecium refutandum præ aliis sumpsit, ut hinc facilior nobis utriusque partis collatio constituatur. Primò itaque censet, legem in abstracto sine προσωπολη-ψίᾳ pœnam constituere, & id putat esse agere proportione arithmetica. Magistratum verò executorem legis punire delictum, remque ad proportionem geometricam reducere. Respondemus, non esse proportionem arithmeticam, imò vix proportionem, si simpliciter & uniformiter proceditur: itaque quæ lex hoc delictum hac pœna puniendum statuit, pœnam dicit, proportionem nullam constituit. Debet enim proportio minimùm in tribus consistere. Deinde executio à Magistratu facta, etiamsi personarum itemque circum-

circumstantiarum haberet considerationem, non magis tamen neque minùs observat proportionem geometricam quàm arithmeticam, quia non possum percipere, cùm neutra quadret, cur una magis quadret alterâ? Urget Hornejus, executionem legis nullam esse posse, nisi quum id fit, quod lex jubet: Bene quidem, si jussum legis tam expressum intelligit, quàm imprimis etiam tacitum, quod vi interpretationis extensivæ per rationes & alia adminicula, (*de quibus Hahn ad Wesenb. de Leg.*) legi consentaneum elicitur, & sic responderet fortasse Wesenbecius, se mentem legis tacitam imprimis respexisse, quam Magistratus plerunque venari & executioni adhibere debet; Nimirum illud certissimè apud omnes JCtos constat, loqui leges solere de iis, quæ fiunt ἐπὶ τὸ πλεῖστον, & communiter, nec ob rerum contingentium varietatem atque infinitam multitudinem loqui aliter posse. Quæ verò demum citra opinionem & expectationem emergunt, committuntur Magistratibus, qui viva legis vox sunt, & cuique jus suum secundùm æquius meliùs dispensare debent. Quod si itaque casus lege expressè non comprehensus incidat, prudenter Magistratus considerare debet, quid legislatorem moverit ad faciendam legem, & quid idem fuisset dicturus, si de hoc speciali casu consultus esset: Et quod deinde æquitati magis consentaneum deprehenderit, eam legislatoris mentem quoque fuisse præsumit, & secundùm eam negotium decidit: quomodo evenire non rarò potest, ut executio legis à lege quidem, quatenus verbis, & sensu, qui ex verbis colligitur, constat,

aliena, imò diversa sit, non tamen diversa à mente legis & æquitate. Ideoque non satis consideratè à Hornejo dictum est, *cum respectu personarum punire, quod lex sine eo puniendum sancit, non esse id facere, quod lex illa mandat, sed directè contrarium:* Lex enim jubere aliquid duplici modo dici potest: Uno, ut verbis jubet; altero, ut mente, non tam ex verbis quàm ipsa æquitate collecta. Hinc si lex homicidium, veneficium, indistinctè capite puniendum velit, Magistratus sanè, qui personarum respectum habet, v. gr. juvenes an adulti criminis rei sint, non contrarium legi facit, neque tamen etiam id, quod lex, ut sonat & ex verbis intelligitur, jubet vel sancit, sed potiùs quod legislator sanxisset, si casum talem inopinatum, quales interdum incidunt, prævidisset. Sic narrat (*a*) Bodin. de Francisco I. Galliæ Rege, cùm Præsidem aliquem nobilissimi cujusdá in Gallia judicii variorum & enormium criminum reum deprehendisset, insuperque alium Præsidis ministrum, qui cum domino scelera communicaverat, jussisse Regem Cancellarium utrosque condigna afficere pœna: Cancellarium item examinatis diligenter reis tandem sic pronunciasse, ut Præsidem confiscatione bonorum adustaque in frontem notâ infamem jusserit regno exulare, servum verò capite luere: Et Franciscum quidem sententiâ cognitâ per iram dixisse, corvum corvo non eruere oculum. Alios verò prudentes viros justitiam in condemnatione agnovisse: Ex quo patet, Cancellarium hunc non feciisse quidem, quod lex jussit, sed nec contra legem,

(*a*) l. 6. de Rep.

legem, verùm potiùs ad legis mentem & æquitatem, quemadmodum sine dubio ipse Franciscus, de peculiaribus Cancellarii sui rationibus edoctus, mutasset sententiam. Feliciùs illud Wesenbecio ab Hornejo objectum censeo, inauditum esse, ut alius justitiæ actus sit præceptum de re facienda, & alius actio ad præceptum conformata. Secundò, Wesenbecius circumstantias in delictis considerandas esse ait, consilia, dicta, facta, &c. Sed quid hoc ad proportionem geometricam? qua ratione mihi demonstrabitur, hanc circumstantiarum considerationem magis ad proportionem geometricam, quàm arithmeticam spectare? Hornejus objicit, nihil mirum esse, circumstantias inæquales pœnas facere, cùm delicta sint imparia, existimatque, circumstantias variare delicta, & alia ab aliis distinguere. Primò posset pro Wesenbecio responderi, nihil hoc ad rem facere, nec exinde magis constare, ad quam proportionem consideratio illa circumstantiarum pertineat: Deinde circumstantiæ non statim alia faciunt & diversa delicta, sed sunt quandoque non nisi delicti qualitates illud aggravantes vel elevantes. Qualitates verò rei rem ipsam non continuò immutant. Ita verbi gratiâ parricidium homicidium esse non desinit, qualitate tamen gravius fit, quòd pater filium aut filius occiderit patrem. Tertiò, opinatur Wesenbecius ideo justitiæ distributivæ locum esse in pœnis, quòd non solius pœnæ ad delictum, sed & personarum habeatur ratio, tam earum, quæ deliquerunt, quàm in quas delictum est commissum: Et hunc respectum efficere proportionem geometricam.

Verùm liceat hic mihi idem, quod in præcedenti Wesenbecii ratione dixi, repetere, me non intelligere, cur respectus hic magis quadret proportioni geometricæ, quàm arithmeticæ? Est proportio geometrica, cùm inter numeros plures invenitur eadem differentia multiplex: Ergo non nuda personarum itemque delicti & pœnæ comparatio requiritur, sed talis, ut inter omnia multiplex excessus differentia constituatur. Et si quandoque delictum, pœna & personæ distarent eadem excessus differentiâ, proportio esset arithmetica, non geometrica. Licèt ejusmodi excessus differentias in his contingentibus nullibi liceat exactè animadvertere, imò omninò non dentur, & ideo omnes hæ proportiones mathematicæ exulent, & moralibus veris atque genuinis locum relinquant. Hornejus alio sibi placet responso, *non rectè accipere vocabulum personæ Wesenbecium. Quoties enim in justitia distributiva dicitur haberi rationem personarum, nihil aliud intelligi, quàm locum & dignitatem, quam quis habet in Rep.* Quoniam hæc responsio præsupponit, nihil pertinere ad justitiam distributivam, quàm quod à toto inter partes ratione dignitatis & personarum proportionaliter distribuendum venit, facilè effugium is reperiet, qui essentialem illum characterem negaverit, id quod verissimè negare potest, sicut nos *ad l. 1. s. 1.* demonstravimus. Poterit insuper Wesenbecius replicare, utut in præmiorum distributione persona notet dignitatem vel locum, cujus intuitu præmium augetur & minuitur. Ubi tamen de pœnis distribuendis agitur, personas notare debere

bere ex re ſubſtratâq; materia qualitatem quandam, quæ ad delictum aggravandum vel minuendum aliquid momenti confert. Nec qualitatem hanc cum delicto & pœna collatam minùs efficere proportionem geometricam, quàm dignitatem collatam ad præmium & dignitates præmiaque aliorum: Illud inſuper benè notetur velim, qua ratione probat Hornejus, non poſſe obtineri proportionem geometricam in pœnis, eandem licere & contra proportionem arithmeticam retorquere. Ita verò procedit. *Ponatur, adulterium ſimplex, crimen eſſe duplo majus fornicatione. Duplex adulterium rurſus duplo majus ſimplici. Inceſtus totuplo majus delictum adulterio etiam duplici. Dico ſi juſtè puniti fuerint, ubi poſterioris pœnæ duplo major fuerit pœna prioris, ergo fornicator pœna loco pendat duos obolos, ſimplex adulter quatuor, adulter duplex octo, inceſtuoſus ſedecim.* Quâ inſtantiâ, ut intelligere videor, inferre vult, in progreſſu non poſſe pœnam ad capitalem extendi, ſi anterior relativa pecuniaria fuerit, quod tamen abſurdum eſſet. Sed quæro ego ex Hornejo, unde ipſi conſtiterit, adulterium ſimplex duplo majus eſſe fornicatione, & duplex adulterium duplo majus ſimplici? &c. Quemadmodum eſt duplo majus 4. 2. & 8. 4. Quod ſi enim ponere ſaltem ſufficit, ponamus & nos hæc eadem omnia ſimili & uniformi exceſſus differentiâ differre, & ſimilis quoque ratio proſcribet proportionem arithmeticam. Sed deſinamus tandem aliquando hæc fuſiùs perſequi, quando ad alia tranſeundum eſt; breviter illud verbo indicandum, eosdem

quoque

quoque scriptores non solere eodem modo in diversis paginis, sed satis inconstanter loqui. Jam enim inter diversa delicta proportionem quærunt, modò ad instituendam comparationem personas quoque, ætatem aliasque circumstantias adhibent, ut certi nihil definire possimus, quid magis voluerint. Quos equidem ego non admodùm miror, cùm impossibile fuerit, in argumento ancipiti, obscuro, & falso constanter loqui, imprimis ubi ipsi scriptores vix se intelligant, quid sentiant.

Id per consequentiam duntaxat evenit.] I. e. non primariò spectatur in pœnis illa comparatio inter minùs & magis delinquentes, sed potiùs æqualitas inter culpam & pœnam, & quidem non comparativè ad alia delicta, sed quatenus ab omnibus aliis abstrahit. Quod verò deinde alii, qui graviùs vel leviùs peccaverunt, magis vel minùs etiam puniantur, id per consequentiam est, quod illud delictum attinet, cum quo comparatio instituitur, nam si idem alter peccavisset, eandem pœnam debuisset subire, quoniam autem graviùs peccavit, graviùs etiam puniendus est. Pœnæ enim & supplicia ad modum delicti acui vel remitti debent.

Nec alterum magis verum est.] Hinc ratio illa, per quam probare conantur, pœnas non pertinere ad justitiam distributivam, quasi *non ita communes sint, ut pecunia distribuenda, ut singuli partem auferant, nec ideo puniatur aliquis, quia civis & pars communitatis est, Ziegl. h. & Hornej. Doctr. Mor. l. 3. c. 13. n. 13.* nihil hîc loci ad rem facit, quoniam negato, quod optimè

mè possumus, illo præsupposito, applicatio per se deficit.

Ut ipsi accedat aliquid.] Hoc ideo fit, quia, ut paulò antè ostendimus, in justitia distributiva is, qui debet, agendo debet, nimirum exercendo liberalitatem, misericordiam, &c. in pœnis verò debitor debet patiendo, pœnas sibi infligi. Et sic utrobique tam diversus est creditor, quàm debitor, sicut explicavi.

Quod planè est ἄτοπον.] Existimat Dn. Zieglerus, Grotium *hunc loquendi modum ἀτοπολογίας ideo arguere nequire, quia ipse suprà pœnam definivit per malum passionis, quod infligitur ob malum actionis. Ultrò enim infligi ex debito: deberi ergo & reddi nocenti pro delicto.* Sed hæc nihil Authori nostro nocent, neque magis evincunt, deberi reo pœnam. Infligitur quidem pœna ob malum actionis ex debito, sed non quòd debeatur ei, cui infligitur, verùm potiùs quòd nocens ipse debeat, & infligitur per modum exactionis, sicut creditor à quovis debitore jus suum exigit, non tribuendo nocenti, quod ejus est. Si enim ei deberetur pœna, propriè loquendo, ut mutuum, v. gr. debetur creditori, reus ad exigendam pœnam jus haberet, nec priùs puniri posset, quàm ipse exigeret, sicut nec à debitore mutui Creditori invito pecunia obtrudi potest, si eam perdere maluerit, & juri suo atque credito renunciare. Id quod pœnis applicare esset absurdissimum. Hinc non malè Hornejus *Doctr. Mor. l. 3. c. 11. thes. 17. asserit, certè jus suum reddi aut tribui, e. gr. furi, cùm suspenditur, aut jus ejus hoc esse, ut suspendatur, admodùm impropriè*

proprie dici. Cum jus in bonam tantum partem plerunq; accipiatur. Neque magis consideratè à Dn. Zieglero illud dictum utramque locutionem, pœnam debere reum, & eidem deberi, bonam veramque esse. Nemo in uno eodemque actu uniformi consideratione creditor atque debitor esse potest. Quod si itaque reus pœnam debet, pœna ei non potest deberi, sicut qui centum ex mutuo debet, eidem eadem illa centum sub hoc respectu deberi non possunt. Aut contra, si nocenti debetur pœna, eam debere nequit, quemadmodum creditor, cui mutuum debetur, idem non debet.

Quod ad contractuum naturam accedit.] *Si tamen verum fateri licet*, ait Dn Ziegl. *praestat omnem ex delictis obligationem aquitati potiùs & communi utilitati, quæ delicta puniendæ esse suadet, adscribere, quàm nimis remotum aliquem consensum, qui ad omnia hominum facta extendi potest, inter causas obligationis hujus referre.* Verùm multa suadet naturalis æquitas, ad quæ nemini jus est. Quæ etiam si in pœnis exigendis solam suasionem exerceret, deficeret jus strictum puniendi nocentes. Paulò antè non suadere, sed præcipere punitionem naturalem rationem dixit, quod præceptum obligationem veram inducere debet. Quare in asserendo vero ad puniendum jure æquitatem nominasse non sufficit, sed domestica scaturigo, unde jus illud oriundum est, ostendenda, nimirum socialis illa ratio, quæ sui conservationi studet, prohibetque contraria, & omnem vim injustam, quæ societati nocet, arceri jubet, itemque puni-

ri

ri facta, quæcunque frequenti exercitio naturalem compagem dissolverent, traditis summis potestatibus, nec non eis quoque, qui à nemine dependent, fascibus atque securi. Quò etiam consensum præsumptum referre rectissimè possumus, quatenus qui in societate aliqua quacunque vivere vult, censeri debet congruam institutis communibus vitam agere, aut consensisse ad se puniendum, ubi secus fecerit: qui consensus non ad omnia humana facta extendendus, sed objecto, circa quod versatur, applicandus, & de illo intelligendus est: non etiam de aliis.

§. 3. *Non autem quis punire debeat.]* Subjectum, cui jus illud debetur, consideratur, vel quatenus à societatibus tam simplicibus, quàm compositis abstrahit, vel quatenus sub iisdem comprehenditur. Illo modo natura sontem per quemvis hominem criminis non participem puniri permittit, nisi quèd videatur dare primas el, in quem directò peccatum est. Illo autem cessante, etiam aliis; quemadmodum actio violati sepulchri popularis est, & cuivis de populo competit, ante omnes tamen ei, cujus maximè interest, sepulchrum non fuisse violatum: Sic Cainus fratricidii reus continuò timuit, ne quivis sibi obvius condignas sceleris pœnas exigeret, & se occideret. In societatibus, quas imperium superioris instruit, & ratio naturalis, & communis utilitas requirit, ut jus puniendi apud eum sit, cui jus regendi omnem cœtum competit: Cùm enim omnis societas boni alicujus consequendi causâ instituatur, illæ sanè, quæ κατ' ἐξοχὴν rectoriæ dicuntur, inter bona illa, quæ intendunt, non postremum

ſtremum hoc habent, ne jus manuarium, quo Cyclopes uti ſolent, imbecillioribus nocere poſſit, ſed judiciis inſtitutis unicuique liceat jus ſuum, quod habet, juſtitia præſide perſequi, nec, qui fortiores ſunt, eo ſolo, quòd fortiores, etiam plus juris habeant: Spectant verò judicia & poteſtas jus dicendi ſemper ad eum, qui imperium habet, apud quem cauſæ & jura diſceptantur, lite per ſententiam, ut convenit & æquum eſt, tandem conſopitâ. Judicia autem vel de rebus civilibus vel criminalibus ſunt, & quia eorum inſtitutio opus ſolius imperantis eſt, exercitium quoque ejusdem erit, neque in tota ſocietate reperiri magis idoneus poterit, quàm hic, qui imperioſa poteſtate armatus ex præcepto & regula juſtitiæ vindicativæ in crimina animadvertit. Quod ſi enim quivis vindictam ſibi ſumere de alio vellet, quando eam à magiſtratu legitimo habere poteſt, jam non ordinata ſocietas, ſed ἀναρχία quædam & deterrima rerum confuſio eſſet, & fruſtraneum omninò imperii nomen, quod nemo ſuſpiceret. Neque tamen inde ſequitur, quoniam in quavis ſocietate jus vindictæ ad imperantem pertinet, & ab orbe condito etiam continuò ſocietates eſſe cepere, non poſſe caſum dari, quo privatum ſe vindicare deceat. Nam ubicunque judicia illa ceſſant, ibi neceſſitate morali reditur ad id, quod natura extra conſiderationem ſocietatum æquum eſſe ſtatuit: Verùm de privata vindicta paulò pòſt fusè agendum erit.

Ab æque nocente æquè nocens puniri non debeat.] Limitarem tamen ego, hanc ſententiam tum demum veram eſſe, quando is, qui punire vult,

vult, in eodem crimine, quod puniendum est, participaverit. Nam si v. gr. ipse hominem alterius occidisset, & alius occidisset suum servum aut filium, ab eo, qui sibi homicidio damnum dedit, pœnas exigere posse non dubitaverim, non attento, quòd & ipse homicidii reus sit, quia ei, cui nocuit, liberum est, si velit, eundem nocentem vocare ad pœnam. Neque in iis delictis, quæ punire Reip. vel societati interest, salvam regulam existimo, delictum delicto compensari. Quin potiùs in utrumque condignè animadvertendum est, quia meum crimen, quo ego tibi nocui, tuo eodem crimine, quo mihi nocuisti, non tollitur. Ut nunc taceam, jubente natura, si is, cujus primariò interest reum puniri, pœnam neglexerit, devolvi jus illud animadvertendi ad alios, ut tali compensationi locus nullo modo relinquatur: Defectum insuper patitur sententia Grotii, ubi Imperans peccavit. Is enim, etiamsi sceleratissimus homo fuerit, à civibus, qui criminis cujuscunque rei sunt, pœnas & correctionem exigit, ipse verò neutri pœnas dat, quoniam eum à supplicio imperium eximit, quod cives suspicere, non violare debent, hos verò nocentes idem illud in ordinem cogit. Nemo, qui ei subest, quem criminis reum esse noverit, puniendi jus habet, quoniam contra naturam & rationem socialem est, ut inferior cogat superiorem. Neque multum sibi gratulari debent, qui Magistratibus jus superiorem puniendi vindicant; Hi enim in respectu ad Principem merè privati sunt, & totum suum esse atque potestatem à majestatis concessione habent, qua in ipsam abuti non debent.

bent Momento possunt à Principe exauctorari, & in humillimorum hominum detrudi conditionem; Sola Principis voluntas potestatem, quam eis dedit, repetere valet, & repetiisse semper præsumenda est, quàm primùm in ipsum insurgere authorem, & quod beneficio superioris habent, in ejus injuriam retorquere volunt.

Non potest ullam auctoritatem habere.] Habet omninò sententia Principis etiam flagitiosissimi hactenus authoritatem, ut in nocentes & criminosos homines justè & legitimo modo vindicare possit, quamvis semet eadem sententia simul condamnet: A Seneca verò authoritatem non habere dicitur, quatenus decet eum virum optimum esse, qui bonis præesse cupit, & ad Regis exemplum tota civitas componitur. Qui si injustus, si parricida, si sicarius, si adulter, &c. fuerit, cives eorundem criminum reos condemnando de se ipso quoque ex naturali æquitatis capite, quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem utatur, idem jus dicit, & hoc modo authoritatem suam atque existimationem, quam bonis moribus & vitæ sanctitate apud cives debuisset conservare, amittit, dum nocens damnat nocentes, ita corvus eruit corvo oculum, quod fieri non convenit: Habet itaque sententia ejus, qui damnandus damnat, authoritatē ratione firmitatis & justitiæ. Non habet authoritatem, quia condemnando alium judex sceleratus se ipsum condemnat, licèt executio ob conditionem personæ locum habere non possit.

§. 4. *Non sequitur omninò puniendos.*] Jure naturæ hoc verum est, quo dignatio quædam ad

ad pœnas constituitur, nulla puniendi absoluta necessitas. Jus naturale largitur hominibus in ejus violatores castigandi facultatem, cujus ope etiam invitos ad supplicium trahere possunt, non tamen simul præcipit, ut omninò puniri debeant. Id quod exemplo Cain satis ostendere licet. Obstrinxerat hic se fratricidii crimine, & natura duce continuò intellexerat, mortem se sceleribus suis commeruisse, & occidi à quovis obvio justè posse. Deus verò ex infinita sua clementia & aliis peculiaribus rationibus reum pœna temporali absolvit, & non solùm septuplicis vindictæ comminatione, sed & insigni charactere à persecutione securum fecit, haud dubiè non facturus, si jus naturæ omnimodam puniendi noxios inferret necessitatem. Neque enim Deus circa ea, quæ juris naturæ sunt, dispensare potest, multò minùs contraria facere, faceret enim contra se ipsum, quod inter absolutè impossibilia, & ea, quæ contradictionem involvunt, meritò refertur. Jure divino universali, quod post reparationem mundi diluvio obruti Deus generaliter ad obligandum omnes homines promulgavit, in quibusdam criminibus hominibus major pœnas exigendi injuncta est necessitas; Homicidium enim verum, i. e. dolosum & hominis innocentis, irremissibiliter morte expiari jubetur, addita ratione, ut terra iterum innoxiorũ sanguine inquinata noxiorum expiaretur. Hoc edictum nos universos obligat, & nulli Magistratus, quicunque sunt, necis gratiam reo facere possunt, quoniam ab ea demum lege dispensatio datur, de qua vel ipse legislator vel par, qui eam tulit, dispensare vult. Sed hanc

nullus legislator humanus legem fecit, quin potiùs ipse Deus. qui supremo imperio cunctos homines, ut creaturas suas, dirigit, & moderatur; Ergo nemo etiam alius, nisi Deus unicus, ab homicidii pœna absolvere potest, nisi fortè specialissimæ acciderent circumstantiæ, quas Deum generali jussione non comprehendere voluisse credibile esset. Sed de his paulò infrà, ubi de pœnarum remissione atque mitigatione agendum erit, ubi videbimus, non solùm ab hominibus privatis & Judicibus atque Magistratibus multa condonari rectè & cum laude justitiæ posse, contra quam opinatur Dn. Ziegl. h.

Ipso summi dominii jure.] De hoc summi in homines dominii jure jam suprà aliquid in Prolegomenis diximus: Cæterùm animadvertit hîc in Grotium sine causa Dn. Ziegl. quando notat, *hoc negamus, posse Deum creaturam præter meritum miseram facere, posse hominem jure summi & absoluti dominii æternis cruciatibus mancipare: posse homini sine nota injustitiæ quodcunq; malum inferre, vel ultra meritum culpæ, vel etiam sine culpæ.* Primò hæc frustra & sine ratione contra Grotium disputantur, qui in hoc §. id non agit, ut ostendat, posse Deum hominem sine culpa ejus & merito æternùm punire, nō id, inquam, dicit Grotius, sed potiùs illud, posse Deum homines punire non alio fine, quàm ut puniat, intellige tamen nocentes, & qui crimine aliquo se pœnis dignos fecerunt: cùm homines nec tales quidem sine alio concomitante fine emendationis aut reparationis punire debeant: Frustra itaque Zieglerus de hominibus jure divi-

no

no præter meritum puniendis differit, dum Grotio de hominibus noxiis & sceleratis sermo est, qui in pœnarum exactione jus divinum non ad innoxios hîc extendit, sed solùm ad alium finem, quàm ut sontes puniantur, non restringit. Deinde si quis sententiam Dn. Ziegleri extra Grotii intentionẽ considerare velit, is me suasore ita procederet, ut ante omnia neget quæstionem in rerum actu obtinere posse. Quando enim quæritur, an Deus solo supremi dominii jure homines innocentes punire possit? is aliquid verbis, re ipsa nihil quærit. Nam post lapsum protoplastorum humana nostra natura in tantum corrupta, & à sanctitate divina, cujus imaginem impressam habebat, devia facta est, ut impossibile sit reperiri innocentes, qui quidem apud Deum tales sint. Quis enim mundum inveniet apud illos, ubi nullus mundus est? Quare qui quærit, an Deus possit innoxios punire, is non meliori judicio quærit, quam si scire vellet, an homines, si angeli essent, essent incorporei, vel an, si essent equi, hinnirent: utrobique præsupponitur id, quod neque est, neque esse potest. Non magis homo, ut homo, potest esse equus aut angelus, quàm Deus insontem punire, ubi nullus insons est. Quod si verò quidam adeò curiosus sit, ut pernosse cuperet, num Deus potuisset jure summæ potestatis punire homines, etiamsi in statu integritatis mansissent, de eo, licèt valde periculosum sit aliquid statuere, ita sentio, antequam Deus cum hominibus in fœdus salutare descendit, & quasi societatem iniit, multa eum hominibus non debuisse, quæ post promissionem debere incepit; insontes ta-

men ideò non potuisse punire credo, quia prima homini cum Deo rationis est societas. Inter quos verò est societas, inter eosdem & jura sunt communia. Ubi jus est, ibi datur injustitia, juri contraria, quæ in Deum cadere nequit: quoniam igitur homo juris & rationis capax est, injuria ei fieret, si insons & nihil comeritus puniretur. Injuria autem de Deo dici nequit. Quanquam, qui rem rectè inspicere vult, facilè deprehendet, totam quæstionem, ita conceptam, *an Deus insontes jure supremi dominii punire possit?* implicare, nec habere ullum ingenium. Eo enim ipso, dum de puniendo loquimur, nocentes præsupponimus, quia, ubi nulla est culpa, ibi nulla pœna est, si quidem justa sit: Et si quid Deus in creaturas suas homines ante lapsum fecisset, v. gr eos iterum extirpasset & redegisset in nihilum, quod sine dubio ipsi licuisset facere, ipso fatente Dn. Zieglero, illud quidé suo fecisset jure, sed non in pœnam. Eodem modo potuisset Deus ante ullam promissionem hominem ratione præditum ratione iterum destituere, etiam nihil commeritum, quia cuius est dare rationem, ejusdem etiam est eam adimere. Verùm neque hoc in pœnam fieret, licèt hac privatione hominem miseriorem reddi facilè concedam, non obstante, quòd Dn. Ziegl. neget, posse Deum creaturam præter meritum miseram facere. Nam antequam Deus creaturis aliquid promisit, eisdem ad nihil tenetur, nisi quòd ipso creationis actu tacitè promisisse credendus est, inter quæ tamen ea non collocanda, sine quibus creatura esse potest. Ita actus, quo Deus creaturam rationalem fecit, i. e. communica-

tio

tio rationis, non importat perpetuitatem, & ut Deus absolutè teneatur hominem rationis participem pari. Equidem desinit homo per privationem rationis esse homo, sed hoc potestati divinæ nihil derogat, quia non censendus Deus est eo ipso, quo hominem creavit, eundem etiam perpetuò conservare voluisse, nisi id expressè promisisset: Ecce enim tibi totam hanc mundi machinam, quam mirabilis artifex infinitâ sapientiâ ad stuporem nostrum condidit: neque tamen perpetuam esse voluit, sed tandem aliquando conflagraturam: Sunt non pauca alia, de quibus, nisi certam benignissimi Numinis promissionem in sacris literis haberemus, adeò certi esse non possemus, inter quæ si immortalitatem animarum, resurrectionem corporum nostrorum, supremum aliquod judicium, & post hanc vitam beatiorem atque æternam retulerim, meo judicio non erraverim, neque enim hæc ex eo solo colliguntur, quòd homo animal rationale sit, posset enim esse ratione præditus, etiamsi neque animam immortalem haberet, neque aliquando esset resurrecturus, neque ulteriorem vitam sperare posset. Et existimo ego, ideo ad articulos fidei hæc omnia pertinere, quòd credenda, non ratione percipienda sint.

§. 5. Congruit quidem ei naturæ.] Commentatur ad h. §. Dn. Zieglerus, *attendantur verba hujus & antecedentis §. & apparebit, Grotium de punitione divina ita loqui, ut eam haud obscurè deducat ex affectu cum bestiis communi, & hoc ipso facit Deum homine deteriorem.* Sed nulla consequentia est: Deus potest jure absolu-

ti domini punire hominem criminosum, in eaque punitione nihil aliud spectare, quàm ut puniat. E. punitio divina deducitur ex affectu cum bestiis communi. Talem enim affectum, iram nimirum, qualem Grotius explicat, sc. fervorem sanguinis circa cor ob appetitum reponendi doloris, qui appetitus per se caret ratione, & sæpè fertur in ea, quæ non læserunt, non dari in Deo, extra dubium est, in quo nil nisi purum justumque reperitur. Et dum Grotius punitionem divinam ex dominio Dei absoluto deducit, hunc appetitum satis luculenter excludit. Multa sanè Deus rectè & ex ordine facere potest, quæ homo nequit, quia interdum deficit in homine agendi facultas in horum actuum genere, in Deo verò, apud quem omnia sunt, adest: Sic hominibus, qui sibi invicem cognatione & ratione sociali junguntur, illicita est vindicta, quæ præter solam vindictam alium honestiorem finem concomitantem non habet. Ratio, quia appetitui societatis humano repugnat, lædere hominem ex mera vindicta & animi excandescentia, sicubi ad te & alios spes alicujus majoris utilitatis non sit redundatura: Deum autem hæc ratio non alligat: & profectò firmissima est instantia, quam à Grotio datam Zieglerus ne verbo quidem attigit, à Deo interdum nil nisi pœnas spectari solere, quòd post extremum judicium nulla expectetur ulterior emendatio: Nec rem conficiet, qui dixerit, fieri hæc talia ob finem ultimum, qui est Dei gloria. Nam quærimus nos de fine quodam pœnis proprio, v. gr. vel emendatione, vel exemplo ad alios, vel satisfactione; quorum omnium neuter

in

in die noviſſima & punitione damnatorum obtinere poteſt. Non emendatio, quia ab inferno non datur regreſſus. Non exemplum, quoniam boni & beati exemplo ampliùs non indigent, adeò in omni ſanctitate & juſtitia confirmati, ut quidem ne ampliùs labi poſſint. Mali verò & mancipia diaboli nullo ampliùs exemplo moventur, qui ſibi ipſis invicem exemplo ſunt. Non ſatisfactio. Nam, ut diximus, ab infernalibus tormentis non datur redemptio. Ergo nec ſatisfactio. Hi itaque fines in pœnis locum nullum ſibi vendicent, nec ſufficit adducere finem omnium rerum generaliſſimum & ultimum, Dei gloriam, ubi in ſpeciali argumento verſamur, cujus fines proprios, non aliis omnibus familiares explicare & intendere convenit.

In ſolo inimici dolore.] Vel hæc verba ſatis vindicationem ab humana illa mera ſeparant: Neque enim Deus hominem ita punit, ut ex ejus dolore voluptatem quandam & bonum quærat, quia nec voluptas, ut affectus quidam humanus, nec bonum imaginarium & falſum Deo poteſt attribui: Sed ideo condignis pœnis afficit, quia illas homo impius commeruit, etiamſi alium ſibi finem propoſitum non habeat. Nec obſtat, quòd interdum Deus ex ſupplicio peccatorum voluptatem capere dicatur, quoniam impropriè intelligendum; ut rectè explicat h. Dn Ziegl.

§. 8. *Ut tollatur.]* Reſtringit hæc verba præter rationem Dn. Zieglerus ad ſolam legitimam ſui defenſionem, dum *ad h.* §. ita notat. *Recta ratio prohibet omninò perimere eum, à quo tibi nullum imminet vitæ periculum præ-*

sens. Quando enim evitari possunt insultus, qui metuuntur, jubet ratio, & ei conjuncta caritas, ut quacunque ratione evites potiùs, quàm vitâ exuas nocturum, posthac fortè etiam non nocturum &c. Verùm tam strictè Grotius se intelligi non voluit, qui in genere utilitatem ejus, cujus interest non peccatum esse, itemque ne ab eodem vel aliis consimilia patiatur, explicavit, quæ non solùm in tuitione vitæ, sed & aliarum rerum consistit. V. gr. in suspensione furis ob res ablatas eadem versatur utilitas, ne enim ipse vel alius à fure iterum res auferendo lædare, laqueo tibi sufficienter cavetur, & leges civiles reum mortis eum faciunt, qui cum gladio cædis faciendæ animo in foro ambulaverit, etiamsi intentionem factum secutum non sit: Ita non minùs adulterium & alia multa crimina, in quibus nulla defensio legitima occurrit, capitalia sunt, & in pœnarum exactione utilitas ejus, cui peccatum est, spectari solet, non attentâ inculpatâ tutelâ, quoniam non solo insultu atque hostili invasione per modum moderaminis quis occidi rectè potest, sed & dantur alia delicta, quibus mortem meremur, & in omnium vindicatione hæc concurrit utilitas.

Qua ad exemplum pertinet.] Quæ ratio ferè unica est, cur executio criminalis non in carcere aut alio loco solitario, sed tanta semper ad horrorem composita pompa atque loco omnibus aperto fit, ut alii nimirum malo alieno sibi cavere discant.

Vindicatio privata.] Vindicta à vindicare est,

est, quod ulcisci, punire, aut castigare notat. Sic *Ovidius 6. Fast.*

Quiq; necem Crassi vindicet, ultor erit.

Significat quidem insuper à contumelia injuriáve aliquem liberare, ut Cicero de senectute usurpat, *est & senectus naturâ loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare.* Sed hic sensus à nostro scopo alienus est, & propterea nobis prior ille retinendus, à quo vindicta, quatenus ultionem aut pœnam infert, derivatur: de qua nunc paulò uberiùs disputandum nobis est, tum quòd argumenti nobilitas cum utilitate maxima conjuncta hanc opellam sibi dari omninò postulet, tum quòd Scriptores, qui de hac ipsa materia scripserunt, utcunque numerosi satis sint, eam ex omni parte non adeò absolvisse videantur, quin adhuc quædam enucleatiùs atque subtiliùs proponendi locus illis sit, qui ingenium hîc voluerint exercere: Accipitur autem vindicta variis in locis variè. Quandoque notat assertionem quandam vel attributionem juris cujuscunque, etiam personalis. Unde *in l. 6. C. de Exec. rei judic.* partes judicis sibi vindicare legimus, nec meo judicio multum errabit, qui hoc sensu vindicias secundùm libertatem vel servitutem datas intellexerit. Specialiùs verò vindicationem juris in re, & specialissimè ejus juris, quod dominium dicitur, indigitat, quemadmodum DD. in explicatione actionis, quæ rei vindicatio dicitur, fusiùs explicant. Cui affine est, quòd olim per certum quendam modum, qui vindicatio audiebat, legatum relinqui poterat, cujus relictionis præcipuus effectus is erat, ut legatarius continuò

post

post mortem testatoris in legato jus in re consequeretur, & illud reali actione persequi posset: Hodie omnes illi modi relinquendi legatum in effectu concurrunt, & triplici actione pro rei conditione legatario consultum est, ejusque arbitrio relictum, quam ad legatum consequendum intendere velit. *Vid. §. 2. I. de Legat. ibidemq; DD. Ludvvel. Bachov. &c.* Est & quidam servos manumittendi modus per vindictam, qui *in §. 1. I. de Libert.* à Commentatoribus sufficienter explicatur; Tandem etiam vindicta sive vindicatio sumitur pro pœna & ultione, cum quibus vocabulis reciprocatur, & rectè à Grotio ad hunc titulum de pœnis non modò in genere, sed & in specie vindictæ privatæ, quæ pœnarum certa quædam species est, tractatur. Neque aliam ego inter vindictam & pœnam differentiam agnosco, quàm quòd pœna dicatur de eo, qui illam sustinet, vindicta verò, qui delictum vindicat, & propterea pœnam nocenti infligit. Ipso enim sono & genuina indole vocabulum vindicta ad agentem se refert, sicut pœna ad patientem. Verbo, pœna pertinet ad eum, qui punitur, vindicta ad eum, qui punit. Relata itaque sunt vindicta & pœna, quorum uno posito, ponitur & alterum, nam ut quis vindicare crimen possit, pœnam reus meruisse debet: itemque uno intellecto, & alterum intelligitur, quia qualis vindicta est, talem quoque pœnam esse convenit, neque aliter judex vindicare poterit, quàm nocens meruit, neque nocens aliter meruisse, quàm judex vindicare: tertiò ponuntur simul, posità enim vindictâ in agente, continuò ponitur pœna in patiente.

Quæ

Quæ tres qualitates relationi propriæ sunt, sicut à Logicis traditur. Hoc modo ruditer delineatam vindictam sine hæsitatione definimus *illationem mali passionis ob malum actionis.* Nam si pœna est malum passionis ob malum actionis, ut rectè definivit Grotius, pœna autem à vindicta solo eo differt, quòd per hanc illa infligatur, sequitur sanè, genus vindictæ esse illationem, retributionem vel tale quid simile activum illius mali passionis, quod pœna dicitur: in quo genere simul specifica à pœna differentia latet, sicut jam explicavimus. Struvius *in tractatu de privata vindicta c. 1. aph. 5.* vindictam in genere dicit, *propulsationem injuriæ legitimam, sive defendendo sive ulciscendo fiat*: quæ definitio ferè cum nostra coincidit, modò vocabulum *injuria* sumas latissimè pro omni delicto, quod pœna dignum est. Ut ipse Struvius etiam explicat: quod nos enim illationem, id ille propulsationem vocavit, & malum passionis expressit per verba ultima, sive defendendo sive ulciscendo fiat: per defensionem enim & ultionem infertur malum patienti sive reo: malum verò actionis est Struvio injuria. Ut propterea hæc definitio verbis à nostra diversa, re & objecto eadem sit: Verbosi hîc non erimus demonstrando, vindictam hanc omni animali connatam esse, ab homine tamen cum ratione regendam, quia utcunque τὰ φῶτα κατὰ φύσιν nobis commendata esse debeant, ratio tamen longè potentior sit oportet, non, inquam, hæc multis persequenda duximus, licèt existimemus, à Struvio *c. 1. thes. 1. n. 2.* vindictam illam naturalem & legitimam nos rectè probari exemplo

exemplo arietum, qui inter se commiserunt. Nam quòd actio de pauperie in dominum provocati arietis non detur, ratio est, quòd aries non sua sponte, sed ab alio concitatus nocuerit, non quòd provocatus se legitimè defenderit. Ut explicavimus *ad l. 1. c. 2. thes. 3.* Magis ad rem pertinet divisio vindictæ, quæ tam nota omnibus est, quàm ferè à nullis dextrè & solidè declarata: præter oppositionem enim judicii & ejus cessationem vix aliud afferri videas, id quod tamen rem totam non exhaurit, ut mox planissimè apparebit. Dividitur itaque vindicta ab omnibus, quotquot vidi, in publicam & privatam: quid verò sit publica vindicta, quid privata, in eo longissimè mihi errare videntur, qui publicam judicio terminant, privatam verò privata authoritate: Atque in hac opinione etiam Dn. Struvium esse video, (a) qui vindictam publicam describit, *quâ injuriæ Reip. vitæ alicujus, corpori, famæ, aut juribus officientes in judicio vindicantur. Quæ vindicta regulariter contra injurias est utendum*; Privatam verò, *quâ privata authoritate sive non adito judice injuriam, Remp. vitam, corpus, famam, juráve nostra lædentem, propulsamus ulciscendo aut defendendo.* Sustineri quodammodo potest Struviana definitio, si eam intelligi vult de vindicta, quam inter se exercent cives in una societate seu Rep. constituti: Quod si verò vindictam publicam & privatam in genere intendit, ruinosam esse vel inde liquet, quòd sine dubio vindicatio injuriarum, quæ summas potestates inter se bello & viribus colliduntvindi-

(a) De privat. vind. c. 1. thes. 7.

vidictæ publicæ nomine veniat, nec tamen in judicio, sed armata manu disceptetur: imò illæ vindicationes, quæ civibus inter se sunt, etiamsi in judicio fiant, respectu & intuitu istarum non publicæ, sed privatæ sunt, quoniam à personis privatis agitantur, licèt ratione earum, quæ privata authoritate non adito judice permittuntur, suo modo publicæ dici possint, non dissimiliter ac tutela diversis considerandi modis publicum & privatum munus rectè appellatur. Opinor itaque ego vindictam publicam & privatam non à loco vel objecto discriminandam, quoniam utrobique idem esse potest, sed potiùs personis vindictam exercentibus, quæ mea sententia hoc inconcusso fundamento nititur. Inter gentes populosque liberos alia jus suum consequendi ratio contra injustos præter bellum nulla est, quod continuò rectè suscipitur, ubi pars altera vel satisfactionem per disceptationem juris abnuit, vel tale commisit crimen, quod non nisi condigna pœna in emendationem & exemplum lui potest: Neque enim Principes & Resp. liberæ, superiorem neminem recognoscentes, judicem alium præterquam jus naturæ & gentium habent, nec executionem ejus, quod his legibus unicuique competit, aliis quàm sibimetipsis & confœderatis committere solent, quæ executio per arma & bellum facienda ad eum modum, quem jus naturale vel gentium præscribit. Omnis itaque vindicta, de qua hic sermo instituitur, per bellum expeditur, quoniam illud, ut dixi, unicum est, quo gens gentem ulciscitur. Bellum verò quemadmodum vel est publicum vel privatum,

vatum, ita quoque vindicta, quæ per bellum exercetur, in publicam & privatam rectè distribuitur: & quidem debet vindicta publica & privata eadem ratione dici, quâ bellum publicum & privatum audit. Vocatur autem bellum publicum non à judicio, & privatum, ab authoritate privata, quatenus judiciis opponitur, sed personis, quæ illud gerunt, & vel publicæ sunt vel privatæ. Ergo & vindicta privata à personis privatis, & publica à publicis potestatibus sibi nomen vindicabit: Hinc cùm Grotius suprà (*a*) bellum publicum dixerit, *quod auctore eo geritur, qui jurisdictionem* (i. e. imperium & majestatem, hæc enim intelligitur per vocabulum jurisdictionis, aliàs & paterf. habet jurisdictionem in totam familiam, cujus bellum tamen non publicum est, sed privatum;) *habet. Privatum, quod aliter.* Hoc est, quod gerit is, qui majestate inferius, independens tamen imperium possidet, aut imperio quidem destituitur, nemini tamen alii subest. Velut paterfamilias, seorsim habitans, neminique subjectus; &c. exinde sanè perfacilè ad definitionem privatæ publicæque vindictæ colligere licebit. Quodcunque enim bellum publicum est, ejus & vindicta est publica, & quod privatum, hujus etiam privata est vindicta: Erit itaque *vindicta publica illatio mali passionis ob malum actionis, facta ab eo, qui majestatem habet, contra eum, qui itidem imperio civili gaudet:* vel breviùs; quam gens contra gentem instituit: vindicta privata, *qua patresf. aut ii, qui sub nullius imperio sunt, inter se invicem utun-*

(*a*) L. 1. c. 3. thes. 1.

utuntur. Et quoniam quandoque accidit, ut Principibus aut Rebusp. cum eis, qui gens non sunt, bellum sit, quod Grotio mixtum dicitur, tentari hac ratione posset, an non & vindicta quædam mixta dicenda sit, id quod à me facilè quis impetraverit. Quemadmodum enim mixtum bellum neque cum publico neque privato quoad effectus planè coincidit, sed in illo ex parte Reip. etiam jura gentium valent, ex parte autem patrisf. sola naturalia, ita vindictæ hujus institutionem & modum jura gentium & naturalia temperabunt: nam bellum ita instituendum est, ut vindictæ, quæ per bellum quæritur, natura requirit. Sed nos omissâ vindictâ publicâ, de qua Grotius toto hoc opere tractat, privatam ulteriori declaratione juvabimus, ita tamen, ut servato communi loquendi more sub eadem & mixtam comprehendamus, verùm non aliter, quàm intuitu ejus partis tantùm, qui majestate inferius jus habet, vel per se αὐτόνομος est. Cujus ratione non malè vindicta privata dicetur. Atque hanc vindictam regulariter juri naturali adversam esse, communis est scriptorum conclusio, ex erroneo nata præsuppositio, quasi ea opponatur ordinario judiciorum processui, hinc in probatione multis deducunt rationibus, hominem animal sociale creatum esse, societatem autem omnem imperio constare, cui cæteri societatis participes subesse debeant. Imperium verò frustraneum futurum, nisi & jus coërcendi contineret, hoc ipsum itaque tam ex natura imperii quàm ob publicam utilitatem ei competere, cui & imperium competit, & propterea quemvis in

societate obligari ad jus & injuriam suam persequendam non authoritate propria, sed coram judice competente, qui auditâ citra iram & odium utraque parte jus secundùm id, quod æquius melius est, reddere potest. Quem arguendi modum observavit etiam Struvius, *de privat. vind. c. 2. thes. 2.* inquiens: *Primò certum est, ad societatem hominem naturâ ferri, & quidem maximè necessariò ad eam, quæ inter marem & fœminam est generationis causâ. Ex qua fluit societas inter patrem & liberos, nec minus naturalis est societas inter dominum aut servum &c. Deinde omni dubio quoque caret, nullam ejusmodi societatem posse constare sine imperio & subjectione, atque ipsum jus naturæ imperium & potestatem mariti in uxorem, domini in servum, patris in filium, superioris in subditum dictare. Denique ipsa rectè ratio docet, potestatem & imperium absque jure coërcendi & puniendi fore elusorium, unde necesse est ei, cui jure naturæ imperium tribuitur, competere quoque eodem jure vindictam debitam in nocentes exercendi potestatem, per quam cogere subjectos possit ad servandum imperata: juxta hæc igitur verissima principia si consideremus civilis societatis primordium, domesticam nimirum societatem, necessariò sequetur, in ea non licuisse jure naturæ se contra ladentem ladendo vindicare, sed rem ad patrem f. deferendam, ipsiusque dijudicationi atque coërcitioni committendam fuisse.* Et paulò pòst eadem thesi cùm Grotium nostrum dissentientem latè allegasset, in eo refutando easdem rationes adfert. *Verùm enim verò*, inquit,

cùm

cum jus naturæ ipso definitore Grotio sit dictatum naturæ rationalis ac socialis, natura verò rationalis ac socialis dictet, hominem non posse nisi in societate vivere, societatem necessariò subjectione & imperio constare, & imperio necessariò conjunctam vindicandi potestatem esse debere, contraria utiq; erit juri naturæ privata vindicta. Inculcat idem illud Dn. Ziegl in suis notis ad Grotium passim. Vix erit, ut quicquam solidi contra Struvium, & qui eum sequuntur, dicere possit, qui ejus definitionem vindictæ privatæ admiserit, hoc enim certissimum est, socialem rationem & civilem ordinem omninò efflagitare, ut jus vindicandi sit apud eum, qui imperium in societate habet, cujus sanè præcipua pars coërcitio qualiscunque est: quare non concessum est privatis omni imperio destitutis jus sibi contra concives suos dicere & exequi, quod legitimâ viâ in judicio habere possunt: Nam confusissimè illa civitas turbaretur, in qua cuivis licet despicere judicem, & semetipsum vindicare, quoniam sæpissimè sub colore juris & æqui infirmiores & miseri homines à potentioribus opprimi possent, ubi nihil aliud præter vim valet, quod diffidentias, secessiones, conventicula & tumultus, præsentissima Reip. venena, gignere consuevit. Atque hanc imprimis etiam causam fuisse arbitror, cur jus illud manuarium, das Faust und Kolben-Recht/ quod Grotius etiam hîc attingit, & paulò latiùs persequitur Struvius, *c. 2 a. h. 2.* olim apud Germanos usitatissimum, ab Imperatoribus abrogatum fuerit: Cæterùm nobis, qui, quid sit privata vindicta, & unde dicenda, paul-

aliter & ad naturam vindictæ accommodatiùs explicavimus, de rationibus Struvii confutandis admodùm laborandum non est, quem ipsum existimo concessurum vindictam privatam, ut nos sumimus, quatenus sc. à personis privatis nemini subjectis sive illæ imperium habeant, sive non, exercetur, juri naturali non esse adversam. Non quærimus de iis, qui sub una societate sunt, & imperio tenentur ejus, quem dominum communionis suæ agnoscunt, hos enim semetipsos non posse vindicare facilè concedimus; sed cura nostra circa illos est, qui nullius imperio subjecti non concives, sed alios ulcisci volunt, quos id rectè facere existimamus, etiamsi essent homines solitarii, nec in alios haberent imperium, ut deinde demonstrabimus; Illud minùs rectè à Struvio dictum est, *ipsum jus naturæ marito in uxorem, patri in filium, & domino in servum imperium dictare seu concedere:* Nullum jus, quà tale, concedit potestatem in alios, sed est formula quædam & norma, quæ actiones humanas ad propositum sibi finem atque honestatem dirigit. Idem itaque de jure naturali dicendum est. Versatur illud circa res moraliter vel bonas vel malas, illas præcipiendo, has vetando; Imperium, quod neque res bona moraliter neque mala est, jus naturale ignorat, quod non solet in alienam messem falcem suam mittere. Paulo auctore & teste infallibili (*a*) docemur, omnem esse à Deo potestatem, & consequenter nullam esse nisi à Deo immediatè. Res autem una duas origines habere nequit, quare si Deus potestatem & omne impe-

(*a*) Ad Rom. 13.

imperium concedit, quod ut credamus, Spiritus S. ipſa divina veritas nos cogit, juris naturalis conceſſio nulla eſt, ad quod imperium planè non pertinet: Nec quicquam proficies, ſi replicaveris, jus naturale à Deo datum eſſe, & ſi Deus dat quoque poteſtatem, videri eandem jus naturæ concedere. Conſequentia enim nulla eſt, quia multa Deo datore habemus, quæ tamen ad jus naturæ non pertinent. Non confundenda ſunt, quæ naturam diverſam habent, etiamſi ab uno fonte promanaverint, ſed ſingula ſuis originibus tranſcribenda: Unde adhuc admodùm addubito, an vindicta privata, ut Struvius definit, contra jus naturæ ſit: facilè largior, contra ordinem civilem, utilitatem publicam & intentionem ſocietatis eſſe, contra jus naturæ nequaquam. Nullam hîc deprehendo intrinſecam malitiam & moralem pravitatem, ſi quis privatus id ſibi tribuit, quod apud judicem conſequi poteſt, in his enim terminis conſiſtendum eſt, nec ad injuriam inferendam transeundum. Equidem docet jus naturale, jus ſuum cuique reddendum eſſe, à quo verò reddendum ſit, non definit: Et poſſe quemquam ſibi ipſi jus dicere, Reges & Resp. ſatis oſtendunt, qui judicem alium præter Deum agnoſcunt neminem, ſed quod ipſis jure naturali vel gentium debetur, ipſi perſequuntur: Et confirmor in hac ſententia, dum Struvius (*a*) certos caſus excipit, quibus etiam jure naturæ privatam vindictam licitam eſſe vult: Semper mihi ſuſpectæ fuerunt illæ exceptiones, quas à regula & præcepto juris naturalis liberant, & vel eas planè

(*a*) c. 2. theſ. 3.

ad jus naturæ non pertinere existimavi, ob aliud, quod intenduntur, objectum, vel rem totam, de qua exceptio facta est, juris naturalis nunquam fuisse. Quod & in præsenti negotio contingit. Jus naturale sanè immutabile est, & divinum vigorem humanis exceptionibus non migrat. Aut igitur privata vindicta jure naturæ non prohibetur, si certis casibus est licita, aut, si prohibetur, casus illi privatam vindictam non continent, & hac ratione non jus naturale, sed objectum mutatur: De jure civili, quod mutationi subjacet, in sensu Struviano omnia concedi possunt, vindictam privatam regulariter illicitam esse, excipi tamen quosdam casus ex civili & speciali ratione, quibus licita sit, juri tamen naturali hæc neutiquam rectè applicantur: Neque enim ut jus civile de rebus indifferentibus, & quæ sic vel aliter se habent, est, ita quoque jus naturæ. Quin potius hoc ipsum ex sanctitate divina profluens, & de rebus intrinsecè bonis vel malis statuens exceptionibus non subjacet; Si res semel & per se antecedenter bona vel mala est, tunc nullas exceptiones patitur, nec quod absolutè est bonum, ut est omne id, quod ad jus naturæ spectat, certo casu malum erit. Idem judicium de pravitate morali esto. Non medetur huic difficultati, qui cum Struvio dicit, esse gradus decretorum & præceptorum juris naturalis. Nam quid de his gradibus sentiendum sit, nisi fallor, jam aliquid ad *l. 1. c. 1.* diximus, quemadmodum sanctitas divina sibi ipsi adversos gradus non admittit, ita nec jus naturale, ex qua id formatum est atque profluit, omnia juris naturalis præcepta mira-

mirabili concentu & amicissima conspiratione cohærent, non sibi invicem adversantur aut se elidunt: Ita quod à jure naturali prohibitum est, id intrinsecè est malum, adeò ut nec Dei voluntate bonum fieri possit. Quod verò taliter malum est, id regulariter tantum malum esse, absurdè dicitur, quia absoluta malitiæ aut bonitatis moralis necessitas exceptiones nullas admittere potest: Quod si mutatur objectum, res juris naturalis esse desinit, non datur exceptio à regula, & propterea contradictoriè infertur, *licet jus naturale privatam vindictam prohibeat, si tamen quis in vitæ periculo sit constitutus, nec aliter id avertere possit, quàm privatam vindictam exercendo, & invasorem occidendo, hoc etiam eodem jure justum esse.* Posito enim privatam vindictam esse jure naturali prohibitam, & defensionem vitæ legitimam concessam, & exinde objectum hoc casu mutatum, hæc defensio non privata vindicta dicenda foret, quæ ex tali hypothesi jure naturæ prohibita esset, & ipsâ objecti mutatio defensionem talem à privata vindicta eximeret. Multò minùs illud ferendum videtur, *jus positivum ob civilem aliquam rationem efficere posse, ut aliquid liceat, quod secluso tali jure non liceret*, si de jure naturali intelligitur: Quod enim hoc jure non licet, id jure civili licitum fieri nequit, & omninò statuitur aliquid contra jus naturale, si jus civile licitum & concessum facit, quod jure naturali illicitum est. V. gr. non potest jus civile præcipere, ne honorentur parentes, ut liceat hominem insontem occidere, proximo, quod suum est, rapere, &c. quoniam talia

ſuâ naturâ ita mala ſunt, ut nulla alia lege bona fieri poſſint, quæ nec Deo, ut ſe habent, permittere licet. Sanè ſolet quandoque lex civilis juri naturali apponere quasdam circumſtantias, ſed ſuâ naturâ indifferentes, non morales, quæ jus naturæ non mutant, ſed confirmant, & eidem aliquid extrinſeci apponunt. *Vid. quæ not. ad l. 1. c. 1. theſ. 10. verb. imago quædam mutationis fallat incautos.* Et hæc quidem in genere ad Strùvium notaſſe ſufficiat. Dn. Zieglerus privatam vindictam ideo æquitati naturali contrariam arbitratur, quòd hæc velit, *ut proximum ames, nec eum ullo modo lædas, nec facias ei, quod, tibi factum ſi fuerit, improbes.* Bene omnia, ſed ad inſtitutum præſens applicata nihil profutura. Non quærimus in vindicta privata læſionem injuſtam, ſed juri naturali licitam, quæque cum amore proximi & ratione ſociali non pugnat. Ne facias proximo, quod tibi fieri nolis, ergo quod tibi velis fieri, id ei facias: jam ſi vir bonus es, utique tibi fieri vis, ut, quando in aliquem injurioſus fueris, debitam pœnam ſuſtineas ab eo inferendam, quem læſiſti. Ergo idem quoque illi facias, qui te læſit; non eſt planè contra æquitatem vindicta, quâ iratus proximum invadis jam non ampliùs lædentem, ſed quietum redditum, modò is te priorem laceſſivit, & tu ipſe non tam homini ut proximo, quàm vitiis & ſceleribus ejus iraſcare, quæ punire in eum finem intendis, ne tibi ampliùs nocumento, nocenti verò emendationi, & aliis exemplo ſint. Si enim licitum non eſſet, lædentem poſt intervallum, utut quieſcentem, delicto facto, ulciſci, non ſolùm planiſſimus delictis

lictis omnibus sterneretur campus, sed & omnia bella injusta essent, quibus non tam in continenti vis illata propulsatur, quàm post petitam demum nec impetratam satisfactionem decernitur bellum, id quod contra jura naturalia & gentium est, quæ injustam vim etiam tractu temporis vindicare permittunt: Atque hactenus contra eos, qui vindictam privatam contra jus naturæ esse opinati sunt. Nobiscum tamen sine dubio faciliùs concordabunt, qui privatam vindictam ita explicavimus, & quidem rectè, nisi fallimur, ut eam æquitas cum necessitate morali conjuncta satis commendatam faciat. Non cessatione judiciorum & privata authoritate in oppositione ad judicia definimus, sed personis privatis, ad modum privati belli. Possunt autem in hoc genere personæ etiam privatæ esse, qui imperium habent, sed minus & majestate inferius. Item illæ, qui planè nullius potestatem in se agnoscunt, licèt nec ipsæ in alios imperio gaudeant. Hos existimamus privatam vindictam omnimodè exercere in se lædentes posse, non secus ac Principes vindictam publicam. Jus enim & actio utrobique par est, qualitas actionis, & quidem solùm extrinseca, diversa. Reges nimirum & Resp. quia gentes sunt, & jure gentium utuntur, personæ publicæ vocantur, & propterea earum vindicta publica propter illos, à quibus exercetur. Patresf. verò, itemque homines alii ἀπόλιτοι, quoniam in gētium censum & dignitatem non adscripti sunt, privatam conditionem sustinent, quibus tamen idem tam in suos quàm externos jure licet, quod gentibus, extra paucos juris gentium effectus,

qui gentibus, quà gens sunt, solis competunt: Jus autem naturale, quod hominibus universis datum est, sicut non prohibet Reges & Resp. vindictam sumere ab hominibus improbis & scelleratis, ita nec alios, sc. patresf. aut saltem nemini subditos, qui quoad immedietatem & αὐτονομίαν, effectusque agendi, qui inde dependent, rectè cum Regibus æquiparari possunt. Excludimus verò à privata vindicta illos homines, qui vel in Rep. vel sub imperio familiari vivunt, hos oportet querelas suas & injurias deferre ad judicem, istos, qui judicem non habent, nequaquam. Dantur tamen & casus quidam., quibus & hi personis judicem non habentibus æquiparari soleant, de quibus deinde mox agendum: Non itaque, ut vidimus, adversatur vindicta privata juri naturæ, licèt nec ab eadem præcipiatur, est enim in arbitrio ejus positum, cui vindicta competit, an eam exercere velit, nec ne: At quod jure naturæ præcipitur, sine peccato omitti nequit, quia in moralibus ab omissione continuò datur transitus ad commissionem, & vice versa, ut antè à nobis dictum est. Nunc in explicanda indole & natura vindictæ privatæ pressiùs insistamus, hoc procedentes ordine, ut primò videamus de personis, quibus vindicta privata competit; pòst etiam de causis quibusdam, propter quas exercenda est. Personæ autem sunt duplices. Vel enim imperium habent: vel eo destituuntur. Qui imperium habent, sunt patresf. qui eo destituuntur, ita comparati esse debent, ut nec aliis subsint, quod dupliciter fit. Vel enim nullo modo superiorem recognoscunt, vel superiorem

riorem quidem habent cui subsunt, quibusdam tamen casibus specialibus non habere videntur. De quibus omnibus nunc ordine agendum est. Patresf. dicuntur à familia, cui præsunt. Constat autem familia tribus societatibus simplicibus, scilicet nuptiali, patria & herili; ita tamen, ut non necessariò omnes tres ad familiam constituendam requirantur, sed vel duæ sufficiant, vel etiam unica: Sed de his societatibus ad *c. 5. h. l. 2.* satis diximus. Hos autem patresf. vindicta privata uti posse inde plenè constare arbitror, quòd ipsis liceat privatum bellum gerere, per quod vindicta quæritur. Sic sanè Abrahamus in Regem Babyloniæ & vicinos arma, ad vindicandum patruelem suum Loth Deo approbante tulit, nec fortè multi erunt, qui in contrariam partem ire voluerint: nam & Dn. Zieglerus concedit, *si aliqua natio tam sit barbara, ut superiorem non recognoscat, nec familiæ unam Remp. constituant, fas esse familiæ læsæ vindictam sumere de familia ladente.* Ut tamen hæc vindicta Patrumf. tam in se invicem quàm gentes alias justa sit & sine vitio, necessarium hoc requisitum est, ut Patresf. potestatem aliquam superiorem super se non recognoscant: Hoc enim solo casu, quod Principibus in subditos & externos juris est, idem familiis independentibus competit: Quippe familiæ suæ Dominus non tantùm ei ad libitum tanquam Rex imperat, sed & tuetur, fovet, jus dicit, & omnes omninò actiones, quæ majestas in civitate expediret, vi potestatis domesticæ in domo exercet. Si quando liberi inter se, si cum matre aut servis litigia habent, ille ut legitimus judex decidit,

dit, & criminosos rapit ad supplicia, si externa vi familia damnum patitur, res repetitum mittit, non dotas verò persequitur, quod licitè tam contra Resp. quàm alios patresf. gerere potest: Summa, quod Regi in Civitate & extra eam licet, hoc idem patrif. in domo & extra eam. Major disceptatio de privatis personis illis est, qui neminem quidem superiorem habent, ipsi tamen nec in alios imperium. His sanè Struvius & Zieglerus vindictam privatam vel ideo abjudicant, quòd ad eam rectè expediendam imperium præsupponant: ita enim Zieglerus. *Quia penes subjectos nullum est imperium, aut coërcendi potestas, neq; vindicta quidem erit, quæ nihil aliud est, quàm potestas coërcendi.* Idem Struvius *de privata vindicta c. 2.* multis inculcat, non esse potestatem vindicandi, nisi apud quem est imperium: atque ferè hac arguendi forma procedunt. Ubicunque non est imperium, ibi nec potestas coërcendi; ubi non est potestas coërcendi, ibi nec vindicta privata. Apud merè privatos non est imperium nec potestas coërcendi. E. nec vindicta privata. Equidem dicunt aliquid *ἐν μέρει*, sed non *ἁπλῶς* & simpliciter. Et major propositio ambiguum sensum habet, qui ante omnia evolvendus est, ne vel nihil vel omnia concedentes labamur. Vel enim colligimus à defectu imperii ad defectum coërcitionis atque vindictæ in ordine civili imperantium & parentium ad se invicem, & illatio vera est, & subditus eo ipso, quo subditus est, atque imperio caret, se ipsum propria authoritate vindicare nequit, sed res ad superiorem deferenda, qui imperio armatus justitiam tuetur

tuetur & ſcelera vindicat. Vel propoſitio etiam ad extraneos, qui noſtra poteſtate non tenentur, extenditur, & omninò neganda, quia Rex Regem aut Remp. liberam cogit, ſeque ipſum vindicat, utcunque in illos omni imperio ſit deſtitutus. Equidem video, quid hîc adverſarii objicere ſoleant, habere tamen Regem imperium, & vi hujus inſtituere vindictam. Reſpondemus, illud imperium civile eſſe, nec civitatis terminos egredi, in extraneos nunquam pertingere, & ita eorum reſpectu videri non habere imperium: nam quòd Rex extraneos punire, quòd vindicta in eos uti poſſit, id non fluit ex imperio, quia illud hoc caſu deficit & obmuteſcit, ſed ex facultate illa morali eſt, quam ſuprà explicavimus, & læſo jus ad pœnas infligendas dare diximus: Quamprimum aliquis deliquit, debitor pœnæ eſt, quam exigere naturaliter cuivis licet, ante omnes tamen ei, qui læſus directò eſt: deinde ſi qui in ſocietate vivunt, loco omnium ſocietatis Princeps, tanquam maximè idoneus, ex civili ratione vindictam habet: Atque hoc optimè Cainus intellexit, qui commiſſo fratricidio continuò trepidante conſcientia metuit, ne à quovis obvio poſſet jure occidi: atque tunc ſane temporis, ubi Principes & poteſtates publicæ imperio civili omnia nondum impleverant, naturalis illa ſe ipſum & alios vindicandi libertas planiùs apparuit. Solent quidem objicere Theologi, metum hunc nil niſi præter conſcientiæ inquietudinem fuiſſe, nec potuiſſe Cainum quemquam timere, *cùm præter parentes & paucas fortè ſorores nemo adhuc hominum eſſet. Dn. Ziegl. ad Grot. l. 1. c. 2. theſ. 5.*

Verùm

Verùm hæc mihi facilè imponi non patiar. Timuisse Cainum, expressè in sacro Codice dicitur, & præterea illud, signasse Deum homicidam singulari quodam Charactere, & hoc ipso eum à persecutione immunem fecisse, quo sanè signo opus non fuisset, si vita Caini ex lege talionis non fuisset in periculo, neque videtur Deus Cainum sicut à pœna corporali, ita quoque interna, nimirum motu & stimulo malæ conscientiæ liberasse, nec ad id signum externum adhibere necesse habuisset, ubi internæ agitationes sanandæ: Neminem hominum tunc temporis præter Cainum, ejus parentes paucasque sorores extitisse, vix crediderim, quin potiùs mihi credibile sit, jam tum, quando fratrem parricida occiderat, multos Adamo utriusque sexus extitisse liberos, à quibus deinde patria potestate liberatis, & in alia, ut moris erat, terrarum spacia digressis, vindictam timere potuisset: Sed nec solum Cainum à patre abiisse sine comitibus, inde infallibiliter evinco, quòd sacræ literæ eum urbem condidisse ac liberos procreasse asserant: sed neq; urbem condere potuit, nisi sociis hominibus, nec habere liberos, nisi cum uxore. Hinc in ea sum opinione, cum Caino quosdam etiam fratres permissu parentis Adami discessisse, eosdemque patria potestate liberatos fuisse, quos cum nascitura progenie cædis fraternæ vindices timuit, nec enim jam tum lex erat, ut omnia crimina viginti annorum præscriberentur spacio, nec tantillo temporis, quo nostro seculo, vita humana terminabatur, ut à sobole succrescente nihil periculi caino esse potuerit. Verè igitur timuit vindictam cujusvis obvii,

&

Digitized by Google

& inde facultatem naturalem puniendi noxios in homine quovis libero agnovit. Ut tamen redeam, unde digressus sum, concludo, Regem alium sibi non subjectum non punire vi imperii, sed vel jure naturali vel gentium, quæ crimina pœnâ digna judicant, & in sontes vindices constituunt omnes quidem indifferenter, ita tamen ut semper præferatur is, cui vindicta præ aliis competere videtur, excludatur autem omninò ille, qui alii subjectus est, nisi certis casibus, de quibus mox: Atque hæc non solùm in gentibus vera sunt, sed & privatis, apud quas sola vindicta privata obtinet, sive patresfamilias sint, sive privati alii ἀνυπεύθυνοι. Ponamus exemplum, ut res clarior fiat. Sit vir quidam & uxor cum filio & alio quodam socio per infortunium maris in insulam quandam desolatam delati. Ibidem divisis locis instituant habitationem, ita ut pater f. cum uxore & filio seorsim habitet, alter rursus in alio loco; Accidit, ut ortâ rixâ occideret ille homo solitarius filium patris f. cui competit vindicta? respondebunt, patri. Reponam, annon hic est persona privata? Dicunt, quòd non, quoniam adhuc imperio maritali præditus. At primò imperium domesticum patrem f. non evehit in conditionem personæ publicæ, quam dignitatem sibi demum gentes attribuunt: unde & bellum Patris f. privatum dicitur, ab authore privato. Deinde, quid hoc imperium ad extraneum, qui ei non est subjectus. Sanè dat patri f. prælationem quoad suos, ut solus possit vindicare, occisorem verò nullo modo stringit, non recognoscit ille imperium hoc domesticum, quod terminatur in familia,

milia, ſicut apud gentes & populos Resp. ab alia turbante pœnas ſumit, non quòd imperium in cives habeat, ſed quòd à lædente jure gentium pœnas exigere juſtum ſit. Atque ſub hoc ſenſu propriè accipiendum eſt, quod Grotius in hoc capite *theſ. 40.* notanter admodùm dicit, *libertatem humana ſocietati per pœnas conſulendi civitatibus ac judiciis penes ſummas poteſtates reſidere non propriè quà aliis imperant, ſed quà nemini parent, & ſubjectionem aliis id jus abſtuliſſe:* licèt Struvius ſe non videre dicat, quid Grotius velit; qui ita colligit. *Si aliis ſubjectio abſtulit illud jus, videtur certè ſequi, imperanti, quà imperanti, id competere.* Itemque *cùm ſubjectio & imperium ſint à natura, ſubjectio autem jus privata vindicta adimat, ſequi neceſſe eſt, ipſam naturam vindictam privatam non admittere.* Sed conſequentia hæc ſtraminea eſt, nec ad mentem Grotii collecta. Equidem abſtulit civibus ſubjectio jus ſe vindicandi, & competit imperanti, quà imperanti, ſi reſpectum ad civitatis ordinem habeas, ubi verum eſt, imperantem vindicare poſſe propter imperium, quod habet. Sed hoc intelligendum de prælatione & aptitudine imperantis, hanc prælationem vindicandi ex imperio & ſuperioritate habere, ſubditos autem eadem ob ſubjectionem, & ita conſequenter ipſa quoque vindicta carere. Neque tamen imperium illud civile dat etiam imperanti poteſtatem ipſam puniendi exteros, qui ſub imperio ejus non ſunt: Sed poteſtas illa & libertas puniendi tibi non ſubjectos competit actu primo & naturaliter omnibus in civitate, propter imperium verò

verò & ad conſervandum civilem ordinem præfertur Civitatis Princeps, qui actiones civium ſuorum ſibi omnes ſubjectas habet, & quicquid facit, nomine totius civitatis facit, quod idem rectè ad Patremf. extenditur. Quare prudenter dixit Grotius, libertatem puniendi Principibus competere, quo nemini ſubſunt. Nam hoc intuitu omnibus ſemper competit, & hæc concluſio univerſaliſſima eſt, quicunque nemini ſubeſt, ille ſe vindicare poteſt. Non competit autem, quà aliis imperant, quoniam, ut dixi, illud imperium ad non cives vel ſubditos non pertingit, & propterea impoſſibile eſt, ut puniant reſpectu eo, quo aliis imperare ſolent: Et porrò, quoniam libertes hæc naturalis competit ſolis iis, qui nemini parent, eo ipſo omnes arcentur ſubditi, qui majeſtatem civilem audiunt, eandemque pro vindicta ſumenda pro ſe implorare debent. Sicut & domeſtici Patremf. Hac ratione quoque altera Struvii concluſio concidit, ſi ſubjectio & imperium eſt à natura, ſubjectio autem jus privatæ vindictæ adimat, ſequi neceſſe eſſe, ipſam naturam privatam vindictam non admittere. Nam primò imperium non eſt à natura, ſed Deo. Natura humana nullum concedit imperium, & illud naturale multitudinis jam pridem à veris Politicis explosum eſt. Solus Deus dat hominibus poteſtatem, & non eſt poteſtas niſi à Deo. E. non à natura. Quicunque humanæ naturæ qualitates & attributa conſideraverit, nihil inveniet, quod imperium producere queat. Imperium autem ſequitur neceſſariò ſubjectio, tanquam relatum alterum, quo uno poſito & hoc ſimul ponitur. Cùm

ergo imperium non est à natura, nec subjectio erit: Deinde subjectio adimit jus privatæ vindictæ hoc sensu, quo imperium confert: sed imperium id aliter non confert nisi ratione prælationis, naturaliter enim imperans habet quà nemini paret. Ergo & eadem ratione subjectio aufert vel suspendit, quod continuò rursus competere inciperet, quàm primùm quis imperio solvitur, etiamsi neminem haberet sibi subditum. Hactenus itaque certissimum est, imperium non conferre jus puniendi extraneum, sed saltem in concursu prælationem: subjectionem verò id eodem modo adimere: & sic in superiùs dato exemplo patremf. vindicare cædem filii sui ea ratione, quâ nemini est subjectus, non quà imperio maritali gaudet. Quibus tamen si non acquiescit animus, finge ab amico illo seu socio uxorem & filium simul occisum esse, an propterea vindicta supersedere debet, quoniam per sublationē personarum parentium ipsum simul imperium expiravit, & ita generale mandatum Dei negligere, quod de expiando per sanguinem nocentis homicidio omnibus injunctum est? Fac ampliùs socium illum vel amicum, quem præsupponimus in separata insulæ parte habitasse, læsum vel ab ipso patref. vel ejus domesticis esse. Poterit utique se tueri omnibus modis, quibus vel Princeps vel hic ipse Paterf. contra insultum alterius hostilem se tueretur, licèt omni imperio careat; non enim à defectu imperii continuus ad defectum vindicandi libertatis datur transitus, modò intermedia subjectio non accedat. Et in eo fortè mihi videntur tam Struvius quàm Zieglerus errasse, quòd non posse

posse contingere putaverint, ut quis neminem habeat in potestate, nec tamen ulli subsit: Quamvis autem talis casus hodiernis nostris temporibus rarissimus sit, antiquis tamen & in primordiis orbis ac gentium migrationibus frequentem fuisse, aut saltem accidere optimè potuisse, nullus dubitaverim, si quando patres f. seorsim à Rep. & vita civili habitantes filios suos adhuc innuptos cum aliis ad quærendum colendumque solum aliud à se dimiserint: qui enim aliquem ita dimittit, ut res suas sibi habeat, ac longè à se alias terras possideat, is olim sanè præsumendus erat voluisse eundem sua potestate liberare: Sed nec hodie casus omninò non dabilis est. Contingere posset, ut duo homines una navi cum aliis per mare transeuntes, & naufragium per tempestates passi cæteris pereuntibus ipsi soli in desertam aliquam insulam ejicerentur, unde spes nulla facilè esset redeundi in patriam: Igitur si, ut tempus fert, res pro conditione status ac loci ordinaverint, & fortè commodioris vitæ causâ designaverint certas insulæ partes, quibus singuli dominari, easdem colere, nec alter alium in suo turbare, sed ambo rebus divisis contenti amicè ac tranquillè vivere velint, deinde verò unus cupiditate aliena habendi abreptus res & bona alterius per vim auferre incipiat, ego profectò læso ex præcepto juris & æqui author fuerim, ut si aliter non possit, res ablatas vi recuperet, & turbatorem ad plenariam satisfactionem cogat, aut si vim injustam justæ vi opposuerit, interficiat etiam, non aliter quàm Princeps à Rep. lædente res suas bello repetit, omnesque illos justè occidit, qui petitioni & juri suo injuri-

am atque violentiam opponunt. Atque tali casu intrepidè dixerim, exceptis quibusdam effectibus juris gentium peculiaribus, licere læso in turbatorem jure naturæ omnia ea, quæ Principi in Principem vel Remp. jure gentium licent. Atque hîc mecum consentientem Dn. Zieglerum deprehendo, (an constanter & secundùm suam hypothesin, viderint alii;) qui in animadversionibus ad Grotium, *l. 2. c. 1. thes. 17.* hæc scribit: *Finge post naufragium duos in insulam desertam ejectos fuisse: & alterum ab altero metuere. Poterit metuens ab altero cautionem exigere, ut suspectus in una parte insulæ intra positos limites se contineat, qui si recuset hujusmodi conventionem, manifestum dat pravitatis suæ argumentum, & ille alter quocunque modo defensionis modum adornare poterit.* Si quocunque modo, ergo etiam res ablatas per vim, & si necesse est, necem raptoris repetere. Ubi verò jam est deprædicatum illud imperium, quod neuter in alterum, neque tamen etiam alios, cùm præter hos duos nemo adsit, habeat? Cùm aliquando de hoc ipso argumento cum amico quodam meo fortè contuliſſem, & post declarationem, quàm pervicaciter alii imperium ad legitimam vindictam exercendam præsupponant, subjeciſſem hunc aut similem casum, quo nimirum cessaret imperium, & tamen competeret vindicta, agnovit ipse quidem æquitatem, oppositit verò, eo ipso, quo dividunt partem insulæ, singulos suæ partis Dominos factos esse, & in illam sibi comparasse imperium. Verùm tale dominium, quod non nisi impropriè imperium dicitur,

non

non attendi, inde manifestum est, quia hac ratione omnibus competeret vindicta, quamvis subessent superiori potestati, modò in res aliquas dominium haberent. Nemo enim est, quin aliquid proprii habeat, utut vel vestis diuturna aut calceus fuerit, nec dabitur facilè ratio diversitatis, cur ei magis vindicta competat, qui dominium in prædia habet, quàm alias res. Ut nunc taceam, multos opulentiores in quavis ferè civitate hac ratione sibi vindictam arrogaturos, id quod tamen contra ordinem civilem esset, nec ab ullo sanæ mentis conceditur. Exemplum proximè positum illustrius redderetur, si tres in insulam quandam ejecti illam tripartitim divisissent. Unus verò alterum occidisset, quo casu posset tertius ab homicida vindictam sumere, etsi directò læsus non fuisset, quoniam hominem ab homine juvari ratio jubet, & Deus innocentis necem cum sanguine nocentis elui præcipit. Nulla hîc occurrit legitima & necessaria defensio, justissima tamen vindicta privata, non nisi ab iis culpanda, qui ingenium non habent. Defectus imperii compensatur per defectum obsequii, & quoniam cædis vindex nemini paret, rectè & ex ordine vindicat, quamvis nulli etiam imperet. Et hæc de personis privatis merè non subjectis. Restat tandem quædam de illis dicamus, qui subjecti quidem sunt, certis tamen casibus subjecti non videntur, nec pro talibus habentur: Non licere subditis & illis, qui alienæ potestati subsunt, se ipsos vindicare, jam sæpiùs iteratò inculcavimus. Causa & ratio non alia est, quàm quòd in omni imperantium parentiumque ordine judi-

cia esse debeant, quæ subjectos adire, & legitimo civilique procedendi modo jus suum consequi oportet: Consequitur inde, si judicia illa cessent, rem redire in naturalem libertatem, & vindicantem quoad hunc casum censeri non subjectum, sed liberum suique juris, ac proinde idem facere posse, quod quivis alius, qui nunquam in societate parentibus adscriptus est, faceret. Nam ratio civilis & lex *vetans sine judicio suum consequi commodè intelligitur, ubi copia est judicia.* (a) Cessant verò judicia vel momentaneè, vel continuè. *Momentaneè, ubi expectari judex non potest sine certo periculo aut damno. Continuè, si quis versetur in locis non occupatis, mari libero, insulis vacuis, aut solitudine, & si qua alia sunt loca, in quibus nulla est civitas.* Ita quidem partitur Grotius loco ad marginem citato. In genere quis diceret, cessare judicia semper, ubi damnum irreparabile antea passurus certò es, quàm judicem adire poteris: Neque enim hoc universaliter videtur concedendum esse, subditum, qui in locis non occupatis versatur, uti simpliciter jure & libertate ejus posse, qui nemini subjectus est; nisi periculum in mora adfuerit. Quamvis enim in locis non occupatis sit, propterea tamen subditus esse non desinit, nec perit obligatio obsequii debiti, & quæ exinde dependent; Verbi causâ; Civis, qui in mari non occupato navi quæstus causâ vehitur, & à subditis alterius Reip. impetitus in periculo vitæ rerumque amittendarum cum sociis constitutus est, potest quidem omnem defendendi se suaque ini-

re

(a) Grot. l. 1. c. 3. thes. 2.

re rationem, & non ſolùm in momentaneo periculo vim injuſtam etiam cum occiſione raptorum propellere, ſed & ad res perſequendas, ſi quas fortè inter pugnandum amiſerit, prædatoribus inſtare. Non licet autem ei, ſi noxii elapſi ſint, alios ejusdem Principis ſubditos ulciſci, ſed injurias ſuas ad Imperantem deferre debet, qui res repetitum noxioſque deditum mittere ſolet, & non ſecuta ſatisfactione bello ſolenni vindictaque publica perſequi. Eodem modo ſi privati illi res ſuas defenderunt, nec ipſis aliquid abeſt, non poterunt etiam raptores ad pœnam debitam perſequi, quia iterum hoc intuitu judicia ceſſare non videntur; quando Principem ſuum adierint, injuriasque paſſas ei detulerint, non omittet hic ſuper illis cum Rep. cujus ſubditi te læſerunt, expoſtulare; Hujus enim hoc eſt officium, non civium, quoniam plerunque in bellis ejusmodi expoſtulationes ſolent degenerare, quod privatis absque publica authoritate non licet incipere. Equidem prædones quivis perſequi & occidere etiam non læſi poſſunt, ſed hæc vindicta videtur publica dicenda non privata, quoniam in prædones omnibus conſenſu & authoritate omnium gentium bellum eſt. Et privati nihil aliud ſunt quàm executores ejus ſententiæ publicæ, quemadmodum in omni vindicta publica per bellum exequenda privati militant, publica non ſua authoritate. Ergo in vindicta ſubditorum privatâ cum judicii ceſſatione etiam periculum in mora conjunctum eſſe debet, quoniam ubi hoc non adeſt, judicia non ceſſant: Utcunque duo ſubditi in locis ſolitariis occurrerint,

Digitized by Google

qui invicem actiones & jura habent, illa coram ordinario judice disceptare non privata manu exigere decet, & domum reversi quivis legitima actione debitorem pulsabit. Secus est in iis, qui judicem nullum habent, his conceditur, ut debitorem, qui satisfactionem detrectat, cogere possint, licèt non inferior, sed par sit. Hactenus de personis privatam vindictam exercentibus. Accedamus ad causas: Ubi iterum faciendum discrimen est inter personas causas justas habentes, qui aut nemini subsunt, ut Patres f. & alii privati αὐτόνομοι; aut recognoscunt superiorem. Illi causas exercendi privatam vindictam omnes easdem habent, quas Principes & Resp. gerendi belli publici. Hi verò subditi non nisi tales, in quibus ob moræ periculum judicia ordinaria cessant: Laborandum itaque de causis illorum admodùm non est, quia quascunque Grotius in hoc toto opere enarrat, eædem quoque hîc rectè repeti possunt. Videamus de subditis, ubi illud statim monendum, non posse civem subditumque alieno imperio vindictam privatam in solam pœnam & ultionem exercere. Quia mera ultio pertinet ad imperantem, nec hic periculum moræ adest, quod judicia ordinaria cessare faciat: Quare causas subditorum ego ad duo genera revoco: & utuntur illi vindicta privata vel ob defensionem corporis, vel bonorum: Quæcunque enim vindicta suscipitur à privatis, illa ad defensionem suscipi debet, nam pœnæ, ut jam dixi, mera exactio exulat: Defensio autem præter corpus & bona nulla datur alia, ergo vindicta privata subditorum, (quos semper hic intelligi volo, ut semel

pro

pro ſemper dicam) ad hæc duo reſtringenda: Diſputemus verò defenſionem corpóris primo loco, quòd nobilior illud bonis fortunæ ſit. Defenditur in corpore vel vita, vel pudicitia, vel fama. De quibus omnibus nunc partitim. De defenſione vitæ & moderamine, ut vocatur, inculpatæ tutelæ in *c. 1. hujus l. 2.* jam quædam diximus: Quædam igitur inde repetenda aut noviter diſcutienda erunt. Jure civili defenſionem legitimam permiſſam eſſe extra dubium ponitur: idem & de jure naturali ſentiendum: an verò præcipiat eam jus naturæ, aut ſaltem non vetet, de eo viri eruditi differunt. Grotius noſter ad *l. 2. c. 1. theſ. 8.* laudabiliùs eum facere putat, qui defenſionem ſui omittendo tum ſaluti proximi, tum ejus vitæ conſuluerit. Nos ab eo diſceſſimus *ad d. §. 8.* & conſentientem habemus Dn. Struvium *c. 4. aph. 1. n. 5.* Tenetur enim omninò homo ad tuendam eam ſtationem, in qua Deus ipſum eſſe voluit. Et ſicut miles, qui ab imperatore ad vigilias collocatus eſt, ſtationem deſerere non debet, ſed pro viribus defendere tenetur, quando improbus hoſtis eum depellere voluerit, ni fecerit, graviſſimas deſertæ ſtationis pœnas dabit, ita homo profectò vindicem Deum habebit, qui vitam, quam ſibi commendatam accepit, ab improbo latrone eripi patitur. Repugnat etiam hæc ignobilis ſocordia rationi ſociali, quæ vim injuſtam arceri à corpore jubet; Homo ad juvandum hominem natus eſt, quantò magis igitur ſe ipſum juvare decet, ut deinde officio in alio juvando fungi poſſit. Omnium prudentiorum calculo improbatur αὐτοχειρία, quantum verò diſtat is,

qui seipsum occidit, ab eo, qui se insontem patitur ab improbis occidi, cum liberari periculo possit? Nec nobis solùm vitam nostram debemus, sed & Reip. liberis & conjugi. Non convenit sanè de alieno liberalem esse. Si quod nobis Resp. officium, si amicus aliquid concrediderit, quanto labore & diligentia in id incumbimus, ut satisfaciamus fidei & exspectationi nostræ, quæ de nobis concepta est? an non idem in tuenda vita observabimus, quam Reip. & liberis debemus? Ergo omninò vita defendenda est. Si autem defendenda, in periculo sanè esse oportet, quare primum legitimæ defensionis requisitum, ut ab aggressore violento vita impetatur, tunc enim demum in periculo esse incipit: Et quidem aggressionem atque impetum cum violentia reali esse convenit, nec minæ sufficiunt: petere tamen cautionem de non offendendo meticulosum posse traditur à DD. quæ cautio ad privatam vindictam non pertinet, quia coram judice non propria authoritate petitur: Absurdius illud est, quod à quibusdam inutili cautione adjectum, expectandum primum ictum esse, quasi verò primus ille ictus non continuò letalis esse possit. Unde & à Carolo prudentissimo Imperatore stultissimam sententiam rejectam legimus. *Constit. crim. art. 140.* Porrò ad defensionem justam, vis illata & aggressio injusta requiritur, qui enim justè aliquem aggreditur, is injustè repellitur. Ita cùm bannitum licet cuivis occidere, quod omnis publicæ justitiæ minister in eum constitutus sit, proscriptus legitimam defensionem non habet, sicut nec is, qui sceleris reus & à Magistratu capi jussus

Juſſus defenſione uti vult, quamvis per capturã in periculo vitæ ſit conſtitutus: nec poſſunt ad mortem condemnati executori publico reſiſtere, nec periculum morali æſtimatione illud eſt, in quod quis ſe ſuis ſceleribus præcipitavit. Quæritur verò hîc, an nemo ante aggreſſionem occidi rectè poſſit? Affirmare videtur Struvius *c. 4. aph. 2. n. 6.* ita tamen, ut arbitrium boni viri non excludat. Quem deinde ſecutus eſt *Ziegl. ad Grot. l. 2. c. 1. §. 5.* à nobis ibid. refutatur: Periculum vitæ ſufficit ad defenſionem: quod ſive aggreſſione ſive certa deſtinatione animi nullo modo declinanda præſens ſit, nihil intereſt: Cæterùm illud Struvio *c. 4. aph. 4.* non eſt concedendum, Principem quoque invaſorem occidi poſſe, *ſi nulla prorſus alia ratio eſt expediendæ ſalutis. Et naturalem rationem defenſionis reſpectum iſtum ſubjectionis excludere, & contra Principem latronis perſonam induentem juſtam & neceſſariam defenſionem permittere.* Loquitur de ſubditis, ut vocabulum ſubjectionis oſtendit. Largior extraneum Principem, cui ſubjectionem non debet, occidere modo defenſionis poſſe, ſubditis nihil omninò concedo. Non eſt ampliùs legitima defenſio, quæ ſubditos in Imperantem armat, quem propter majeſtatem divinam nullo ſub prætextu piè lædi abunde in *l. 1. c. 4.* probavimus: nulla neceſſitas cives debito exuit obſequio, quod in fide Principi præſtanda non eo occidendo conſiſtit: Qualicunque modo occidatur, etiam per defenſionem, concurrit quædam vindicta & pœna: At contra ordinem civilem eſt, ut inferior ſuperiorem puniat. Deus in ultionem crudelitatis

eſt

est invocandus, & patientiâ firmandus animus, si precibus vel miseria tyrannus flecti nequeat. Quod si in immani sævitia præstiterit, mittendus erit spiritus potiùs, quàm imperium civile violandum, quod improbissima etiam persona retinet, per cujus læsionem & ipsum crimine parricidali læditur. Non accipio authores à Struvio allegatos, quos nihil præter Jureconsultos fuisse eorum scripta testantur. Malè hoc negotium juris civilis decempedâ metimur, quod ex intimis politicæ prudentiæ fundamentis hauriendum est: Præstat mihi præ omnibus Grotius, quem mecum sentire meritò glorior. Contra Magistratum verò, à majestate & imperio civili dependentem faciliùs admiserim legitimam defensionem: Hos enim nullum imperium, quod non habent, tuetur, & si mandatum à Principe prætendunt, scire debent, mandatum turpis & illicitæ rei non obligare. Qui instrumentum alienæ crudelitatis est, dignus est, ut pereat, & imperium, quod Principi competit, communicari ad vitia non potest. Si jubet, quod justum & æquum est, quod utile Reip. omnes audire vocem Principis ut Dei oportet, & obsequiosa promptitudine voluntatem Imperantis exequi: Si verò ad flagitia animum advertit, si cædes & lanienas hominum innocentium mandat, Deo magis obediendum est, quàm hominibus. Dedit imperium Principi Deus ad pietatem, justitiam & utile publicum, quo ipse quidem abuti, & nihilominus securus esse potest, quia nemo vitiis amittit majestatem: Securitatem aliis ad eadem crimina conciliare nequit: Nihil agunt, qui mandata

Prin-

Principis injusta exequuntur, ex imperio, quod ad impia nunquam extenditur, ideo nec ipsos imperium tuetur. Personalissima est securitas, quæ Principibus ex majestate competit, aliis nullo modo communicare licet. In patref. adhibenda distinctio erit. Si vivit in Rep. jure civium communi utitur, & potestatem domesticam independentem majestas ad se traxit, quare & filio, uxori atque servis conceditur defensio. Extra Remp. eidem imperium domesticum eandem securitatem dat, quàm majestas Principi. Nec magis verum est, cùm filius legitimè se defendendo patrem occidit, aggressorem occidere non patrem. Utrumque enim occidit, & eo ipso, quo filius est, & occidit, patrem occidit, quia relatorum uno posito ponitur & alterum. Non simpliciter vetitum est occidere parentes, sed insontes parentes ex malo proposito occidere, hoc verò est prohibitum: Si carnifex aliquis in civitate parentem haberet, qui homicidium vel furtum commisisset, & à magistratu ad gladium aut restim esset condemnatus, nullus ego dubitarem, per carnificem rectè fieri executionem posse, etsi filius sit: quoniam qui mortem commeritus est, & puniri potest, eum quis puniat nihil interest, licèt humanius fuerit & consultius, filium in tam tristi officio sublevare, & alium executorem è vicinia petere; Quod modum legitimæ defensionis attinet, in eo cavendum est, ne defensio in offensionem transeat. Hinc si cessat periculum, si invasor remittit violentiam, defensione ampliùs opus non est, sicut & tunc non adeò concessa vindicta videtur, cùm alio modo te potes periculo

exime-

eximere. Quoniam enim, qui legitime se defendere vult, primariò cædem invasoris non intendere debet, sed defensionem sui, ita qui cùm posset aliter impendens vitæ periculum declinare quàm cæde adversarii, & tamen occidit, is profectò corrumpit hanc intentionem, & eodem momento inculpatam tutelam. Non potest non mors inimici primariò intendi, ubi occiditur, cùm alia ratio se expediendi supersit. Illud tamen verum est, non teneri aliquem fugere, qui invaditur, etiamsi non sit miles vel nobilis. Distinctio hæc extra rationem à quibusdam excogitata, nam defensio juris naturalis est, quod distinctionem inter nobiles & ignobiles, milites & paganos ignorant. Secundùm primarium & excellentissimum naturæ jus omnes homines pares sumus, nec nobilibus magis vel minùs quàm aliis licet. Civile inventum nobilitas est, & opus majestatis, quæ bene meritos cives hoc splendore decoravit, ut aliis admirationi sint atque exemplo ad eundem honorem per virtutis viam consequendum. Multò minùs defensionis modum ille excedit, qui non expectat vulnus, sed prævenit; satis in periculo vitæ constituitur, quem violentus aggressor ipso facto hostili consilii & animi sui certiorem facit, & fortè vulnus primum expectando mortem etiam prior expectare posset. Concedimus defensionem etiam in eum, qui nondum aliquem aggressus, certissimè tamen animo suo cædem destinavit, quam innocenti nullo alio remedio prævenire integrum est. Quantò magis occidi poterit, ubi jam ad manus deventum est? Quæ hucusque de defensione vitæ legitima

Digitized by Google

tima dicta sunt, intelliguntur, ut quis seipsum defendere possit. Superest quæstio, an & alium defendere cum occisione ejus, qui te non læsit, liceat? Affirmandum arbitror; Est enim officium hominis, ut aliis, qua possit, prosit, omniaque à proximo pericula malaque avertat: Scilicet quod tibi vis fieri, alteri ut & ipse feceris, naturalis suadet æquitas, & præterea socialis ratio hoc omninò postulat. Quemadmodum enim in communi incendio omnes cives ad id extinguendum concurrunt, nec sinunt quemvis suo malo remedium quærere, ne & ipsi aliquando deflagraturi sint, si vicinas ædes ignis absumpserit, ita quoque omnes homines natura societatis appetibili inter se conjunctos, & quasi in una quadam universali communione degentes, decet omnem vim depellere, non solùm quemlibet à suo corpore, sed & socii, ne si hic aliquando perierit, ad te quoque malum transeat: Hinc rectè ab antiquis sapientibus illud scriptum est, nihil esse homini utilius homine altero. Nam & civi nihil utilius altero cive est. Si civis civi mutuo juvamine non succurreret, brevi eorum Resp. esset destitura. Sic sanè contra appetitum & jus sociale est, hominem, qui tui similis, iisdemque juribus communibus gaudet, in periculo destituere, quem inde tua opera eximere potes: quod autem est contra illum appetitum socialem, id est injustum, sequitur ergo, ut sit justum & condecens hominem ab homine juvari. In brutis, quæ ratione carent, instinctus quidam naturalis invenitur ad succurrendum illis, qui similis generis sunt, si opus sit. I modò, qui hæc non credis, ad

gregem

gregem porcorum vel armenta boum, unumque ex grege captum ad clamorem coge. Concurrent, me Hercules, omnes magno impetu ad arcendam vim periculumque. Hæc natura feris indedit, nobis ratio insuper præcepit. Dantur tamen gradus quidam inter homines, quibus succurrere æquum est. Ante omnia enim auxilium debetur Reip. deinde parentibus, liberis, uxori ac viceversa. Tum cognatis, civibus, vicinis, & postremo loco, utut aliæ causæ desint, hominibus, ob humanæ naturæ, quam participamus, communionem. Itaque vix est, ut feram, quod Struvius scribit *c. 4. aph. 3. Neminem alterius causâ teneri se periculo exponere.* Et existimat, tum demum peccare, *qui hominem deserit, si citra periculum defensio fieri possit.* Quid audio? Nemo tenetur alterius causâ se periculis exponere? Ne cives quidem & subditi Principis atque Reip. causâ? Nec Princeps Remp. & cives suo cum periculo defendere? Quid ergo Decii? meram solùm gloriolam pro patria moriendo quæsiere, ad id non obligati? Qualis verò hæc societas est, ubi nullus commune bonum nisi suo cum emolumento aut minimùm absque periculo promovere tenetur? Cur ergo qui, cùm possit, non defendit patriam, tam est in culpa, quàm qui eam prodit? Cur Aristoteles author est, oportere quemvis pugnare pro se, pro patria, pro cognatis atque amicis? Ad defensionem vitæ pertinet etiam defensio membrorum, quæ non minùs quàm vitam ipsam tueri licet. Periculum tamen mutilationis membrorum instans esse debet, non præteritum. Adversus eum, qui tibi plagas, qui vulne-

vulnera intendit, unde membrum lædi possit, tutelarem ensem stringere permittimus, non idem permissuri, si factum & scelus jam perpetratum est. Illud enim coram judice competente persequi debes, & non ampliùs cessant judicia, cùm periculum præteriit. Eadem utimur distinctione circa defensionem pudicitiæ. Ad stuprum, quod nondum illatum est, avertendum occidi stupratorem posse, adeò ut qui, cùm avertere occidendo posset, admittit, peccet, sicut is, qui vitam non tuetur. *Struv. c. 5. n. 3.* Illatum ulcisci nisi legitimo judiciorum modo non debere. *Conf. quæ diximus ad l. 2. c. 1. thes. 7.* ubi *dissentienti Zieglero respondimus.* Sequitur defensio famæ, quæ in injuriarum retorsione consistit; Quamvis enim fama & existimatio boni viri calumniis & mendacio tertii non possit detrimentum pati, apud alios tamen gravari potest: quam in rem præsentius remedium vix aliud est, quàm ut continuò contradicendo defendas innocentiam tuam, & convitiatorem ipsum ex lege talionis provoces, habeasque pro viro infami & deploratæ fidei, donec tibi crimen, quod inurere conatus est, probaverit. Atque hanc retorsionem ad privatam vindictam, eamque, quæ in continenti defensionis causâ fit, rectè quis meâ sententiâ retulerit; Quamvis enim & judicio contumelias vindicare possis, hactenus tamen saltem judicia cessare videntur, quatenus tuâ interest, ut ne temporis quidem spatio minimo patiaris injurias & scelera tibi cum mendacio afficta in te requiescere, sed oppidò contradicendo & in famam ipsius convitiatoris retorquendo apud illos, qui fortè

audierunt, diluas, ne tacendo videare consentire. Opinio enim de aliquo semel concepta nec in continenti refutata post difficulter admodum ex hominum animis eruitur. Hoc igitur respectu videntur cessare judicia, in quantum nullo tempore contumelias tibi affingi pati debes, quas rejicere statim potes: Et est certè quædam inter vitæ famæque defensionem in hoc convenientia, quòd sicut intentatum vitæ periculum cum læsione vitæ invasoris licet vindicare, ita quoq; attentatam læsionem famæ tuæ & honoris cum læsione famæ convitiatoris eluere. Ob injurias autem verbales injuriantem occidi non posse, ultrò concedimus, neque necesse est, quamvis vindictam ad vitam usque extendere, sed sunt & pœnæ & vindictæ certi gradus, quos transilire æquum non est. Veniamus nunc paucis ad defensionem rerum. Hanc justam & licitam esse etiam, si opus fuerit cum occisione res auferentis suprà *ad l. 2. c. 1. thes. 11.* disputavimus, neque nos adhuc sententiæ pœnitet. Addamus hic saltem pauca de requisitis hujus defensionis. Primò igitur, ut justa sit & concessa defensio, ablationem injustam esse oportet; Est verò tunc ablatio injusta, si res justo aliquo titulo ad te pertineat, & sub eodem eripiatur. Itaque qui vi, clam & precariò possidet, is domino rem repetenti obsistere nequit, quia dominus, quod suum est, vindicat, injustus possessor alienum retinere cupit. Contra extraneum tamen possessionem etiam injustam defendere poteris, quia ille in recuperanda possessione nullam juris prærogativam habet, imò hoc ipso, quo possides, superior es. Id quod tamen

tamen extendendum esse non opinor, ut judici quoque ejusque officialibus injustè procedentibus resistere concessum sit, quod asserit *Struv. de Vind. priv. c. 6. aph. 4. n. 4.* Hoc enim casu adeò præsens periculum non adest, quod vindicta privata requirit, & poteris res injuriosè per judicem ablatas appellatione vel aliis juris remediis consequi: qua in re non moror, sed pro me accepto potiùs allegatas leges. *l. 5. C. de jur. fisc. l. 5. C. de Execut. &c.* quia quod ibi privati faciunt, non sua sed publica authoritate atque permissu faciunt, propterea que terminis vindictæ privatæ non inhærent. Secundum requisitum est, ut defensio seu vindicta ad res retinendas sive recuperandas fiat contra eum, à quo istas probabiliter jure nequeas repetere. Tum demum enim in periculo rerum amittendarum constitutus es, & licita erit interfectio, si jura tibi auxilio desint. Fortè quòd ignotus cum rebus tuis aufugerit, ex qua eadem causa ego suprà *ad d. §. 7. c. 1. l. 2.* occisionem furis nocturni legitimavi, quia tenebris occultatur, nec de rebus ablatis ob ignorantiam judicio pulsari potest. Falsissimum enim est, quod alii tradunt, furem non occidi propter res, sed concurrens vitæ periculum, quoniam hæc limitatio neque in Romana neque Hebræa lege addita reperitur, sed simpliciter permittitur occisio furis nocturni. Ratio non alia, quàm quòd cum rebus ablatis aufugiat ignotus. Diurnus ita demum occidi potest, si se telo defenderit, ergo nocturnus indistinctim. Ex qua oppositione ratio nostra perspicuè elucet: quare cur non probem sententiam Davidis à Mauden, permitten-

Digitized by Google

tis furem fugientem sclopeto trajicere, causam non video. Quem enim occidere possum, eum quomodo occidam nihil interest. Tertia cautela est, ut, sicut in occisione prædonis ad vitam conservandam non directò occisio intenditur, sed vitæ tutamen. Sic & in rerum defensione, principaliter res conservandæ in animo sint, & per consequentiam demum raptoris cædes. Unde sequitur, non licere occidere eum, quem securè deprehendere potes, & judicis animadversioni committere. Et si in hunc sensum clamorem interpretatus fuerim, quo leges furi nocturno acclamari jubent, ut sc. si possibile sit, capiatur potiùs vicinorum auxilio & concursu, quàm occidatur, haud valde erraverim. Quæritur hîc, an sicut quis in rebus corporalibus occidere raptorem potest, ita etiam possit occidere turbatorem in rebus incorporalibus? Affirmandum arbitror, si idem periculum & damnum irreparabile accesserit, quod tamen vix contingere puto, nisi in servitutibus personalibus, iisque non omnibus, sed quibusdam saltem. V. gr. si aufugerit is, qui nobis operas debet; In realibus propter prædiorum immobilitatem & cessans propterea periculum occisio interdicta est, alia tamen sine occisione defensio ad modum offensionis proportionata, licita: id quod de omni rerum defensione dictum volo. Neque enim ea in sola occisione raptoris vel invasoris consistit, sed hæc est quasi ultimum & necessarium refugium, ad quod remediis aliis omnibus deficientibus cum mœrore & luctu confugiendum est. Ita verbi causâ creditori conceditur debitorem cum debito fugien-

tem

tem persequi & capere. Quod si autem id sine ejus vitæ periculo facere non posset, & tamen, nisi occideret, credito ei carendum esset, occidat potiùs, quàm ut sine sua culpa damnum sentiat: Siquidem juri suo inhærere vult. Quod si verò caritatem Christianam eminenter exercere, relinquat res suas ideo, ne proximum occidat. Utrumque rectè potest facere, rectiùs tamen hoc illo: Publicanus verò, qui res ob vectigal non solutum retinet, authoritate publica non sua utitur, quo trahi & illud velim, quod de metatoribus in *l. 5. C. de Metat.* dicitur. Referuntur quidem à Struvio & aliæ causæ ad privatam vindictam, quæ ob concurrentem publicam auctoritatem sibi in iis primas vindicantem ad publicam potiùs spectant. Ita quod cuique hostem publicum occidere liceat, in eo quivis Reip. miles fit, & res non suas, sed Reip. agit. Quemadmodum & pater, qui adulterum cum filiaf. deprehensum, itemque maritus adulterum vilem occidit, in eo executores justitiæ à Rep. dati videntur. In jure domini servum castigandi aliquæ quidem hujus libertatis reliquiæ apparent, adeò tamen à majestate diminutæ & redactæ in ordinem, ut de iis multa dicere opus non sit. Multò minùs retorsio juris iniqui huc pertinet, quoniam ferè semper apud judicem per modum actionis vel exceptionis proponitur. Repressaliæ item auctoritate publica decernuntur. Idem judicium de pignoratione, vindicatione privata vi conventionis & concessa in ultima voluntate esto, quia in omnibus præsens periculum cum cessatione judiciorum non concurrit,

lege itaque magis hi actus, quàm privato arbitrio stant.

Quod Cajus Cæsar.] Mirum, quàm impertinenter & frigidè respondeat hîc Dn. Zieglerus, *nec Cæsarem utpote Principem juventutis privatum fuisse.* Primò enim nomen Principis juventutis dignitatis magis alicujus & honoris, quàm Magistratus vel potestatis fuisse constat. Principes juventutis non erant propriè Magistratus, sed ad capiendos Magistratus designabantur. Deinde nomen ipsum eo tempore, quo Cæsar piratas persecutus est, dignitatis in Rep. nomen planè nondum erat, quippe post mortem Cæsaris demum ab Augusto successore ad firmandam Principatus potentiam inventum, interque arcana domus relatum ad imitationem Principis Senatus. *Vid. Bœcl. ad Tac. 1. Ann. 1.* primique, qui ita vocati sunt, fuere Cajus & Lucius Aggrippa geniti, expressè id attestante *Tacito 1. Ann. 3.* quî igitur potuit Cajus Cæsar juventutis Princeps fuisse, cùm tunc temporis nullus eo sensu Princeps juventutis fuerit? Sanè dicebantur quidam hoc elogio in ludis Trojanis, à pueris majoribus & minoribus turmatim congredientibus, Romæ in circo celebrari solitis, iique erant ex numero filiorum primi nominis Senatorum, *Rosin. antiq. Rom. c. 5. l. 25.* Verùm hi non magis personæ erant publicæ, quàm Cyrus puer à pastoritia juventute Rex per ludum electus.

§. 9. *Virum bonum.]* Objicit Dn. Zieglerus, *ergo potestas hujus juris non est naturaliter penes unumquemq, sed penes virum bonum tantùm.* Verùm Grotius intelligit hîc virum bonum,

num, qui iisdem criminibus contaminatus non est. Secundùm ea, quæ *ad §. 3. h. t.* tradidit.

Sapientem nunquam esse privatum.] Fatendum est, hæc Stoicorum quædam axiomata in civili prudentia applicationem non invenire; Prudentia & sapientia neminem publicum facit, nec simplicitas & rudior illa ignorantia privarum. Everterent hæ tropicæ locutiones non rarò obsequium Imperantibus debitum, si indistinctè admitterentur, quemadmodum Seneca pro suo quidem scopo non absurdè, subditis verò in tempestivè & cum periculo dixit, sapientis omnia esse, sensus tamen Grotii, quem annotatione proximè antecedenti dedimus, negotio nostro apprimè quadrat, nec aliter intellexisse credibile est.

§. 10. *Leges humanæ.*] Notanter, quoniam natura cuivis permittit, leges humanæ iis, quibus maximè convenit.

Pharmaca sensui ingrata.] Sc. medendi modo, qui est per contraria, ut suprà.

At Christus idem nobis non permittit.] Christus Salvator noster, qui non venit in hunc mundum, ut abrogaret legem, sed ut impleret, imprecationem judicis in novo Testamento non sustulit, sed ne ex rancore animi, invidia, soloque litigandi & proximum nostrum injuriis vexandi proposito litigemus, interdixit. Certissimum verò est, & ipse Grotius fatetur, in Testamento veteri licuisse Judæis adire judicem & coram eo legitimo modo jus suum persequi. Ita enim Mosi Deus præcipit *Deut. 16. 18. Judices & præfectos constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus*

Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio. Et Exod. 22. 9. expressa super officio judicis implorando mandata dantur. *Super omni prævaricatione*, habent verba textus, *tam in bove quàm in asino & ove ac vestimento & quicquid damni inferri potest, ad Deos sive judices causæ utriusq; perveniet. Conf. Deut. 17. 8. & Deut. 19. 17.* Has sanè leges Christus nullibi facessere jussit, à corruptis verò & detortis Pharisæorum explicationibus vindicavit, ut suo loco videbimus, nec privatos à judiciis in genere prohibuit, sed solùm more Pharisaico instituere vetuit. Quod enim judicia ipsa attinet, illa per se mala esse non possunt, quoniam sunt Dei ordinatio, quod verò Deus instituit, ordinat ac mandat, eo salva & illæsa conscientia Christianus uti potest. Scilicet sunt Judices & Magistratus, qui privatis jus dicunt & ad eorum petitiones respondent, nihil aliud quàm ministri & officiales ipsius Dei, quo sensu etiam judicium Dei dicitur *Deut. 1. 17.* Quemadmodum igitur cuivis licet clamare ad Deum contra eos, qui nos opprimunt & injuriis afficiunt, ita non minùs terrestres ejus vicarios implorare possumus, ut innocentiæ auxilio & improbitati exemplo sint, qua ratione expressè divina sapientia edixit, *per me reges regnant, & judices decernunt justa:* (a) per quem verò judices judicant, ejus bona venia etiam judices ad justitiam administrandam hortari licet: id quod magis insuper ex concessione imperii & majestatis, quam Deus Principibus largitur, elucet: Non inter postrema majestatis jura & operatio-

(a) Proverb. 8. 16.

rationes ponitur jurisdictio, seu potestas civibus jus dicendi, Cui fini autem quæso hæc potestas concederetur, nisi miseris & à malitia aliorum oppressis civibus eadem pro sua tutela & solatio uti concessum esset? quin illud quoque non absurdè sequeretur, magistratum imploratum officium suum impertiri rectè non posse, ubi implorans non rectè petere potest, hæc duo enim invicem sequuntur tanquam relata, quorum uno posito & alterum ponitur, si Magistratus officium non rectè potest impertiri, potestas juris dicundi vitiosa esse oportet, quia quod bonum est, eo semper uti licet; Sed vitiosa non est, quia à Deo est. Licebit ergo eadem uti. Nec nos etiam omnino ex novo Testamento probationes deficiunt, quibus judiciorum auctoritas, etiam quod privatos attinet, defenditur. Princeps locus *Rom. 13.* exiftit, ubi Apostolus breviarium totius politicæ sapientiæ concinnans iter alia, seu potiùs per eum Spiritus S. ita fatur. *Magistratus est minister Dei in bonum. Si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium gestat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè agit.* Imprimis hîc notari duo debent. 1. Commendari potestates publicas ab utilitate & bono, quod eas sequitur. 2. Dari iisdem facultatem animadvertendi in facinorosos & improbos. Quod primum attinet, certo certius est, in civili vita melius quid utiliusque imperio nihil esse, nec deterius ἀναρχίᾳ, quam omnium rerum confusio sequitur. Est enim ordo civilis, qui præcipuè imperio constat, vinculum illud inter cives æquitatis & unitatis, quo infimi cum summis ita com-

ponuntur, ut suavissimo concentu quisque suum in Rep. munus obeundo quietè & feliciter vivat: sed hæc à Politicis ubique fusiùs persecuta videas. Quare potiùs alterum excutiemus, quo Magistratui potestas puniendi noxios datur; ubi continuò advertendum est, in puniendis sontibus & coërcenda improborum malitia solere judicem procedere duplici ratione. Vel per viam inquisitionis, vel accusationis: Utramque Apostolus complexus est, quòd neutram verborum generalitate excludat: Vindicem dicit in eum, qui malè agit; Agit verò non solùm ille malè, qui per modum inquisitionis puniri potest, sed & qui actione legitima pulsari. Multa sunt, quæ judex non nisi ad partis læsæ implorationem corrigit, ut ferè semper in contractibus fit. Qui socium defraudat, qui mandatum non exequitur, depositum, commodatum & mutuum non reddit, qui pignore abutitur, fidem non servat, &c. is malè agit, & vindicem magistratum timere debet. Sed non est vindex Magistratus nisi imploratus, quare concessum bonis erit eum super auxilio implorare, quia si injusta esset actio, injusta sequeretur vindicta. Alium insuper arguendi locum ex eodem dicto ita colligimus. Magistratus dicitur minister Dei in bonum, illud verò bonum à Deo est, sicut ipsa publica potestas. Non peccamus igitur, qui bono nobis divina benignitate indulto utimur, nec solet Deus hominibus bona sua ad gingivam ipsis movendam proponere, sed ut omnium utilitati atque saluti cedant. Secundum argumentum desumimus *1. ad Corint. 6.5.* quando idem Apostolus Paulus Corinthios suos hoc

modo

modo increpat. *Sic nō est sapiens quisquam inter vos, qui possit judicare inter fratrem suum.* Non improbantur hîc in universum judicia, sed jubentur Christiani litigare corā Christianis. Si litigare Christus suis discipulis omnino interdixisset, non potuisset Apostolos litigia concedere, quin simpliciter & rigidè satis potiùs injunxisset, perferrent injurias, non vindicarent judicio: Hoc verò cùm tantùm conditionatè dixerit, omnem judiciorum in privatis usum non abstulit. Non præcipit, abstineant omni lite, sed ne facilè coram tribunali paganorum litigent: quamvis verò Paulus potiùs de arbitris mihi in eo loco loqui videatur, ab iis tamen ad judicia rectè infertur, quia si privati in judicio versari non possunt, nec poterunt habere arbitros 3. Attendendum probè est Salvatoris nostri dictum *Matth. 5. 25. & Luc. 12. 58. Quando vadis*, inquit Dei filius, *cum adversario tuo ad Principem in via, da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad judicem.* Consilium hîc dari videmus de lite amicè componenda, nullam litis ad judicem deferendæ prohibitionem. Id quod hodienum non solùm officium privatorum, sed & ipsius judicis est, ut primò ante omnia tentet, si qua ratione partes conciliari possint. Si verò in jus vocatio illicita esset, reprehendisset Christus potiùs accusantem, quàm consilium dedisset accusato. 4. Videtur Christus ipse provocare ad judicium, cùm præter meritum à servulo Pontificis percussus dicit, *si malè locutus sum, testimonium perhibe.* (a) Quem deinde clariùs Apostolus Paulus secutus est, cùm se apud Prætores

(a) Joh. 18, 23.

tores contra Judæos defendit, & tandem ad tribunal Cæsaris appellat. *Act. 16.* quod profectò exemplum inevitabile est, nec video, qua ratione Paulus, inculpatæ vitæ Apostolus & Dei vivi nobile ad voluntatem ejus gentibus patefaciendam instrumentum excusari potuisset, si non liceret privatis coram judice litigare. Per appellationem enim quis actor fit in secunda instantia, & non minùs appellans litē ad judicem trahit, quàm actor primæ instantiæ, & propterea non minùs quoq; eum interdictum attinuisset, si ullum esset. 5. Christus dicipulis suis & nobis omnibus per parabolam, ut consuevit, assiduas commendat preces exemplo viduæ, quæ aliquotiens Judicem adeundo defatigans jus suum impetrat. (a) Si judicem implorare vetitum est, Salvator noster rem mali exempli illustrationi atque confirmationi rei optimæ non adhibuisset: nunc verò potiùs ita colligimus, sicut licet omnino miseris & afflictis hominibus precibus ad Deum datis solatium quærere; itaque quoque iis, qui injuriam à proximo patiuntur, conceditur, adire judicem, & satisfactionem legitima actione quærere. 6. Si in foro Ecclesiastico adhuc improbos accusare liceat, licebit etiam idem in foro politico, quia utilitas publica & emendationis necessitas utrobique par est. Prius verò concedi apparet mandato Christi, qui jubet fratrem irreconciliabilem coram communione accusari, eundemque haberi pro Ethnico. Ubi imprimis nota, quòd in hac tali accusatione etiam aliquid civilis ordinis concurrat. Jubetur enim frater accusari coram com-

(a) Luc. 18, 3.

communione, quæ magis in ſecularibus quàm Eccleſiaſticis judex eſt. 7. Si judiciorum uſus privatis non eſſet conceſſus, non ſolùm graviſſima in Rep. quavis confuſio, ſed & totalis cujusvis Civitatis ruina ſequeretur. Improbi enim & pernitioſi homines, qui ab injuriis aliorum vix metu pœnæ continentur, rupto hoc repagulo in omnia ſcelera, rapinas, fraudes, homicidia, perjuria, &c. ruerent, nulla contractuum, nulla fidei haberetur ratio, & ſic ex ordinata civitate fieret Cyclopica illa ἀναρχία, quam neceſſariò ipſa Reip. peſtis ſequeretur. Hunc igitur inauditum rerum ſtatum inducere ſi Chriſto fuiſſet in animo, cujus regnum tamen de hoc mundo non eſt, ut ipſe fatetur, utique haud dubiè verbis perſpicuis & ſpecialibus intimaſſet. Hoc autem tantum abeſt ut fecerit, ut potiùs expreſsènon ſolùm poteſtatem legitimam in Magiſtratib9 confirmaverit, ſed & ipſe recognoverit, jubendo Cæſari dare, quæ ſunt Cæſaris, itemque exſolvere tributum debitum. At ſub poteſtate publica comprehenduntur etiam judicia: quare non minùs quoque à Chriſto confirmata cenſentur. Tandem omnes illas rationes, quas Grotius ſuprà *l. 1. c. 2. theſ. 7.* attulit ad probandum, bellum aliquod etiam à Chriſtianis licitè & juſtè geri poſſe, contra ipſum hîc militare debent, quoniam ſi Chriſtus Principibus permiſit, ſe ipſos bello vindicare ab injuriis, quantò magis privatis actiones ſuas ſuper iis coram judice inſtituere. Hæc via enim mitior eſt, magisque caritati Chriſtianæ decens & accommodata. Bellum multos ſæpè innocentes involvere ſolet, privatus jus

ſuum

ſuum ſine omni tumultu ab eo repetit, qui ad dandum vel faciendum tenetur. Atque hæ ſunt potiſſimùm rationes, quibus judicia à Chriſto privatis non ſubtracta eſſe credere debemus, & poterit, qui vult, illam inſuper generalem addere, quod abrogatum vel mutatum non eſt, cur ſtare prohibeatur? Videamus nunc Grotii argumenta, quibus imperitis fumum facit. Princeps ei eſt, quod petit *Matth. 5. 38. audiſtis dictum fuiſſe oculum pro oculo, dentem pro dente &c. ego autem dico vobis, non reſiſtendum eſſe malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et* (a) *qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Reſpondemus, tollere his verbis Chriſtum non judicia ipſa, nec vetare omnino coram judice de re temporali litigare, ſed ſaltem vindicare legem Moſaicam à corruptelis Phariſaicis & improba applicatione. Non novam fert de judiciis abrogandis legem, ſed veterem explicat & declarat: Phariſæi intelligebant legem de privata vindicta, quatenus ſubditis prohibita eſt, & colligebant, ſingulis etiam privatis accepta injuria licere ſe ulciſci ac malum pro malo reddere, ſervato ſaltem talionis modo. Chriſtus verò huic depravationi veram legis interpretationem opponit, pertinere eam ad Magiſtratum in Rep. ad hunc oportere cives querelas ſuas deferre, & officium judicis pro correctione atque ſatisfactione implorare, ac quodcunque Judex causâ cognitâ juſtum & æquum eſſe pronunciaverit, in eo obſequioſè acquieſcere, nec

ſe

(a) Vers. 40.

se ipsos vindicare, etiamsi ex eorum opinione judex jus non dixerit: Ad privatos itaque, non publicos Magistratus pertinet edictum, *ne resistant malo*, nimirum ne se ulciscantur propria authoritate, id quod & jam Moses suo tempore prohibuerat, *Lev. 19. 18.* privatis præcipens, *ne quæras ultionem, nec memor sis injuriæ civium tuorum.* Ubi septuaginta Interpretes notanter verterunt, *non ulciscatur manus tua.* Quod privatæ vindictæ apprimè quadrat. Licuit interim coram judice legitima actione pulsare debitorem, & hac via à Deo ipso approbata, ut vidimus, suum consequi: Sanè Grotius sibi ipsi in hoc argumento constans admodùm non est, dum in *l. 1. c. 2. thes. 8.* hæc Christi verba apertè pro nostro sensu declarat. *Atq; non hoc dicunt verba*, inquit, *neq; enim Magistratus hic alloquitur Christus, sed eos, qui impetuntur, nec de quavis agit injuria, sed de tali, qualis est alapa. Sic in præcepto sequente, qui velit tecum litigare, ut tunicam accipiat, dimitte illi etiam pallium, non omnis provocatio ad judicem aut arbitrium prohibetur. Paulo interprete, qui lites non omnes prohibet, 1. Corinth. 6. 4. sed vetat Christianos in prophanis auditoriis inter se litigare.* Perspicuè ex hoc Grotii loco fit, Christum *Matth. 5.* illa oppositione omnem judiciorum usum non tollere, sed tantummodo prohibere, ne privati se ipsos vindicent, quod & lex ipsa prohibuerat, *lev. 19. 18.* Pharisæi autem sive ex malitia, sive supina quadam ignorantia explicaverant pro privata vindicta, ut illicita est, quos hîc Christus refutare & de vera legis sententia docere voluit:

Quam

Quàm enim in tota lege miseri & perversi interpretes Doctores illi hebræi fuerint, inter alia plura generali Salvatoris nostri pronunciatione discimus, ubi *vers. 20. d. c. 5.* ait. *nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis regnum cœlorum*, quia hi plerunque instar aranearum neglecto melle venenum ferè ex lege exsuxerunt, unde & tam alienam & heterogeniam sibi justitiam ex operibus suis finxerunt, quam non nisi in applicatione satisfactionis futuri Messiæ per fidem habere poterant. Quod specialiter præceptum de tunica dimittenda attinet, genuinus sensus est, obfirmare debere Christianos animos ad quasvis injurias patienter perferendas. Et si quando contigerit, ut justam causam foventes in jure nihilominus succumbant odio aut corruptela judicis, ne propterea auctoritati publicæ adversentur se ipsum vindicando, multò minùs excitando tumultus atque seditiones, sed parati sint vel majores adhuc perferre injurias, quàm ut quicquam contra præceptum Dei, qui Magistratui non solùm justo, sed & iniquo parere jubet, aut caritatem Christianam vel in offensionem & scandalum proximi committant: Poterat enim in primitiva adhuc & parturienti Ecclesia facilè evenire, ut Christiani sub gentili adhuc potestate viventes, & odiis ferè omnium instinctu Diaboli atque persecutionibus gravissimis velut flagitiosissimi homines expositi coram pagano tribunali injuriam acciperent, quam Christus patientiæ Doctor ferre præcipit, tum quòd patientia præcipua Christianorum virtus sit, tum quòd sententiæ

judicis

judicis etiam iniquæ acquiescere civem deceat, tantò magis Christianum, nemini enim permissum est insurgere in imperantes, quibus Deus potestatem in subditos concessit, civibus autem obsequium, non vindictam & tumultus commendavit. Appellationis tamen beneficium, ut & alia jure communi competentia nou adempta sunt: His autem deficientibus injurias per se ulciscimalum est, ubi strictè obedisse oportet, sicut oportet tunc, quando Judex superiorem, qui appellari posset, non habet. Tunc sanè si tibi tunica tua per injuriam abjudicata sit, dimitte potiùs etiam pallium, quàm ut jussui & mandato superioris non obsequare: Nec tamen pallium neque tunicam dimittere debes, si privatus ea à te requisiverit sub concussione intentandæ litis, nisi parueris. Huic nullo obsequio obligatus es, & poteris in judicium vocatus bona conscientia te sistere, & judicem docere de jure tuo calumniisque adversarii. Minus nobis negotii facit locus *Matth. 6. 15. & 15.* quem Grotius pro se allegat: ubi hæc habentur verba. *Porrò si remiseritis hominibus errata sua, remittet & vobis Pater cœlestis. Quod si non remiseritis hominibus errata sua, nec Pater vester remittet errata vestra.* Præcipit, ut perspicuum est, Salvator Christianis & discipulis suis, ut fraternè & amicè inter se vivant, nec se injuriis aut contumelia afficiant. Ne unus ab alio, quod sibi debetur, repetat, non vetat. Constantissimè hæc duo inter se stare possunt, amare proximum, eique ex animo condonare errata. & tamen in justa causa cum eo litigare. Quicunque enim causam

suam piè, & ut Christianum decet, in judicio agere vult, is non litem, non inimicitias intendere principaliter debet, sed nil nisi jus suum intueri, quod ipsi ab adversario debetur, nec ad amicam interpellationem redditum est. Arripit itaque unicum, quod potest, remedium, actionem nimirum ad illud consequendum legitimam, ad eamque non nisi cum maximo luctu atque ferè lachrymis descendit: amat nihilominus ex toto suo corde eum, cum quo rem habet, illique omnia bene precatur, condonat injustitiam, contumaciam & injurias omnes, vindicat verò id solùm, quod sibi debetur. Quod si enim delictum cõdonari, pœna verò exigi rectè potest, ut exemplo Davidis apparet, quantò magis errata & offensiones remitti proximo, res verò debita ab eo peti. Deinde clarè ostendit textus, (*a*) quid remittendum proximo sit, παραπτώματα sc. & errata, quæ proximus ipse pro erratis agnoscit, & eorum à nobis pœnitentiâ ductus precatur veniam. Hæc facilè sanè remitti possunt & debent. At si errata agnoscit, ad judicem eundum non erit, reddat enim sua sponte, quod à se injustè possessum esse dolet. Prohibemus itaque omninò à judiciis omnia ea, quæ non tam causæ serviunt, quàm ad animorum exulcerationem faciunt, offensionesque mutuas & immortales ferè inimicitias post se trahere solent: sed vitium à re ipsa distinguendum est, nec per se bonum cum adjuncto malo tollendum. Quicunque animi malevolentiâ suffusus, invidiâ corruptus, iracundiâ incensus, proximo negotium facessit, non tam ut id,

(*a*) Vid. omn. Luc. 17, 4.

id, quod sibi debetur, habeat, quod quandoque minima & vilis res est, sed ut se vindicet, & adversarium in damna, impensas atque difficultates alias pertrahat, in processu deinde per convitia, calumnias, fraudes, impostoras, sophismatum præstigias & sycophantias litem impedit, implicat, differt, judici fucum falsis probationibus facit, aut muneribus corrumpit, & quæ sunt alia innumerabilia, judiciorum sanctitatem per accidens obnubilantia; is quî peccato carere potest, in quo profundissima peccatorum omnium diluvio reperitur? Ubi verò apud Judicem primò quæritur justitia, & ut habeas, quod tuum est, vel tibi debetur, item ut is, qui injuriam fecit, corrigatur, ne ampliùs ad antiquum morem redeundo noceat, moneatur, aut, ne nobis eam inferat, repellitur & adigitur ad cautionem, nec non ut alii quoque exemplo sibi à delictis cavere discant, idque secundùm ordinem publicum & legitimum procedendi modum persequaris cum mœrore animi, omninò non litigaturus, si per adversarium liceret, quî nocens & peccator esse poteris, cùm præcipuas Christianæ sanctitatis virtutes exerceas? Et si Corinthii in hac subtilitissent innocentia, Paulus certè Apostolus (*a*) eos nunquam reprehendisset hoc solo nomine, quòd inter se litigarent coram Judice, quippe ipse etiam in causa, quam cum Judæis habuit, ad Cæsarem appellavit: Improbat verò Apostolus in Corinthiis suis, 1. quòd damno & injuriis se invicem afficiant, cùm sint fratres, & deinde propter læsionem in judiciis litigent. Non perstringit simplici-

(*a*) 1. Corinth. 6.

pliciter litigium, sed potiùs causam & origines litium, i. e. injurias atque damna: antecedens & propter quod ad judicem itur, reprehendit, non consequens, judicium ipsum. 2. Taxat, quòd Corinthii ob res quasvis leviusculas & compositu faciles actiones invicem habeant, ἥττημα, ait, quod defectum aut imbecillitatem significat. 3. Imprimis etiam displicet Apostolo, quòd Corinthii in rebus illis levioribus, quæ amica possent transactione sopiri, ad judicem Ethnicum eant, injustum plerunque & gravem Christianis: Et inferre hoc vult. Tentare ipsos priùs omnia debere, quàm ut coram tribunali pagano lites exerceant, tum quod ab iis vix justitiam consequi possint, quibus extremo in odio sunt, tum quòd apud se habeant viros prudentes & æqui bonique sat peritos, in quos promittere & arbitrio discrimina finire possent: de arbitris enim accipio, quod Paulus dixit, *sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?* Veri judices & Magistratus intelligi ideo nequeunt, quoniam Civitas Corinthum cum tota Græcia tum temporis erat in fide & ditione Romanorum Imperatorum, qui Magistratus suos solebant ad jus dicendum mittere, vel patiebantur Senatum & Magistratus è Civitate constitui, quibus deinde omnis civitas tenebatur obsequium præstare & honorem, neque Christianis illos declinare licuit. Neque hoc in suis Apostolis reprehendit, quòd vocati ad judicem paganum eant, sed quòd se ad eundem vocent, cùm possent viros quosdam bonos & æquos eligere, illisque discrimina sua dijudicanda committere, atque

hac

hac ratione judicia gentilia quasi per obliquum declinare. Jure enim Romano constitutum est, ut quam arbiter sententiam dixisset, sive ea æqua esset sive non, eædem partes compromittentes stare teneantur, adeò ut non nisi in atrocissima & palàm manifesta læsione ad arbitrium boni viri redigatur. Et nullus ego dubito, quin Paulus quoque, quando ad Cæsarem appellavit, si Christianum vel judicem vel saltem arbitrum habere potuisset, coram eodem maluisset suam innocentiam defendere. Verùm nimis arctè Ecclesia Dei tum coibat, & humilitate sua potentioribus despicatui erat. Non poterat sibi proprios dare Magistratus, & obligabatur potestati atque imperio gentilium subesse, sub quibus crescere quoque cepit, donec auxilio divino tandem à contemptu & infinitis persecutionibus erigere caput inciperet, ipsosque in suum gremium Imperatores Romanos reciperet. Tunc & Christiani Magistratus constanter esse cepere, tunc de hostibus suis triumphavit Ecclesia, & ligato ad infernum diabolo, ut antea Martyrum sanguine & miraculis, ita pòst pace & auctoritate crevit.

Quatenus in futurum cavet.] Quando injuriam nondum accepimus, sed, ne accipienda sit, timemus, dehortandus à proposito amica admonitione proximus erit, de cujus resipiscentia optima quæque sperare debemus. Qui si insuper pœnitentis animi indicia probabilia exhibuerit, judice planè opus non est, & magis tibi hac cautione consultum erit, quàm si judiciali sententia adactus nolens volens tibi securitatem promiserit.

Justus erat.] I. e. mitis atque facilis: Poterat autem Josephus vir pauper & humilis multa ex accusatione publica incommoda metuere, quæ dissimulatione opprobrii evitare satius esse duxit: Non vetat quidem lex sponsam deferre, neque tamen etiam præcisè jubet.

Quæ non privato, sed publico bono consulunt.] Omnes pœnæ in publicum bonum vergunt, etiamsi utilitas ad privatos interdum redundet. Semper interest Reip. ne improbos cives habeat, quare non minùs interest, ut improbos per delationem cognoscat. Et si Christus nihil legis Mosaicæ sustulit, ut hîc fatetur Grotius, sanè nec eam partem abrogavit, quæ privatis indulgebat ad judicem deferre querelas suas.

§. 11. *Davidis exemplo.]* Cui Deus peccata adulterii & homicidii condonavit pœnitenti, pœnam temporalem non condonavit; Actus enim à filio in exilium & opprobrium ingens in uxoribus per stuprum passus satis acerbam Vindicis Dei manum sensit.

§. 12. *Saltem ex parte aliqua.]* Rectè hanc limitationem addit: sunt enim quædam delicta, quæ ipse Deus morte punienda præcepit, nec vita nocenti à Magistratu sine peccato condonari potest.

§. 14. *Christiano homini privato.]* Qui scilicet est sub imperio alterius, nisi iis casibus, quibus judicia cessant.

Instruuntur mandatis à publica potestate.] Quoniam in piratas commune omnibus gentibus bellum est, ideoque semper talia mandata

data ſubditis data præſumuntur, etiamſi expreſſum juſſum non adfuerit.

§. 15. *Niſi officio.*] Conſtituuntur fiſcales rerum criminalium, ut eò magis ſervetur civilis ordo, itemque ne delicta ob defectum accuſationis maneant impunita. Quoniam enim Fiſcus præmia ex pœnis criminoſorum captat, privati verò tum ob periculum ſuccumbendi in accuſatione, tum propter tædia litigiorum non facilè ſe his proceſſibus, unde ipſis nihil commodi eſt, implicant, perſona publica conſtituitur, quæ ſumptibus publicis proceſſum proſequitur. Aliàs & officium boni civis eſt, omnia ea, quæ in detrimentum Reip. vergunt, ut ſunt maleficia, Reip. deferre. *Conf. Dn. Ziegl. h.*

§. 16. *Minimè conſultum eſſe.*] I. e. periculoſa eſſe hæc officia, quoniam facilè reo innocenti damnum irreparabile poteſt inferri, & idcirco illa ſtudiosè non affectanda, neque tamen boni publici causâ declinanda.

§. 17. *Jus verum præſtant, etiam apud Deum.*] Poſſunt ſanè quandoque utilitate publica ſic ſuadente etiam privati executores juſtitiæ dari, neque has leges injuriam continere arbitror. Non videtur legislator, dum marito & patri adulterum occidere permittit, ſoli eorum dolori indulgere, ſed & eosdem conſtituere ad exequendum homines maleficos, qui ſceleribus pœnam & ſupplicium ultimum commeruere. Idem dicerem de militibus populatoribus: Si quæris, quæ tamen inde utilitas in publicum redundatura ſit, reſpondeo, vix quenquam adeò mitis & manſueti ingenii eſſe poſſe, ut ab adu te-

ro cum uxore vel filia deprehenso manus abstineat. Quare ne hoc modo peccet sibi arrogando, quod publico ordini debetur, constituitur à Rep executor adulteri, & sic non suo nomine, sed permissu & auctoritate publica occidit.

§. 18. *Actus merè interni.]* Unde ad homicidii pœnam non sufficit nuda de homine interficiendo cogitatio, sed cum actione externa concurrere debet, v. gr. qui cum sica in foro animo cædis faciendæ ambulat, homicidii reus est. Gallia tamen perduellionis damnavit aliquem, qui sacerdoti confessus est, se aliquando occidendi Regis consilium cepisse, id quod plerunque à viris eruditis improbatur.

In externas influunt.] I. e. cogitationes nudas externis actibus prodidit, v. gr. venenum coxit, alienas nuptias interpellavit, scalas ad domum applicuit &c.

§. 19. *Actus inevitabiles.]* Leges enim pœnales ita ferri debent, ut conditio humanæ naturæ admittit, ne, dum quævis Magistratus punire vult, omnes rei fiant.

§. 20. *Excipiendæ sunt.*] Exceptio hæc adeò exhaurit regulam, ut eædem nihil superst. Quia & suprà Grotius dixit, unum sufficere finem, ut pœnæ locus esse possit. *Vid. omn. Dn. Ziegl. h.*

Natura coactionem omnem repudiat.] Ergo ubi coactio est, actus tales punibiles sunt. Hinc quia cogi frater potest, ut fratri in paupertate constituto alimenta præbeat, ne fame moriatur, exemplum tale, quod allegat Dn. Ziegl. quadrare non videtur: Possunt enim & alii esse actus misericordiæ, quos si omittimus, magistratus non

non vindicat, quia in libertate humana consistunt, imò, quem pœnis & imperio ad benefaciendum adigere possumus, eum debitum reddere, non misericordiam exercere existimo.

§. 21. *Facere quod non debet.*] Potest enim jus suum remittere, sicut creditor sapiens non præcisè cogitur debitum exigere, si noluerit.

Debitam esse pœnam.] Non pœnam debet is, qui exigere potest, sed à quo exigitur: Ut ad §. 2. explicavimus.

§. 22. *Ante legem pœnalem.*] Scilicet quæ certum pœnæ genus constituit delicto: Hæc enim propriè lex pœnalis dicitur, jus naturale verò nil nisi dignationem quandam ad pœnam infert, omninò puniendum reum esse non jubet: & propterea Grotio nomine legis pœnalis non venit.

Non ideo sequitur.] Naturaliter, & priusquam Deus certa crimina specialibus pœnis determinavit, idque lege omnes obligatura, sicut homicidium. Hæ enim omninò post legem latam exigi debent, & soli Deo dispensatio in his competit, cæteris omnibus negatur, quia lex non ab illis lata est, qui circa eam dispensare volunt, sed potestate superiore. Necessarium autem de lege dispensationis requisitum est, ut dispensans vel sit ipse, qui legem fecit, aut sanè eo non inferior. Quemadmodum enim Magistratus & judices in Rep. constituti solvere neminem legibus civilibus possunt, sed hæc solutio ad solam majestatem pertinet; Ita quoque Principibus non conceditur mutare divinas leges, quibus

Deus illos ipsos subesse voluit. Sic enim dependent Principes à Deo, ut Magistratus à Principe.

Ex connexione finium.] Maximum hoc usum habet in criminibus, quæ à jure civili determinationem accepere: ibi si causæ & fines dandæ veniæ præponderent fines institutæ pœnæ, facillima est absolutio, imprimis si periculum non sit, legem pœnalem in contemptum abituram. Sed hæc magis *ad* §. 24. pertinent.

§. 24. *Post legem pœnalem.]* Lex pœnalis vel divina illa est universalissima, vel gentium, vel civilis. De divina jam aliquid diximus, nimirum ei strictè inhærendum esse, quia hæc jura non solùm privatos, sed & potestates publicas obligent; Soli Deo dispensatio in hisce competit, aliis omnibus obsequii gloria relicta est: Exemplum in homicidio habemus. Non licet publicis potestatibus homicidam verum, & qualem lex divina notat, capitali eximere supplicio, nisi iram divinam incurrere maluerint, terramque fusi sanguinis ream facere. In jure gentium genti seu populo, qui principaliter læsus est, integrum quidem remittere pœnam, quæ ipsi debetur, aliis gentibus hac lenitate præjudicare nequeunt, quò minùs debitis suppliciis communia jura tueri & transgressorem vocare ad pœnam valeant. Relinquuntur idcirco ea sola crimina, quæ juris civilis sunt; In his Principis admittitur dispensatio, qui ipsam pœnalem legem, si vellet, utique tollere posset: & hoc casu idem habetur, ac si lex, quantum delinquentem attinet, planè non obligaret, vel omninò non esset lata. Sanè licet quan-

quandoque aliquem etiam ab homicidio liberare. verùm non tali, quod juri divino adæquatum est, in hoc enim strictè obtinet, quod Hecabe apud Euripidem Odyssei objicit.

Νόμος δ' ἐν ὑμῖν ἢ ἑκουσίοις ἴσος
Καὶ τοῖσι δόλοις αἵματος κεῖται πέρι.

Sed fortuito aut culposo, &c. quod lex homicidii nomine non comprehendit. Positis verò omnibus homicidii requisitis, ponitur & necessaria legis executio causis externis non suspendenda. Ex his nunc apparere arbitror, concurrere ferè hanc quæstionem, quatenus possit Princeps pœnas remittere, cum ea, quatenus sit legibus solutus. Quarumcunque enim legum delicta condonare potest, de illis legibus eum oportet dispensare posse. De quibus verò dispensare potest, iis eum solutum esse necesse est: Excipiuntur tamen jura naturalia, quæ legi pœnali ideo non rectè adscribuntur, quoniam dignationem saltem ad pœnam non necessariam punitionem continent. Permittunt puniri reum, non jubent.

Majores esse debere legem.] Præponderare enim debent causas & rationes, quæ legislatorem ad legem ferendam moverunt, adjuncta publica legis auctoritate.

Quæ ante legem.] Ante legem civilem nulla est ejus obligatio, neque transgressio. Multò minùs itaque pœna.

§. 25. Si non injusta, dura tamen est.] Cujus rei exemplum esse potest in subditis, qui contra jussum Principis feras insectantur. Multis locis observari solet, ut venatio subditis etiam sub pœna capitali aut condemnationis ad opus pro-

prohibita sit; Hæc pœna ratione ad delictum habita dura admodùm est, non injusta tamen, quia licet Reip. omnes civium actiones indifferentes, etiam illas, quæ naturaliter liberæ erant, si opus fuerit, capitali supplicio cohibere, quamvis imperantem in eo non admodùm facilem esse deceat: ita quoque qui in Boruſſia succinum à mari ad littora ejectum colligit injussu Principis, conterminum patibulo aërem verberaturus est, & apud Romanos olim transilitio mœniorum capite stetit; si pœna ad delictum confertur, dura est, injusta non est, quoniam in suppliciis reorum non tam ad pœnam & delictum, quàm culpam & delictum respicitur. Quare Zieglerus hîc sibi admodùm constans non est, qui *pœnam delicto proportionatam esse debere* contendit. Suprà enim illud negaverat, expressè statuendo, magis culpæ & delicti, quàm pœnæ haberi rationem: & id quidem verissimè. Culpa enim contrahitur non solo delicto, quod in specie punitur, sed & inobedientia & contemptu in superiores, aliisque concurrentibus causis, quæ quandoque delictum ipsum sua gravitate excedere possunt. Si proportio delicti & pœnæ attenderetur, nulla bona ratione furtum laqueo determinari potuisset; quæ enim est proportio inter vitam & res quandoque modicas?

§. 26. *Ex merito aliquo aut alia re commendante.]* Ita quoque communis DD. conclusio est, ex meritis & beneficiis in Remp. vel omninò gratiosè remitti, vel mitigari saltem pœnam posse: *Vid. Clar. pract. crim. §. fin. quæst. 60. n. 27.* quod & usque ad merita majorum extendunt, com-

Digitized by

comprobante extenſionem Tiraquello multis rationibus & exemplis *de pœn. temp. cauſ. 49. n. 10.* hac tamen cum limitatione, niſi crimen ſit atrociſſimum, quod punire omninò Reip. intereſt: v. gr. perduellionis, parricidii. &c. Alii, qui accuratiùs hanc rem circa merita tractare ſolent, utuntur diſtinctione, quam non omninò contemnendam eſſe exiſtimamus. Vel enim, inquiunt, merita ſunt ſeparata à delicto: utpote quia delinquens diu ante delictum bene meritus de Rep. eſt, & tunc ob merita priora remittitur vel minuitur pœna; vel merita concurrunt cum ipſo delicto, eidemque ſunt annexa, ita ut ex delicto redundaverit utilitas ad Remp. quo caſu iterum advertendum eſt, an reus animum Remp. demerendi habuerit. Ut exemplum eſt in *l. 2. §. cum Appius ff. de O. J.* & delictum non attenditur, imò vix delictum dici poteſt, cui utilitas publica anſam præbuit. An verò talis animus in delinquente non adfuerit, & ſolo caſu atque fortuna ſua Resp. utilitatem ceperit, nec tale meritum in conſiderationem venit, quod ſine opera & intentione facientis fortuitò reſultavit: Nec reus feciſſe meritum, ſed occaſionem dediſſe cenſebitur. Exempli causâ, ſi quis animo furandi ædes alienas ingreſſus ſcrinium, in quo pecuniam eſſe putavit, auferat, ibique inveniantur literæ Civitatis proditoriæ, hic vix furti pœnam evitabit, & Civitas fortunæ ſuæ litare debet, non furi improbo: id quod magis obtinet, ſi per alium quàm furem literæ illæ in notitiam Reip. pervenerint. Quod rem aliam commendantem attinet, commentarii loco erit *l. ad beſtias ff. de pœnis*, ubi habe-

habetur, *sed si ejus roboris vel artificii sint, ut dignius populo Romano exhiberi possint, Principem consulere debet.* Ex qua lege DD. hanc regulam construxere. Pœnam aut in totum remitti aut saltem minui delinquenti propter ejus insignem peritiam aut celebre artificium maximè Reip. utile, nisi fortè magis interfit Reip, ut reus ob crimen atrox condignè puniatur, id quod ex connexione finium, pœnarum & clementiæ dependet. Principem tamen consulendum esse, rectè in lege additur: quia non possunt Magistratus inferiores imprimis in iis criminibus, quæ ad certum pœnæ genus determinata sunt, inconsulto Principe veniam delicti dare, quoniam leges Reip. etiam Magistratum obligant, qui tenetur secundùm eas jus dicere: Si opus dispensatione aut solutione à lege sit, potestas Magistratuum deficit, quæ legum tuitioni atque executioni alligatur, ad dispensationem non extenditur. Quin utile apprimis Principi habendum, ut pœnas per alios irroget, veniam à se ipso impetrari patiatur. Hæc res enim amori subditorum conciliando in tantum deservit, ut, si quod odium ex suppliciis super est, id omne in Magistratus derivetur.

Aut etiam spe magna in posterum.] Atque ad has causas externas pertinere etiam videtur, quòd DD. eum, qui post commissum crimen clericus factus, de crimine non posse puniri tradunt. *Oldr. Cons. 4. fin.* Alii sub hac demum admittunt distinctione, siquidem clericus seu Monachus quis factus sit post delictum fraude & dolo malo ad evitandam secularem jurisdictionem, & effugiendum pœnas à seculari judice imponi solitas,

ut

ut tunc pœnâ non sit liberandus. Secus verò, si ex pœnitentia & sine fraude. *Farinac de Inquis. q. 8. lim. 9. n. 104.* Id quod insuper deinde ad Judæum extendunt, qui post scelus fidei Christianæ se adscribi passus est: nam & hunc minimè puniendum putant. *arg. c. quicunq; ibiq; gloss. in verb. satisfactio. 26. q. 1. c. in scripturis, in fine. ibq. gloss. in verb. purgatum. 8. q. 1. Conf. Archid. in c. in summa. dist. 50. Ant. de Butr. in c. de his. n. 4. vers. dic hæc vera. x. de Accus. &c.* nisi fortè Christianus in fraudem sit factus, & ut pœnam commissi delicti evitaret. *Socin. in c. de his. n. 22. de Accus.* Contrarium tamen tenuerunt *Card. Zabar. in c. de his. n. 2. de Accus. & ibi etiam Abb. n. 5. Joh. de Anan. n. 6. &c.* qui Judæum nihilominus criminaliter accusari & puniri posse affirmant: Nonnulli id arbitrio judicis commiserunt. *Angel. de Castr. conf. 32. n. 22. l. 1. Brun. à Sol. q. leg. 18. n. 11. & 12.* & ampliant hoc nonnulli absurdissimè quoad forum poli, si pœnitentiam egerit. Hoc enim in omnibus hominibus verum, & pertinet non ad pœnam temporalem, sed æternam. Æquissima mihi videtur sententia, quæ totum negotium arbitrio Judicis committit, ita tamen ut ferè semper minùs puniendus sit, modò de ejus pœnitentia constet & conversione non dolosa: quod & in praxi Argentinæ ita observatum scio, ubi Judæus cum aliis quatuor furibus Christianis in delicto comprehensus, actaque pœnitentia veram fidem amplexus capite plexus est, cæteris in furcam actis. Huc adde insuper, quòd filius delinquens à patre Curiæ præsentatus minorem pœnam sustineat; *arg. l. milites agrum*

§. defer-

§. desertorem, & ibi gloss. in verbo desertorem, & in verbo jussit. Et in verbo obtulisse ff. de Re milit. Fely. in c. quærenti. col. 3. n. 6. vers. tertius est. de offic. deleg. Marsil. in l. inauditum n. 8. in pr. ff. ad L. Corn. de sic. Alciat. de præs. reg. 1. præs. 4. n. 1. & 2. & alii: idque extendunt, etiamsi crimen læsæ majestatis fuerit. *Salicet. in l. propter insidias. n. 3. C. Qui accus. non possunt*, vel etiam pater filium metu, ne caperetur, præsentavit. *Alciat. de præs. reg. 1. præs. 4. post. num. 2.* Arbitror ego, rem totam pendere ex arbitrio judicis, ex æquitate tamen sententiam admodùm *in d. l. milites agrum*, fundatam esse. Videtur enim judex dolori parentis aliquid indulgere, quin ipse parens pro filio ex parte puniri, qui sustinuit filium Magistratui ad pœnam tradere, & ita hoc modo quasi aliquid pœnæ filio debitæ ipse luisse, quod deinde filio detrahendũ est: sicut de illo Rege dicitur, qui passus est sibi pro filio oculum erui.

Ratio legis saltem particulariter cesset.] Si ratio cessat, interpretatur lex, non solvitur, & reus habetur jure innocens, non ei demum clementia dataque venia consulitur. Vix est, ut non Grotius hîc eundem errorem subeat, quem in §. *seq.* Vasquio attribuit. *Vid. omn. Dn. Ziegl. h.*

Solvi possit.] Ἐπίκρισις legem non solvit, sed explicat: Non relaxat, sed interpretatur.

Per ignorantiam.] Dicitur hæc ignorantia omni culpa non carens Ethicis vincibilis, quatenus quis id ignorat, quod nosse poterat & debebat. Item ignorantia voluntatem consequens, cujus

cujus causâ voluntas est, vel quatenus quis simpliciter ignorare vult, vel quatenus ignorat, quod scire debebat: Concurrit hîc & ignorantia juris, quoniam bonos cives suæ civitatis jura nosse oportet, nec propter eam ignorantiam excusantur, nisi sint vel milites, vel mulieres, vel minores, &c. qui casibus quibusdam pro excusatis habentur. Alia adhuc est ignorantia, quæ quidem totam actionem non invitam reddit, in foro externo tamen pœnas mitigare solet, dicturque ignorantia voluntatem concomitans: quâ quis agit aliquid, etiam acturus si sciviſſet, v. gr. qui inimicum occidit, feram esse putans, quem tamen occidisset, si sciviſſet hominem atque suum inimicum esse: Hanc ignorantiam non sequitur pœnitentia, & propterea nec liberat conscientiam, etsi plenè invita fuerit & invincibilis: quoniam tamen actui ipsi dolus abfuit, ad pœnas temperandas proficit. Quodcunque igitur per has tales ignorantias fit, quamvis neminem omni culpa & pœna liberet, clementiæ tamen occasionem & manum dat hoc leniùs ignoscendi. Atque ex his principiis practici criminales regulam formare solent, quamlibet causam & quamlibet credulitatem etiam levem & injustam excusare à dolo, & per consequens etiam ab ordinaria legis pœna: ubi tamen admodùm nimii esse videntur. Non modò enim quamvis *opinionem injustam, sed & quoquo modo coloratam, irrationabilem, fatuam, temerariam seu bestialem in excusatione admittunt. Farinac. de pœn. temper. quæst. 90. n. 1. & 3.* Quæso enim, si quævis causa etiam irrationabilis, bestialis & quoquo modo colorata à

dolo liberat, quis de dolo convinci poterit? Neque ferè unquam in accusationem dolus veniet, quem statim causa bestialis elidet. Ita homicidii reus factus & in ipso adeò deprehensus facto, quod nullo bono jure defendi potest, causa bestiali à dolo primùm, & consequenter pœna ordinaria se tuebitur: quoniam enim naturę bestiali convenit explere iram & quocunque modo se vindicare, etiam non licito aut concesso, continuò homicida excipiet se inimicum ex ira interfeciſſe, aut sibi hunc hominem ad honores consequendos impedimento fuisse, vel portasse secum multa aureorum millia, quos sibi admodùm habere expediret. Fuisse ad cædem hortatum ab occisi conjuge, quam primò cognovisset adulterio, nunc verò velit habere in matrimonio. Hæ & similes sanè sunt revera bestiales causæ, quæ si à dolo excusant, quis tandem homicida vocabitur: Et profectò jura civilia in terminis longè aliis loqui videntur, *l. doli verbum. ff. de serv. corr. ibi: vel alia probata atque justa ratione.* non nisi probatam & justam rationem admittit, & in *l. 3. §. & generaliter. ff. de lib. hom. exh.* non videtur dolo malo facere, qui justam causam habet hominis liberi apud se retinendi. Ergo dolo malo facit, qui justam causam non habet: Quare si regula DD. de injusta, fatua atque irrationabili (qui bestialem addunt, more bestiarum loquuntur) admittenda est, admodùm constringi oportet, ut injusta & fatua causa ea sit, quæ ex ignorantia quadam consequenti vel concomitanti nascitur. Ex concomitanti, quatenus quidem facti te non pœnitet, ignorans tamen illud perpe-

perpetrasti. Nam & hæc ignorantia non dolosa est, quoniam actionem per se non intendisti, sed aliud quippiam, v. gr. occidere feram pro inimico. Hæc causa potest hactenus dici injusta, quòd in foro conscientiæ non adeò excuset, & injustum sit lætari actione impia, licèt ea per ignorantiam & non dolo provenerit. Ex consequenti: quatenus non vis scire illud, quod nosse & facilè poteras & omninò debebas. Quicunque ex tali ignorantia peccat, eum judex pro doloso non habet, fecit enim id, quod ignoravit, licèt eum oportuisset illud scire: quare hujus ignorationis allegatione propriam suam turpitudinem atque contumaciam, & hoc modo causam injustam allegare videtur. Qui ulteriùs axioma extendere cupit, is videat, ne capacissimam sceleribus fenestram aperiat: quare & Zasius *à dolo causam non excusare* dixit, *nisi habeat probabilem simplicitatem vel ignorantiam.* Et alius, *tunc demum credulitatem coloratam facere aliquem excusari, dummodo verisimile sic esset credendum. Aliter secus:* At si verisimile est, sic esse credendum, causa non est irrationabilis nec bestialis, sed ad modum humanæ imbecillitatis ordinata. Quare videre etiam licet, limitationes non admodùm convenire regulæ. Dicunt enim, 1. injustam causam non excusare in iis, quæ sunt prohibita jure naturali vel divino, aut etiam civili notorio: At verò & in his causa irrationabilis dari poterit. Nec video, quid regulæ relinquatur, si talem limitationem faciunt. Nam si de iis excipere non possumus, quæ jure naturali, divino & civili notorio prohibita sunt, sequitur,

quòd debeamus allegare illa, quæ his juribus permittuntur. Sed hæc sunt rationabilia, justa, non bestialia. E. causas bestiales allegare non licet. 2. Dicunt causam injustam non excusare eum, qui cognoscens eam injustam perseveravit in illa: Sed hæc est demum vera bestialis causa, quæ si in genere excusat, excusabit etiam in hac specie: quare nimiùm interdum loquuntur DD. ubi etiam non nimiùm sentiunt: De ignorantia juris porrò illud tenendum, à dolo eam solere excusare, non à culpa, quia ipsa lata culpa est ignorare jura, *l. lata. ff. de V. S. l. imperitiæ. ff. de R. J.* quod in ignorantia supina & affectata maximè jurium naturæ & divinorum procedit; non verò juris dubii & per DD. ipsos controversi, quia ibi facilis juris ignorantia est, ubi idipsum, quid juris sit, ignoratur. Potest quis & alio modo ex ignorantia delinquere, quando videlicet viro fide digno factum criminosum aut malum non esse credidit, hinc excusari à dolo eum volunt, qui aliquid fecit cum consilio advocati: id quod præcipuè in illis, quæ sunt facti, procedit: in jure verò ita demum, si factum sit contra jus civile dubium aut non admodùm notorium. Non verò si contra jus naturale & divinum: quia hæc omnibus tum naturâ duce, tum ex sacra Scriptura patent, nec error facilè excusabilis est: Cæterùm quod DD. addunt, non excusare hanc credulitatem in iis, quæ à Principis voluntate pendent; *Gabriel. l. 7. concl. 8. n. 41.* inanem video restrictionem nulla ratione nixam. Nam & omnes leges civiles à voluntate pendent, à quibus ob hanc causam non daretur excusatio: & quis à viro fide digno

Digitized by Google

digno etiam de voluntate Principes facilè perſuaderi poſſet: nec meliori nota illud dimitto, cùm excludunt fœminam fide dignam. *Gabr. d. concl. 3. n. 42.* neque enim hoc in negotio tam ſexus inſpici debet, quàm adjuncta fidei auctoritas. At perſona fide digna non minùs fœmina eſſe poteſt, quàm vir, præcipuè in illis, quæ magis tractationis & ſcientiæ muliebris eſſe videntur, vel ſaltem non tam in jure, quàm facto conſiſtunt. Meliorem verò limitationem hanc agnoſco, cùm id, quod agitur, eſt expreſsè delictum. Nemo enim tam ſimplex eſt & extremè ſtolidus, ut, quod delictum noverit, id fugiendum eſſe neſciat: quare rectè non datur excuſatio ei, qui delictum conceſſum eſſe ſe perſuaſum à viro fide digno perhibet: Contraria namque ſunt, eſſe delictum & conceſſum eſſe: Sicut nec illud planè rejecerim, credulitatem excuſare hominem ſimplicem & ignarum, non verſutum & callidum.

Animi infirmitatem ſuperabilem.] Quò pertinere videntur affectus quidam, veluti ira, amor, &c. de quibus mox agendum erit. Illud nunc monendum, ſi in delicto, quod animi infirmitate perpetratum eſt, concurrat nobilis cum ignobili, tum illo hunc puniri graviùs. *Hahn. ad Weſ. de J. & J. n. 11.* quem in ſenſum intelligi poſſunt, quæ de pœna nobilitati temperanda tradunt. In iis verò, ubi proæreſis & dolus regnat, ille graviùs puniendus hoc eſt. *Hahn. d. l. arg. l. 8. C. de Epiſc. & Cler. l. 4. §. 2. ff. de re mil. l. 14. ff. de pœn.* (licet fateor, peculiares quasdam circumſtantias in his perſonis augere ſupplicia) *Hornej. Eth. l. 3. c. 13. theſ. 18.*

§. 27. *Aliud enim est &c.*] Illud enim fit contra, hoc secundùm legem. Æquitas casum lege non comprehendi tradit, clementia eundem eximit.

§. 28. *Ultra meritum.*] In merito tamen examinando non attenditur delictum solùm in se spectatum, sed & quæ illud concomitari solent.

Magis aut minùs.] I.e. prout utilitas Reip. requirit, augentur pœnæ vel minuuntur. Sed hæc publica utilitas ipsum meritum quoque videtur ingredi.

§. 29. *Vix quisquam gratis malus est.*] Adeò, ut prædones & qui ex rapto vivunt, malint ad prædam bona ratione pervenire, quàm ex scelere acquisita habere.

Appetitus nomine jam & declinandi mali impetum.] Est enim appetitus duplex. Concupiscens & irascens: Concupiscens appetit bonum & fugit noxium. Irascens verò propulsat noxium cum remotione impedimenti, quod bono obstat. De hoc agit Grotius priori loco. Dicenda quædam hîc essent de ira, quæ ad appetitum irascentem spectat, verùm in §. 31. illam attingemus.

Mortis.] Fortè quod non legitimum defensionis modum observavit.

Carceris.] Qui effracto carcere effugiunt, extra ordinem puniuntur, *l. 13. ff. de Custodia reorum.*

Doloris.] Nam & dolor justus in delictis meretur quandam excusationem. *Clar. Pract. Crim. §. fin. quæst. 60. n. 19.*

Summe

Digitized by Google

Summæ egestatis.] Hinc locus pœnæ ordinariæ non est in furto, cùm famis necessitate res subtracta est. *Hahn. ad Wes. de Furt. n 15.*

Cæteri appetitus.] Sc. concupiscentes. Qui in persecutione boni & fuga mali consistunt.

§. 30. *Delicta consummata.*] Quandoque tamen habentur lege pro consumatis, ut ex lege Cornelia de sicariis punitur capite ille, qui hominis occidendi causâ cum gladio ambulavit. Licèt hoc DD. ferè communiter de pœna extraordinaria & mitiori intelligant. *Wesenb. ad L. Corn. de Sic. n. 16.* In crimine læsæ majestatis & aliis atrocissimis conatus quoque habetur pro delicto consummato.

In quibus tantò quidq; est gravius.] V. gr. cùm quæritur, an furtum attentatum, non autem consummatum sit punibile? Distinguitur enim, aut quis cogitavit saltem furtum, sed ad nullum actum extrinsecum pervenit, fortè quia pœnituit, vel quia fuit impeditus, & cogitationis pœnam non patitur, arg. *l. 18. ff. de pœn.* aut devenit ad actus extrinsecos. Et hi vel sunt remoti à delicto, quibus nemo adhuc læsus fuit, vel delicto proximi. Illi, exempli gratiâ, si quis locum delicti exploraverit, emit funes, scalas præparavit, terram effodit, ut res furtivas furto auferendas abscondere possit. Atque tum, si furem pœnituit, non punitur. Quod si impeditus furari non potuit, pœnam incurrit extraordinariam pro modo attentationis. Actus furto proximi sunt, si quis homines ad delictum convocavit, scalas fenestris applicuit, ostium fregit, cistarum seras tentavit, &c. & quoniam tales actus naturâ suâ

sunt punibiles, rectè puniuntur, non quidem tanquam furtum, sed delicta separata, quæ lex punienda judicavit: Hinc directoriorum, qui furandi animo in aliena cœnacula se dirigunt, damnatio ad tempus in opus publicum, fustigatio atque relegatio est, *l. saccularii. ff. de Extraord. crim.*

Communem ordinem turbat.] Quare etiam delictum mali exempli, tanquam Reip. pernitiosius, gravius multò quàm cætera reputari debet, *l. 3. §. sed ex SCto. ff. ad L. Cornel. l. si quis. §. abortionis. ff. de pœn.* quo ulteriùs inferunt, quòd delictum nocte commissum, quo tempore tranquillitas & pax popularis procuranda est, gravius sit diruno: Hinc etiam furem nocturnum occidere licet, diurnum nequaquam, nisi se telo defenderit.

Aliud accedit vitium.] Delicti gravitas cognoscitur ex qualitatibus vel circumstantiis, quæ illud idem grave vel leve reddunt. Considerantur autem illæ qualitates & circumstantiæ vel ratione personarum, quæ offenduntur aut offendunt: vel armorum, vel partis corporis læsæ, vel causæ, vel loci, vel temporis, vel eventus, &c. *Conf. l. aut facta. §. pœna gravior. ff. de pœn.*

§. 31. *Ætate.]* Ita infantes, infantiæ proximi, pubertati proximi, & puberes regulariter vel planè non puniuntur, vel puniuntur mitiùs: Soli enim impuberes, sicubi malitia supplerit ætatem, pœnam quandam extraordinariam sustinent: Aliàs, & quando adhuc doli capaces non sunt, ut pueri, & quidam etiam pubertati proximi, in totum excusantur: De minoribus in diversum

versum DD. abeunt. Ut & senibus, quos regulariter mitiùs puniendos esse volunt, imprimis si quodammodo repuerascere incipiant. De quibus omnibus vide latissimè tractantem *Prosper. Farin. de pœn. temp. q. 92.* Ad infantes proximè accedit furiosus, nam & hic delinquens à pœna excusatur in totum: etiamsi homicidium vel parricidium commisisset. Non enim afflicto addenda est afflictio. *l. fin. § fin ff. ad L. Pomp. de Parric.* nisi fortè habeat dilucida furoris remittentis intervalla, & deliquerit, cùm sanæ mentis erat, quo casu impunè dimittendus non est. Adeò autem furiosus à pœna liberatur, ut, quamvis sui compos fuisset, cùm perpetraret delictum, postea verò furiosus esset factus, à pœna capitali excusandus sit; non verò bonorum confiscatione. *Farin. de pœn. temp. q. 93. n. 18. 19.* ratio æquitate sua satis nititur, quia furiosus pœnitendi spatium, quod peccatoribus maximè indulgendum est, non potest habere, si in furore pœnam luat. Quare magis Christiano Magistratui convenit, ut ipsum Dei judicium in his hominibus expectet, & interim in vinculis aut custodia habeat, ne ampliùs nocendi abutantur occasione: Illud minùs probo, quòd quidam in furioso hanc addant limitationem, ut delinquendo non excusetur in criminibus atrocissimis, v. gr. læsæ majestatis. *Marsf. in l. 1. n. 59. & seq. ff. de Sicar.* ubi refert, Reginam in Hispania damnasse quendam furiosum, qui graviter vulneraverat Regem, ejus virum. Quicquid sit, exceptionem non admitto, neque jus ex facto, sed recta ratione metiendum est: Expressa lege constitutum est, furorem in

parricidio, quod sanè crimen gravissimum est, excusandum esse, *l. Divus Marcus ff. de Off. Præs.* Causa in promptu. Nullum enim crimen verè & formaliter committi potest, nisi ab eo, qui ratione utitur. Sed furiosus in actu secundo illâ planè destitutus est; ergo sequitur, quòd formaliter non possit delinquere. Nec ego video causam, cur furiosus, qui revera talis est, occidens Regem aliquem magis læsæ majestatis reus fieri debeat, quàm bos vel equus, qui calcitrando aut petendo cornibus Principem interfecere. De prodigo notandum: Quamvis in causis civilibus quandoque furioso comparari soleat, in delictis tamen secus esse, nec excusari à pœna ordinaria. De dormiente, & per somnium peccante, quòd furioso non malè æquiparetur, & omni culpa vacet, *vid. Farinac. de pœn. temp. q. 98. c. 12.*

Fœminæ.] Regulariter mulieres viris mitiùs puniri debere, communis est DD. conclusio: Sicut mulieri non admodùm nocet scientia falsæ monetæ cusæ in ejus domo. *l. 1. §. vidua. ff. de Falsi. mon.* Item liberatur à pœna *l. si quis in tantam. C. unde Vi.* Id quod dupliciter limitatum videre licet. 1. Non excusari mulieres, nisi casibus jure expressis. *l. fin. C. de jur. & fact. ignor. Alex. in l. si quis id, quod. n. 10. ff. de jurisd. Tiraq. de pœn. temp. c. 9. n. 5. 2.* In iis, quæ jure naturali & divino prohibita sunt, *arg. l. si adulterium. §. 1. &c. ff. ad L. Jul. de adult.* dum ibi cavetur, in adulterio commisso mulieres nullam habere excusationem: quemadmodum nec in pœna blasphemii mitiùs puniuntur. *Decian. in tract. crim. tom. 2. l. 6. c. 5. n. 6.*

Crassi

Crassi ingenii homines.] Et ideo rusticum delinquentem propter rusticitatem mitiùs puniendum asserunt; v. gr. si rusticus gabellam non solvit, album corrupit, contumax fuit &c. rusticitate sua excusari potest. Secus est in delictis gravioribus, itemque iis, quæ per se turpia sunt, aut juri naturali vel divino adversa. A perjurio tamen eum excusari scribunt multi DD. quod non sine ratione *Cagnol. in l. si quis major. n. 24. C. de Transact.* limitat, nisi perjurium consistat in committendo. Tunc enim contraveniens perjurii pœnâ liberandus non est, neque ignorantiam suam allegari poterit, qui à judice, ut moris est, cùm juraret, de pœna perjurii & criminis atrocitate satis admonitus fuit. De mutis & surdis *vid. Farin. de pœn. temp. q. 98. cauf. 17.*

Iracundi sunt.] Est & causa temperandi pœnas iracundia non quævis, sed magna & talis, quæ delinquentem à sana mente quodammodo alienaverit, modò tamen justa iram causa præcesserit: qui enim hoc modo delinquit, is dolo carere videtur, quem justus dolor excludit. Inde putant provocatũ ab alio verbis aut facto, si provocantem offenderit, mitiùs puniri, & dicitur talis provocatus culpâ delinquere, non dolo, *Capoll. Cons. 41. n. 9. Marsil. Cons. 137. n. 21.* & extendunt hoc etiam ad crimen blasphemiæ. *Tiraq. de pœn. temp. c. 1. n. 14. Zas. in l. si filiam tuam n. 7. C. de inoff. Test.* id quod tum demum admitterem, si gravissimus dolor diras expresserit. Certum enim est, hunc peccare leniùs eo, qui consideratè & mero ex proposito blasphematur. Quod verò addunt, iracundiam etiam in foro conscientiæ & apud Deum

Deum excusare, *Panorm. in cap. sicut ex literis in 3. not ab. x. de jurejur.* planè rejicio. Quamvis enim verum sit, minùs peccari per iracundiâ, iracundia tamen ipsa, cùm sit peccatum mortale, & quidem contra quintum Decalogi præceptum, excusare neminem potest in se, aliud tamen crimen extra se levius reddere: quomodo autem ira excuset in injuriis *vid. Farin. de pœn. temp. q. 91. n. 31. & 32. Item Hah. ad Wesenb. de injur. n. 4.* Iracundiæ affinis est ebrietas, quam propter in peccantes quandoque leniùs animadvertendum est, etiamsi grave delictum commiserint. Adeò ut quidam in ea sint opinione, ebrium non puniri ob delictum in ebrietate commissum, sed ob culpam & levitatem, quam commisit se inebriando. *Farin. de pœn. temp. q. 93. n. 4.* quod in ebrietate, quæ omnem rationis usum excludit, nec ex vitioso habitu processit, admitti potest.

Ad venerem proni.] Vehementior præter amorem affectus vix alius est, si semel radices egerit, adeò ut quidvis pati vel facere amatores non recusent, modò voto suo potiantur, quare cum ebrietate aut furore interdum conferri solet, & propterea non minùs in delictis attendi debet, quorum pœnas amoris causâ attemperandas practici suadent etiam in fortilegiis. *Oldrad. Cons. 220. num. 2. junct. num. 4. & 9.* & eadem ratione adolescentem excusant, qui in via publica alicui puellæ obviæ amore incensus osculum figit. *Tiraq. de pœn. temp. c. 4. n. 5.* Ubi memorabile est Pisistrati Athenienſium tyranni exemplum, & rara admodùm humanitas: Cùm enim, *ut apud Val. Max. l. 5. c. 1. lege-*

re

rè est, ejus filiæ adolescens amore captus in publico dedisset osculum, & illa ad matrem injuriam detulisset, materque Tyrannum maritum ad vindictam acueret atque necem hominis audacissimi, responsum tulit; *Si eos, qui nos amant, interficiamus, quid his faciemus, quibus odio sumus?* Sed ut ad propositum revertar. in data facti specie non arbitror amoris prætextum adeò omninò excusaturum esse juvenem, quin injuriarum actione pulsari posset. Porrò in jure nostro satis certum est, furium rerumque furtivarum receptores non minùs ac fures ipsos actione furti conveniri posse. Ab hac regula exceptionem dant DD. in ea muliere, quæ amoris causâ res furtivas recepit. *Chassan. in Consuet. Burg. fol. 39. col. 4. n. 13. ubi & præjudicium aliquod refert. Clar. pract. crim. §. fin. q. 60. n. 7.* Quin & amorem à crimine raptus excusari, *tradit Bursat. Cons. 445. n. 13.* de quo tamen dubito, quia facilè sub hoc colore intentata de raptu actio elidi posset. Vix enim quis mulierem rapit, nisi amoris causâ. Si secus fecerit, non tam raptus crimen, quàm plagii incurrit.

In senum amores.] Habet senium hoc vitium ferè semper, ut non modò amoribus juvenum invideat cum obtrectatione & injuriis, sed & interdum ipsum amet, cùm tamen nulla res cum amore minùs conveniat, quàm senium. Hinc Comici, quando risum spectatoribus per insignem stultitiam dementiamque movere cupiunt, prodire in scenam senex debet, nec possunt rem invenire magis ridiculam.

§. 32. *Parem passionem.*] De lege talionis

ad

ad *l. 1. c. 1.* jam aliquid diximus: ubi ostendimus, nec posse nec solere pœnas omnes intra τὸ ἀντιμεπονθὸς consistere.

§. 33. *Cum respectu ad patientem.*] Atque exinde fit, quòd nobilis vel persona alia illustris videatur in speciem puniri mitiùs vili & ignobili, cùm tamen pœnæ non tam inter se collatæ, quàm cum respectu ad patientem invicem non differant. Excipiendæ hîc sunt illæ pœnæ, quas Deus generali edicto indistinctim delinquentibus infligi jubet, & sine ulla personarum habenda ratione obtinent.

Ad minimum ducit caritas.] Quemadmodum enim satius est absolvi reum, quàm puniri insontem. Sic non minùs bonum & æquum putandum, in dubio minori sontem pœnâ afficere, quàm graviori & excedente meritum.

§. 35. *Consuetudo facti.*] Est & quædam consuetudo loci, quæ non minùs præsertim in foro externo excusat, etiam quandoque à crimine homicidii, ut fit in athletis & gladiatoribus. Non potest tamen per se illicitum licitum reddere, ut exempli causâ perjurium, quamvis interdum impunitatem largiatur. *Conf. Far. de pœn. temp. q. 95.* Est & adhuc alia pœnas mitigandi causa, jussum superioris v. gr. Principis, parentis, domini: quam latissimè tractat *idem Farinac. de pœn. temp. q. 97. cas. 1. & seq.*

§. 36. *Ad minuendam potiùs pœnam.*] Huc pertinet multitudo delinquentium, ubi tota universitas peccavit. Salus enim publica hîc clementiam commendat in omnes, exceptis fortè riminis authoribus. Interdum legimus decimatio-

mationem uſitatam eſſe, ſicubi exercitus ex turpi formidine aut contumacia fugerit. Item incertitudo delicti, cùm inter tumultum occiſo homine author ignoratur, pœnam ordinariam temperat. *Vid. Farin. de pœn. temp. q. 96.* Nec non quandoque bonus eventus in mitiores partes inclinat juſtitiam. *d. Farin. q. 98. c. 19.*

§. 38. *Ob delicta quævis.]* Bellum enim ſine occaſione hominum, & plerunque innocentium quoque, vix geritur: repugnat igitur caritati Chriſtianæ ob cauſas leviusculas ad cædes & ſanguinem provolare. Et vix eſt, quin in rebus nôn adeò magni momenti, ſi pacificis oratoribus miſſis ſatisfactionem quæſiveris, lis componi poſſit.

§. 40. *Qua ipſos peculiariter non tangunt.]* Admittit hoc non aliter Dn. Zieglerus, *quàm ſi in auxilium ab aliis vocati fuerint.* Rectiùs tamen ſentit Grotius. Violatio enim juris gentium ad omnium gentium injuriam pertinet, & ejus actio perſecutioque, ut ſic dicam, popularis ſive publica eſt. Tenentur gentes, quà gens ſunt, jura ſua ſarta tectaque ſervare, non ſecus ac in Civitate cuilibet è populo actio albi corrupti, ſepulchri violati, itemque criminum publicorum datur, non expectato, donec ab iis, quibus directò injuria facta eſt, animentur.

Non propriè, quà aliis imperant.] Fusè hæc verba à nobis ad §. 8. explicata & contra Struvium defenſa ſunt, quem hîc quoad verbum Zieglerus ſequitur, hoc inſuper addito. *Sub hoc reſpectu* (ſc. quo imperium habent,) *competere exemplo Magiſtratus patere, qui Principi ſuo paret*

&

& ſubjectus eſt, ſed interim, propter imperium, quod gerit, punire poteſt ſibi ſubjectos. Miror nugas. Non quærimus de eo, qui authoritate aliena judicia habet, & ſupplicia decernit, qualis Magiſtratus eſt, à ſuperiori dependens. Sanè hic talis ſubdiros commiſſo ſibi imperio cogit, verùm in hoc Principis ſui vicem, non cauſam ſuam agit: quicquid Magiſtratus fecit, feciſſe ipſe Princeps videtur, quem negotiorum civilium multitudo admonet, ut quibus ipſe ſupereſſe non poſſit, miniſtris demandet. Alia ratio in ipſo Principe eſt, eoque non tam ſubditos ſuos, quàm extraneos nullo ſibi obſequio adſtrictos, puniente. Hos eo reſpectu punire Principem, quo imperium habet, quis ſanus dixerit. Non recognoſcunt illi imperium, quod ad cives pertinet, puniuntur itaque ex delicto ſuo à Principe, quà nemini paret, ipsâ naturâ puniendi libertatem nobis indulgente. Imò idem ego Ziegleri de Magiſtratu dependenti exemplum contra ipſum non abſurdè hoc modo retorſerim. Magiſtratus, qui ſub Principe eſt, & imperio civili dependenti gaudet, non habet jus puniendi externos, nemineque ſubjectos, veluti Resp. aut Principes alios, quoniam id ad Principis ſui arbitrium ſpectat, cùm plerunque bello opus ſit, cujus indicendi gerendique jus ſoli majeſtati competit. Non poteſt, inquam, Magiſtratus hos punire, quamvis imperio inſtructus ſit. Puniuntur itaque hi tales, non quà vindicans imperium habet, aliàs & Magiſtratus punire hoc reſpectu poſſet, ſed quà nemini eſt ſubjectus.

Qui in parentes impii ſunt.] Ita non minùs

in

in rebelles ſubditos omnibus gentibus ad vindicandam civilis imperii auctoritatem, ſtabiliendamque majorem per exempla ſubditorum punitorum in aliis obſequii religionem juſtum eſt bellum, & nullus ego dubitaverim, ex officio omnes Reges fuiſſe obligatos, cùm ante aliquot annos Anglia ad inſaniam usque in Regem ſuum optimè meritum fureret, auxilium ad extirpandos perduelles oppreſſæ majeſtati ferre. Quantum enim dedecus Chriſtiani Principes ſubiere, qui non tantùm ad adeò novam mali exempli rem quieti manſere, ſed & paſſi ſunt majeſtatem regiam & ſacratiſſimum caput carnificis perſonati ſecuri ſubjici, dici non poteſt. Inanes ſunt & deploratæ legationes, ubi cum hominibus perditiſſimis & ſelectiſſima parricidarum ſentina res fuit, qui acie vincendi ſunt, ut rei peragi poſſint. Græci olim ob raptam mulierem omnibus viribus & mille navium potentia connixi Trojam everterunt. Quantò magis omnium Chriſtianorum Principum concurſu opus erat, ubi majeſtas regia in ſummo verſabatur diſcrimine, & exemplum jam ad alios quoque ſerpere inciperet? Deſtitutus itaque Rex juſtiſſimus debito auxilio ſingulari Dei judicio ad opprobrium ſeculi noſtri, pietatem, juſtitiam, clementiam, fortitudinem, amorem patriæ omnesque regias virtutes indigniſſimè capite luit. At cur filius, legitimus regni hæres, communibus auxiliis non reductus in regnum eſt? Cur illud ultra decennium turpiſſimis prædonibus quaſi in præmium permiſere? Cur, quod intolerabile eſt, cum raptore alienæ poteſtatis Cronwelo fœdera ſocietatesq; fecere?

Cum carnifice & lictoribus nostri cives omnem ferè consuetudinem defugiunt, in quibus tamen nihil, quod infamiam revera oleat, reperiri licet. Quantò magis tanquam communis & execranda Regum pestis perditissimus Protector, revera eversor Angliæ, aversandus, alii verò severissima ejus correctione & exemplo monendi de officiis & obsequio Regibus debito fuissent?

Puniendi jus non habebit.] *Rectè non habebit*, inquit Dn. Ziegl. *quamdiu hostis. Et plerique hoc non concedunt, neque usus gentium confirmat, jus puniendi competere hosti in hostem, quamdiu ille victus non fuerit: jus vindicandi competere concedimus.* Non invenio, quo potissimùm absurditatem locutionis exprimam. Quid magis contradictoriè dici poterit, jus vindicandi competere, non autem jus puniendi? quasi vindicta vel ullo momento sine pœna consistat, & uno relatorum posito non simul & alterum poni necesse sit. Nec meo judicio saniùs dixerit, qui patrem esse concedit, filium habere non concedit. Si jus vindicandi hosti competit in hostem, punietur sanè hostis, in quem competit, nam cui aliàs bono vindicta, sicuti non minùs criminosi cives puniuntur, in quibus scelera Magistratus vindicat. Ut jam suprà ad §. 8. explicavimus, vindicta & pœna subjectis differunt, non objectis & re ipsa. Vindicta enim & vindicare de iis prædicatur, qui punire aliàs possunt, pœna verò ad patientem & noxium pertinet, adeò ut impossibile sit, ei non competere jus puniendi, cui competit jus vindicandi, quàm impossibile, ut dominus non habeat servum: Non differunt jus

punien-

puniendi & vindicandi, ſed vindicta & pœna differunt eo modo, quem tradidimus.

§. 42. *Innuptos concubitus.]* Fortè tales vagi & inordinati concubitus inter ea delicta recenſenda ſunt, quæ Deus poſt diluvium univerſo humano generi vetita eſſe voluit, & quantum obligationis attinet generalitatem, non minùs, ac quæ jure naturæ prohibentur, illicita ſunt. Unde neſcio, annon, ſi aliqua gens tam inculta & barbara ſit, (quales dari apud Indos hiſtorici tradunt) ut non modò innuptos concubitus pro peccato non habeat, ſed & propterea à veris nuptiis abſtineat, in talem improbitatem & communem injuſtitiam bellum licitè ſumi poſſit, ad eum tamen ſolùm finem, ut doceri de voluntate divina & morum rectitudine poſſint: quæcunque enim contra jus divinum univerſale fiunt, non minùs naturæ delicta ſunt, quam quæ præcepta juris naturalis impetunt.

Quosdam eorum.] Excipit nimirum inceſtum parentum cum filiis: qui enim inceſtus inter ſorores & ulterioris gradus eſt, neque contra jus naturale, neque divinum univerſale eſſe putaverim, niſi fortè contra hoc ſub quadam conditione, poſtquam genus humanum ampliatum fuerit. *Vid. quæ ſcripſi ad Proleg. ſtatim ab initio.*

§. 43. *Ratiocinationis imbecillitas.]* Jus naturale evidens eſt, & ex principiis connatis facilè intelligitur. Quæcunque igitur per impeditas concluſiones & difficile ratiocinium eruuntur, non tam juris naturalis eſſe tenendum eſt, quàm in eo terminum quendam habere concludentem, ut jam alibi monui.

Cum aliqua negligentia conjuncta delictum minuit.] Non tamen in totum excusat. Verum quidem est, eum, qui prava educatione aut negligentia sua ignorat legem naturæ, non tam graviter delinquere, quàm qui voluntatem domini scit, nec facit. Hic enim duplo majorem pœnam sustinere debet. Inde tamen non sequitur, in illos non licere bellum suscipere, qui ex ignorantia culpabili in naturam delinquunt: Admoneri enim bello, si alia benigniora remedia rejiciunt, de officio humano debent, & oppressæ per malitiam juris naturæ scintillulæ paulò vehementiori vento resuscitari.

§. 44. *Quam sententiam.]* Dicit hic Dn. Ziegl. *non posse subsistere potestatem puniendi vel unicam ostendere, quæ maximè naturalis est, societatem domesticam.* Sed quæso quomodo ostendit? Error omnis inde fluit, quasi nemo eum punire possit, quem imperio suo subjectum non habet, quo nihil tamen falsius excogitari potest: Ut nihil nunc de gentibus publicis dicam, qui se invicem puniunt, opponam saltem extraneum, qui subditus tuus non est, & tamen in leges & instituta civitatis tuæ peccat. Neminem tam fatuum esse existimo, qui hunc à Magistratu puniri posse neget. Sed non punitur per imperium civile, cui non subest; ex suo itaque solo delicto & tacita voluntate forum sortitur. Magistratui imperium prælationem in puniendo tribuit, delinquentem imperium ipsum non punit. Potestas civilis neminem præter subditos & cives afficit, ad extraneos nihil pertinet. Et quicunque prælationem ad pœnam ab ipso puniendi jure

non

non diligenter distinguit, eum ubique in hoc argumento hallucinari oportet. Illam tribuit imperium, hoc nequaquam.

Universalis Ecclesiæ curam accepisse.] Non arbitratur Dn. Ziegl. *hoc argumentum à planè separatis & diversis procedere. Unicam esse Ecclesiam, unicum perfectum corpus sub uno capite Christo, idq; pluribus quidem constare partibus integrantibus, sed homogeniis. Non ita totius humani generis unicam esse Remp. non ita unum caput politicum, non membra homogenia, sed Resp. planè diversas & separatas.* Verùm paulò aliter applicatio instituenda est, & defendi Grotius poterit. Sicut enim una est in toto orbe Ecclesia, ita & una ratio socialis omnibus hominibus communis: Et quemadmodum quivis particulares totius Ecclesiæ Episcopi dicuntur universalis Ecclesiæ curam accepisse, ita quoque Regibus, & qui par jus habent, socialis illa ratio & jus gentium generalem humanæ societatis curam demandat: Nec obstat, quòd non omnes simus sub una Rep. quæ & tali sensu nec omnes sumus sub una Ecclesia. Est enim alia Ecclesia Romana, alia Constantinopolitana, Antiochena, &c. Sed qua ratione ex omnibus his particularibus Ecclesiis una quædam universalis, cujus caput Christus est, conficitur. Eadem & omnes Resp. universalibus juribus tam naturalibus quàm gentium colligantur, inter quos verò jura sunt communia, inter eosdem & quædam universalis societas est, & propterea unius injuriæ ad omnes videntur spectare, itemque totius societatis cura omnibus in universum competere. Nec

minùs rectè Deus vocari potest author & præses hujus inter homines societatis universalis, quàm Christus universalis Ecclesiæ caput est.

Quam in civili societate.] Quæstio igitur hoc loco non tam est, quid summæ potestati liceat circa sacra in civitate, quàm quid Regibus in gentes atheos & nullius omninò religionis cultores juris sit.

Majorem etiam usum.] Ratio est, quia quæ gens nullos colit Deos, illa nec jura naturalia aut gentium agnoscit, & ita se ab humana conditione atque societate sejungit, communem justitiam turbat, æquitatem utilitate metitur, quin planè humanitatem deponit: quare sicut justissimum est in belluas bellum, ita proximum in homines belluis similes. Nam qui omnem hominem exuunt, & tamen hominibus negotium facessunt, illi quoque ut bestiæ & feræ, non ut homines tractandi sunt.

§. 45. *Religionem veram.*] Intelligit Grotius eam, quam ex principiis naturalibus habere possumus, & à nullo nesciri omnibus gentibus interest, adeoque ad eam armis cogi possunt. De salvifica non loquitur, utpote quæ non bello, sed verbi divini prædicatione & exemplis propaganda est.

Quartum.] Deberet hoc quartum requisitum loco tertii stare. Priùs enim Deus creavit res omnes, quàm eas curat.

Non argumentis.] Ratio est, quia negat eo ipso principia, ultra quæ argumentari non possumus.

§. 46. *Ita & coërceri posse.*] Rectè, quoniam

am omninò ad conſervandam inter homines ſocietatem hæc ſimpliciter neceſſaria ſunt: Qui autem inter homines eſſe, nec communibus juribus ſubeſſe vult, eum ut violatorem juris naturalis & gentium rectè coërceri poſſe, dubium eſſe non debet.

§. 47. *Non aquè evidentes.*] Nimirum. conſenſu omnium gentium, de quo potiſſimùm hîc Grotius agit: ut fruſtra contra eum hîc ſit Dn. Ziegl. omne enim primum eſſe etiam unum, Philoſophi intelligunt non rudioris ingenii homines: Et hanc propoſitionem adeò evidentem non eſſe, quàm priorem, inde patet, quòd ferè nulla in toto orbe gens inventa fuerit, quæ non plures habuerit Deos, perpaucæ verò extra verè credentes, quæ unum ſaltem Deum agnoverit.

CAPUT XXI.

DE POENARUM COMMUNICATIONE.

§. 3.

POEnæ exigendæ.] *Diximus ſuprà*, inquit Dn. Ziegl. ad h. l. *non tam pœnam exigi ab alia civitate, in quam peccatum eſt, quàm vindictam.* Sed quid hoc eſt, ab alio quem vindictâ exigere? dubito profectò, an unquam quis ſic rectè latinè loqui poſſit. Illud enim mihi ab alio exigere licet, quod apud eum eſt. Vindicta verò non eſt apud delinquentem, ergo ab eodem non poteſt exigi: Planè quid ſit vindictam exigere, non capio: bene verò, quid ſit pœnam exigere, aut vindicta

Digitized by Google

uti vel eam exercere. Et vel ex his ipsis verbis satis liquet, quàm multum intersit, hæc verba non tam objecto & re discriminare, quàm subjectis.

Actio datur popularis.] Vid. quæ notav. ad §. 40. c. prec.

§. 4. *Si à sua civitate dediti.]* Excussimus hanc quæstionem ad *c. 15. h. l. 2.*

Etiam inter universos] Ut universitas possit delinquere. Practici requirunt, ut convocato consilio delinquat. Secus puniri singulos. *Clar. pract. crim. §. fin. q. 16. n. 8.* & refert casum, quo conventus quidam Clericorum homicidium commiserit, dicitque Præsidem, non ipsum conventum puniviſſe, sed singulos, suspensis ad quinquaginta Monachis. Dubitare tamen hîc aliquis possit, ubi post necem & supplicium singulorum illa universitas manserit? Est enim universitas nomen juris, quod certo subjecto competere debet. Equidem in universitate, quæ adhuc est sub Rep. hæc distinctio usum quendam habere potest, dum Princeps bona & proventus universitatis aliis dignioribus concedit, punitis singulis noxis, quamvis & hîc magis nova universitas quàm vetus esse videatur. Extra civitatem nequaquam, & in tali universitate impossibile est, ut punitis singulis non simul ipsa universitas puniatur.

Distincte enim sunt pœnæ.] Sicut & bona universitatis atque singulorum distincta sunt. *Universitatis*, inquit *Marcianus in l. 6. §. 1. ff. de R. D. non singulorum, veluti quæ in civitatibus sunt Theatra & stadia & similia. Ideoq; nec servus*

Digitized by Google

ſervus communis civitatis ſingulorum pro parte intelligitur, ſed univerſitatis. Et ideo tam contra civem quàm pro eo poſſe ſervum civitatis torqueri. &c.

At ut ſinguli.] Niſi ad univerſos regimen univerſitatis pertineat. Tunc enim, quia neceſſe eſt, ut omnes conſenſerint, ſingulorum reſpectus eos pœnæ eximere nequit, qui univerſi conſenſerunt.

§. 8. *Ipſum quoq; meritum extinguitur.*] Quia ſicut delicta perſonalia ſunt, ita & pœnæ, quæ innocentes involvere non debent. Univerſitas autem niſi derivatione à ſingulis peccare non poteſt, ergo mortuis noxiis ſucceſſores pœna non ſequitur; Reparatio tamen damni dati tranſitoria eſt.

§. 10. *Parentum bonis confiſcatis.*] Etiam feudalibus, adeò ut & agnati non tantùm quarto gradu, ſed & ulteriori excludantur, quos tamen ob id propriè pœnam non ſentire, ob easdem Grotii rationes tenendum eſt.

§. 11. *Idem & de membris.*] Intellige ad abſciſſionem vel mutilationem obligatis. Hactenus enim quis in membra ſua jus nullum habet. Aliud de plagis & verberibus tolerabilibus ſentiendum: itemque de carcere, unde membris & univerſo corpori incommodum metuendum eſt.

Pœna non erit.] Quia non infligitur ob malum actionis, ſed ex conventione, licèt delicti alterius occaſione.

Executio juris antecedentis.] Quo fundamento ſine dubio etiam nititur ablatio feudorum ratione perduellionis, tam quod attinet filios,

os, quàm agnatos: Primus enim feudi Dominus qui illud Vasallo constituit, sub tacita illa conditione dedisse censetur, si ipse & omnes ejus posteri in fide permaneant. Deficiente igitur conditione, deficit etiam illa reciproca obligatio, & feudum Dominus ad se poterit vocare. Quin & illud legibus quidem feudalibus non constitutum scio, sine injuria tamen constitui potuisse non dubito, ut & tunc feudum domino aperiatur, si agnatus, qui feudum actu nondum possidet, in illo tamen jus & successionem habet, perduellionis crimen incurrerit.

Usus dominii humani.] Cui addenda causa inductiva, major sc. sceleris detestatio, & ne animal tam atroci flagitio contaminatum indignam facti memoriam refricet. *c. mulier. 15. q. 1.*

§. 12. *Cujus rei vera ratio non est.*] Si de emendatione hominum, qui deliquerunt, sermo sit, ut Paulo fuisse *ex l. 20. ff. de pœn. verb. quæ mortuo eo, in quem constitui videtur, desinit*, constat, ratio satis vera est. Non verò ad emendationem in genere applicari potest.

§. 13. *Metus ultionis.*] Nam ut quis possit puniri, oportet eum criminis reum esse, & hærere in delicto aliquo. At qui metuitur, nullo crimine tenetur, metus enim pertinet ad eum, qui metuit, non quem metuit, ergo pœnæ locus esse non potest: Adferunt alii hanc rationem, quòd in filiorum pœna ipsi non minùs parentes puniantur. Verùm sciendum est, non licere insontem ad pœnam trahere, eo fine, ut puniatur alter, quoniam delictum personale est, & non puniendus, qui non deliquit: Hinc laudatur à Spiritu S.

Rex

Rex Amazia, quòd interfectis illis, qui patrem ſuum occiderant, perduellionum liberos incolumes dimiſerit, idque feciſſe ſecundùm legem Dei dicitur. (*a*) Non magis ſtringit ratio Ciceronis, ut caritas liberorum amiciores Reip. redderet parentes, quoniam non fert ratio & æquitas, ut tibi dictetur pœna, ne Titius deliquat: ſed pœnæ & ſupplicia ſuos quæque tenere debent authores. Ideoque *d. l. quæq.* non ſolùm in eo atrocitatis & injuſtitiæ accuſaverim, quòd filios inſontes parentum delicto ob vani metus prætextum teneri dicit, ſed & dum revera illis alias irrogat pœnas, quæ non niſi ad verè delinquentes pertinent. *A materna*, ait lex, *vel avita omnium etiam proximorum hæreditate ac ſucceſſione habeantur alieni, teſtamentis extraneorum nihil capiant, infamia eos paterna ſemper comitetur.* De hæreditate paterna res plana eſt, quam fiſcus ſibi vindicat, & in eo pœnam filii non ſentire videntur. In bonis maternis verò & extraneorum per hæreditatem capiendis, quæ confiſcationi non ſubjacent, res paulò aliter ſe habet. Primò enim, quòd bona materna & proximorum per ſucceſſionem ab inteſtato acquirenda attinet, naturali ſanè ratione & ipſa æquitate hæc filiis deferri extra dubium eſt, ita ut niſi in pœnam vel boni publici causâ excludi non poſſint. Sed hoc noſtro caſu nullum filiorum delictum eſt. Quare nec pœna: nec minùs utilitas publica deficit. Incertus eſt metus, quem præter rationem à bono viro concipimus, de quo ſemper optima quæque præſumenda ſunt, nec deſunt in hiſtoriis exem-

(*a*) 2. Reg. 14, 6. & 2. Chron. 25, 4.

exempla, quibus docemur, parentum delicta in Remp. filiorum merita longè excessisse, & si ambitiosos homines à novandis rebus proprii supplicii metus non cohibet, quantò minùs alieni. Sic eandem ob causam iniquissimum est, innocentibus non solùm omnem successionis ab intestato spem præscindere, sed & incapaces facere, ne quid ex testamento extranei capere possint. Libertas hæc naturalis est, omnibusque indistinctim competit, & facto alieno in pœnam justè auferri nequit. Si salus publica præciperet, si civilis aliqua ratio vel necessitas, lubenter dominium eminens agnoscerem, sicuti & si delictum aliquod præcessisset. Quando autem de solo delicto tertii quæstio est, utcunque gravissimum fuerit, reo tamen solùm grave sit, non etiam tantæ efficaciæ, ut innoxios premat: Qui crimen nullo modo communicavit, cur pœnæ subjiciendus est? Afflicto afflictionem addendam non esse, prudentissimè in *l. ult. ad L. Pomp. de Parric.* statutum est. Satis afflictionis, satis mœroris miseriæque filius sustinet, qui perduellem patrem habet, contumeliosissimo supplicio adfectum, ut ne meminisse quidem ejus honestè possit. Qui criminis læsæ majestatis reus fit, ejus memoria deletur in Rep. & consequenter liberi censentur è terra nati, quasique patrem non habuissent. Hæc bono viro satis gravia sunt, & quamvis pœnæ nomine non veniant, in pœnam tamen cedunt. Denique illud injustissimum est, & nullo æquitatis velo tegi potest, quòd filii infames & intestabiles efficiuntur, nec jus sepulchrorum habent, *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Maj. l. 1. §. 3. ff. de suis*

&

& legit. Infamia enim eſt, quam lex ob turpe aliquod commiſſum nocenti irrogat, & ſemper factum aliquod turpe, v. gr. dolus vel ſimile crimen infamiam generare ſolet; *l. 20. ff. de his, qui not. infam.* adeò ut ne latam quidem culpam niſi expreſsè à jure notatam infamia ſequatur: inauditum verò eſt, ut, qui omni culpa & dolo caret, infamiam incurrat, neq; ſanè illud in Legislatoris poteſtate poſitum, facere infamem, qui innocens eſt, ſicut nec innocentē citra injuſtitię notam ſupplicio afficere poteſt: Habet unusquisque bonam ſuam famam à natura, quæ nō niſi delicto & flagitiis amittitur, nec ſufficit atrocitatem criminis & inde exceptionem à regula allegare, quoniam crimina utcunq; graviſſima ad inſontes nihil pertinent, & adhuc multò graviùs eſt, contra juſtitiæ vindicavæ modum pœnas ultra authores ſuos extendere: Ut hac ratione non tantùm mihi clementiam, ſed juſtitiæ opus feciſſe viſus ſit glorioſiſſimus noſter Imperator *LEOPOLDUS*, qui filios perduellium ſuorum Hungarorum integræ famæ reliquit. Ne ad honores, ne ad munera Reip. admittantur, oppidò caveri poteſt, quia hæc in arbitrio Reip. ſunt, cui illa collata velit, & hoc modo ipſis ſimul adimitur parentes vindicandi facultas; puniri autem revera (quod non minùs per infamiæ irrogationem quàm pœnam corporalem contigit) niſi injuſtè non poſſunt: quare nec facilè eos ſepultura prohibendos dixerim, quia hæc etiam criminoſis conceditur, quantò magis illis, qui non ſuo crimine rei, ſed alieno miſeri ſunt: ſi verè deliquiſſent, pœna ultra mortem non facilè in defunctos ſævire deberet, quæ

æqui-

æquitas igitur suadet, ut qui innoxiè vixerunt, post mortem insepulti jaceant, cùm humanitas hostes quoque sepeliendos jubeat? Et nihil sanè causæ subest, cur Imperator Arcadius imperialem suam in perduellionum filios clementiam multis jactitet, qui post gravissimas pœnas, quibus innocentes homines afflixit, generalem comminationem subjicit, quâ crudelius & inhumanius vix quicquam excogitari potest. *Sint*, inquit, *postremò tales, ut his perpetua egestate sordentibus sit & mors solatium, & vita supplicium.* Annon videntur filii, qui nihil meruerunt, puniri graviùs, quàm parentes, qui atrocissimum crimen subiere? Hos per supplicium oppidò extinctos cum vita cruciatus omnes deserunt, illos vita diuturnior supplicium perpetuum est, & mors solatium. Quæ major crudelitas, quàm eos, qui mori volunt, cogere, ut vivant? Ille Imperator ita noxios feriri jussit, ut sentiant, sed Ethnicus & Tyrannus. Hic Christianus nec malus Imperator ulteriùs sævire videtur, dum non mortem quamvis lentam, sed vitam in supplicium concedit, & non illis quidem, qui crimine tenentur, sed insontibus & de nullo scelere convictis.

Græcum proverbium.] Græcè ita habet.

Νύπιος, ὃς πατέρα κλαίειν παῖδας ἀπολείπει.

Rationem Orus ab Osiride interrogatus, quidnam pulcherrimum putaret, ita dedit: τὸ παῖδα τοῦ μὴ τιμωρεῖν κακῶς πάθοντα.

§. 14. *Jus dominii.]* Et hoc modo non tam puniri homo dicitur, quàm in eum Deus suo jure uti, ut frustra hîc Dn. Ziegl. repetat, *pugnare cum*

cum justitia divina, Deum jure dominii, quod habet in hominem & bona ejus, posse pœnas ei planè innocenti infligere, & ex hoc miserum reddere. Primò enim, ubi est ille homo planè innocens erga Deum? Omnes nos peccatores esse & carere justitia, quam habere apud Deum oportet, & propterea quæstionem hanc de homine innocenti præpostera vanitate tractari, jam suprà monuimus: Deinde concedere utique cum Grotio possumus, peccare cum justitia Dei, ut hominem innocentem puniat. Quia innocentia & pœna se invicem naturaliter adversantur. Sed non peccat tamen cum justitia divina, si Deus jure suo, quod creator in creaturas habet, utitur, verùm hoc juris exercitium propriè pœna non est: nec movet, quòd vindictam minetur Deus in posteros. Quoniam illud ἀνθρωποπαθῶς accipiendum, quòd homines talia loco pœnæ habere soleant. Ita sanè satis acerba nobis pœna esse videtur, cùm immatura ex hac vita morte rapimur, sed hæc ex vita evocatio apud Deum specialis pœnæ nomen non habet, quod delicto correspondeat, aliàs pium & sui timentem hominem citiùs quàm impium non deberet cogere, ut moreretur, quod tantum abest, ut Deus faciat, quin potiùs quandoque mortem ingentis præmii loco commendet, & expressè fateatur, electorum causâ abreviandos dies esse.

Acanis.] Dubium non est, inquit hîc Dn. Ziegl. *totam ejus familiam furto isto contaminatam, & sic participem fuisse.* Verùm liceat nobis cum Grotio bonâ Ziegleri veniâ de hoc ipso dubitare, eoque magis, quòd delictum in direptio-

reptione urbis commissum est, cui fœminæ & impuberes non interesse solebant. Potuit sanè adhuc infantes Acan sacrilegus habuisse, qui unà procul dubio combusti sunt, quia totam familiam Deus comburi jussit, adeò ut & jumenta in execrationem criminis in consortium venerint. Non injustitiæ accuso factum, quis enim posset? quod ipsam justitiam fecisse legimus. Causas tamen nobis ignotas esse arbitror, propterea que laudari ob authorem debet, imitari non debet.

§. 17. *Ex sua culpâ.*] Obscurus hîc admodùm Grotius est, nec verba hæc parenthesi inclusa quæstioni quadrare videntur. Populus enim, qui rectorem non habet, ex sua culpa tenetur, quòd non prohibuerit fortè Magistratus suos malè agentes, non verò quòd non prohibuerit rectorem alterius populi, ut capit Dn. Ziegl. h.

Sed agimus de eo contractu.] Hoc est, quærimus, an Rex eo ipso, quòd Imperium habeat, & vi ejus populum in civilibus possit obligare, idem quoque in criminalibus possit? Ex mente Grotii, qui præsupponit, populum dare Regi imperium, accuratiùs ita quæritur; An populus, qui Regi imperium ad regendum cœtum largitus est, hoc concessionis actu simul concessisse videatur facultatem obligandi cœtum in delictis, sicut concessit jus obligandi cœtum in civilibus? Atque hic est ille contractus ex re nimirum imperii concessione oriens, ubi caput & membra invicem obstringuntur.

Hominibus cur id non liceat.] Negat itaque quæstionem suam Grotius, ratio vera est, quòd nemo eo solo, dum superior est, inferiorem & subdi-

ſubditum in communionem ſui delicti trahere poteſt, neque illud imperium, quod cœtum obligat & cogit, tantarum virium eſt, ſive à Deo detur, ut veriſſimè datur, ſive ab hominibus, ut ſentit Grotius. Habet enim Rex imperium eo fine, ut civitatem rectè adminiſtret. Regitur autem civitas non delictis & ſceleribus, ſed pietate & juſtitia. Igitur quantum neceſſitas publica, quantum civilis ratio vel ſalus Civitatis requirit, obligari per imperium cives poſſunt, ad illicita non poſſunt, quia nec ipſum imperium ad illicita extenditur. Neque alia hac in re ſubditorum voluntas præſumitur. Hi juſtitiæ fruendæ causâ Regem ſupra ſe conſtituunt, fruimur autem juſtitia, quando jus ſuum cuique tribuimus, non quando delinquimus. Generale illud eſt, cogi neminem jure poſſe, ut delinquat, ſi noluerit, multò minus quemquam criminis alieni reum fieri, niſi ipſe facto aliquo crimen particeperit, quare ſeu vim imperii, ſeu voluntatem populi, ſeu denique connexionem civitatis ſpectes, populus non conſentiens malo ob Regis facinora affici nequit, quemadmodum nec filius pro patre tenetur, ut rectiſſimè hîc Grotius colligit. Idem in uxore & ſervo verum eſt, qui in criminis conſortium mariti & domini inviti trahi non debent, nec puniri hoc ſolo intuitu, quòd ſuperior, ſc. Paterf. deliquerit.

§. 18. *Idem dicendum de ſingulis.*] Poteſt enim bene puniri univerſitas, nec tamen ſinguli, ut Grotius ſuprà §. 7. tradidit. Univerſitas punitur in iis, quæ ſunt Univerſitatis, ſinguli in iis, quæ ſunt ſingulorum. Sic ſi univerſitas quædam

in Principem conspiraverit, exceptis paucis, qui solliciti consentire noluerunt, sed potiùs insidias detulerunt ad Principem, hi in bonis, quæ ipsorum sunt, non sunt puniendi: quatenus tamen v. gr. destruitur illa societas, pœnam amissione jurium & dignitatum communium per indirectum sentiunt: Illud verum est, quando in universitate omnes consenserunt, non tantùm universitatem ipsam, quæ deliquit, puniri posse in iis, quæ sunt universitatis, sed & singulos in iis, quæ sunt singulorum, quia crimen universitatis à singulis non ita abstrahitur, ut si universitas peccaverit, non simul singuli peccent. Idem dictum volo, etiamsi quidam non consenserunt: Nam qui consensere, etiam ut singuli rectè puniuntur, sicut Rex, cùm peccat, ut homo quoque peccat.

§. 19. *Merè personalia.*] Quod non solùm in criminalibus, sed & civilibus verum est, ut merè personalia non transeant ad hæredes, v. gr. pacta personalia quædam, item exceptiones nonnullæ, competentiæ, &c. & actiones, ut revocatio donationis in ingratum collatæ, & quæ sunt alia similia, quæ personæ strictæ inhærent, nec ad hæredes transitoria sunt.

§. 20. *Nova quædam causa obligationis.*] Quod & tunc in delictis accidit, quando delinquendo simul damnum datum; ad ejus enim reparationem hæres defuncti tenetur, quamvis de delicto, unde damnum processit, non teneatur.

CAPUT

CAPUT XXII.

DE CAUSIS INJUSTIS.

§. 5.

U*T enim justa sit defensio.*] Hoc vult Grotius, vix alio juris velo, quàm defensionis necessitate ob causam metus ex vicina potentia bellum suscipi posse: demonstrat igitur, hanc defensionis necessitatem non adesse, qualis ad propulsandum bellum requiritur.

In suo arcem faciat.] Cuivis hoc ex naturali libertate licet, qui imperium in populum habet. Procedit enim talis actus ex jure belli gerendi, quod non minùs fortalitiorum curam, quàm alias res bello necessarias comprehendit.

§. 6. *Nec utilitas.*] Multa mihi possunt esse utilia, in quæ jus nullum habeo: Et si utilitas justa bellandi causa est, justitia nulla est, aut saltem supervacua de ea disceptatio. Quia utcunque quis in jure inferior sit, de utilitate sibi multum polliceri poterit.

§. 7. *Ubi laxa est.*] Rectè hæc restrictio additur, quoniam si ad evertendam gentem aliquam omnes in negationem matrimoniorum conspirarent, ut olim Romanis factum, injuriam hac negatione illatam bello vindicari posse plerique concedunt. Hoc enim in actu non tam ipsa matrimoniorum negatio, quàm intentio eorum, qui negant, in considerationem & disceptationem juris venire debet: Nimirum nihil in procis ipsis, qui ambiunt puellas, desiderant, qualis

Digitized by Google

repulsa tolerabilis nec injuriosa foret, sed Remp. eorum everſam cupiunt, in eumque finem matrimonia negant, ut ob defectum ſuccreſcentis pubis civitas aliquando hominibus deſtituenda ſit. Si Remp. oppugnatum, ſi annonæ advectionem negatum irent, nemo de juſtitia belli dubitaret. Quantum verò diſtat is, qui armis populum opprimere vult, ab eo, qui idem occulta fraude in injuriam alterius redundatura facit? Habet quælibet gens naturalem facultatem ſe ſuaque tuendi, & vindicandi in eos, qui quocunque modo Reip. pericula aut interitum machinantur. Idque multò magis obtinet, quando privati quidem generos habere cuperent, publico autem decreto impedirentur.

§. 9. *Nam inventio eſt eorum.]* Nemo, qui improbus eſt, aut hæreticus vel ſimplicioris ingenii, rerum ſuarum dominus eſſe deſinit, quoniam dominium iis modis amittitur, quibus acquiritur. Acquiritur verò non pietate vel ſapientia, ſed occupatione, traditione, &c. ergo derelictione aliisque modis amittendum eſt. Ambitio Hiſpannorum erat, qui utrasque Indias auro aliisque rebus pretioſis confertiſſimas populis poſſeſſoribus ereptas volebant, ſibique addictas, & cupiditatis hujus improbæ velandæ causâ multos corradebant titulos juſtificos, qui penitiùs examinati perdunt cauſam, non juvant. Si pietas, ſi religionis propagandæ ſtudium expeditionis cauſa & ſcopus fuiſſent, laudarem propoſitum, verùm non debebant multa centena hominum millia perſuaſionibus & terrore in poteſtatem redacta inhumana feritate jugulare & abji-

abjicere in oceanum, ut & cadaverum humanorum veluti montes, & insulæ mari innatarent. Non cædibus & ferro, sed probitate morum & exemplis homines ad verum Deum convertendi sunt: Avaritia igitur & utilitas, non religio bellum & crudelitatem suadebat, ut exhaustis veteribus dominis ditionibus Hispanno incolas mittere & alios in obsequio continere, sibi verò ditissimis provinciis cum otio & voluptate frui liceret.

§. 10. *De quo meritò dubito.*] Rectè, non enim tum homines essent, qui toto suo genere & per omnem vitam nullum rationis usum habent. Potentia enim nulla est, quæ in actum nunquam migrare potest.

§. 11. *De jure naturæ.*] Libertas non tam competit de jure naturæ, quàm naturâ: Multum enim hæc duo inter se differunt, & plurima naturâ habemus, ut pulchritudinem, vires, sagacitatem, &c. quæ ad jus naturale non pertinent. Libertas per se neque res moraliter bona neque mala est, sed indifferens, & naturâ competere dicitur per actum generationis, dum nemo naturaliter servus nascitur, sed lege demum, quâ servitus introducta est; quo sensu *in pr. I. de libert.* ab initio distinctionem liberorum atque servorum incognitam fuisse docemur, & omnes uno nomine homines appellatos esse.

§. 12. *Occupanti.*] *Non tam occupatione quàm miseratione regimen tale constitui*, tradit hîc Dn. Zieglerus. Verùm ad mentem Grotii non satis accuratè animadvertit. Grotius enim dum dicit, naturam hoc regimen occupanti concedere, miserationem non excludit, sed tamen

ab occupatione rectè distinguit, quæ occupanti hoc concedit, ut propter actum præventionis aliis in tutelari regimine præferendus sit: miseratio verò ipsum occupantem ad subeundum hoc officium instigat. Occupatio itaque spectat alium concurrentem, quem excludit, miseratio ipsum occupantem, quem impellit. Si enim sola miseratione negotium perficiendum foret, concursus eorum, qui misereri volunt, impediret magis infantis regimen, quàm juvaret, & quivis se idoneum diceret, quòd eum infantis misereret. Quare occupatione opus est, ut confusionis vitandæ causâ alii excludi possint.

§. 14. *Ecclesiæ jus.]* Romani scriptores, qui pro pontificali potestate in cœlestia & terrena ad sanguinem usque desudant, hoc jus Ecclesiæ Romanæ assertum eunt, adeò ut & ignotas sibi terras bene meritis donare possit: Itemque impios Reges, aut saltem voluntati Pontificiali immorigeros, privare regno, & alios eodem investire, quo sanè colore & Ferdinandus Hispanniarum Rex regnum Navarrænum ad se traxit. Sanè postquam tempore Lutheri vera Dei Ecclesia à traditionibus illis humanis vindicata fuit, jactantia illa Pontificia pro merito derisa in fumum abiit, ut & Principes Regesque Catholici non parum gratiæ Luthero nostro debeant, qui primus mundum septentrionalem à tam immani tyrannide liberare ausus est. Quod si enim nostra tempora cum antiquis, & quæ ante sex ferè secula fuerunt, conferamus, meritò gloriari possumus, à crudeli nos superstitione vindicatos non solùm in verbo divino verè institui, sed pace civili tranquille

quillè frui, quod majoribus noſtris per Pontifices non adeò licuit. Quotusquisque enim eſt, qui ſine indignatione tempora Heinricorum Imperatorum legere poteſt, ubi Optimi Principes Pontificum excommunicationibus bellisque adeò fuerunt exagitati, ut eædum, brutorum fulminum, rebellionum, & depoſitionum Imperatorum nullus ferè finis fuerit. Olim quidem, piè & ſecundùm verbi divini præceptum creditum erat, omnem animam ſubeſſe debere poteſtatibus ſupereminentibus, & non ſolùm cives laicos, ſed & omnem clerum ſub hisce animabus intelligendum eſſe, in tantum ut tam ante quàm poſt Caroli M. tempora Imperatores & Reges non ſolùm Epiſcoporum, ſed & ipſius Pontificis creationem ſuæ poteſtati vindicaverint. Poſtquam verò Gregorius VII. Hildebrandus dictus, quem ſanè quis veriùs titionem infernalem dicere poſſet, Pontificale ſolium ſimoniacis & magicis artibus inſedit, & regimen Eccleſiaſticum αὐτοζώσιον facere conatus eſt, Dii boni, quantæ non turbæ inde in Imperium, quanta vitia & monſtra in Eccleſiam irrepſere? Prima procella in Heinricum IV. erupit, qui à Pontifice novo planè exemplo proſcriptus, & imperii quaſi commiſſi indignus declaratus perpetuis ſubditorum, quos Gregorius inaudito ſcelere obſequio abſolvit, ſeditionibus exagitatus eſt; Nec minoribus ſanè filius ejus Heinricus V. Atque illis temporibus Pontifici facilè fuit in rebellionem ſubditos contra Principem armare, qui impiâ doctrinâ imbiberant, Præſuli Romano ſine exceptione in omnibus non tantùm credendum, ſed & obſe-

quendum esse. Hinc usque ferè ad Carolum IV. vix duos aut tres Imperatores vixisse leges, qui Pontificiis diris non petiti sint. Et licèt tam Henricus IV. quàm Friderici I. ac II. omnem lapidem moverint, ut Imperatoriam dignitatem in antiquum splendorem & jus sublimarent, continuis tamen Principum Imperii discordiis & turbis, quas Pontifices optimè & cudere & fovere sciebant, distracti pio desiderio satisfacere non poterant. Imprimis verò animadvertere est, Gregorios & Innocentios Pontifices ferè semper Imperatoribus adversos fuisse. Tandem ætate Ludovici IV. hæc immensa potestas aliquod detrimentum passa est, prudentissimus enim hic Imperator conciliatis sibi quibusdam ex ipso clero, qui solus tunc literarum humaniorum peritus erat, tam strenuè contra Pontificem Imperatoriam majestatem armis & calamo tutatus est, ut elusis sæpissimè brutis fulminibus ad extremum usque vitæ terminum imperium sat quietum à Pontificiis turbis habuerit. Concidit verò planè, & non nisi inanem antiquæ potentiæ speciem retinuit, cùm Lutherus singulari Dei spiritu animatus errores Ecclesiæ Romanæ orbi detegere cepit, tunc sanè nec ipsi Principes, qui adhuc Pontificiæ religioni adhærent, potestate Pontificis nisi ad utilitatem propriam uti solent, ubi de eorum præjudicio agitur, contemnunt & deridenf. Sed & Pontifices in excommunicationibus suis, imprimis quantum Reges & Principes potentiores attinet, multò continentiores facti sunt, ne usu & exercitio magis obsoleſcat, cujus jamdum nil ferè nisi nomen supereſt, potestas & efficacia

expi-

expiravit. Ut præsentissimo rem exemplo declarem, quis non videt, si ante secula aliquot talis pax in Imperio nostro facta esset, qualis Anno 1648. confecta, vigore cujus tot Episcopatus & præbendæ in præjudicium Ecclesiæ Rom. non solùm in alienam religionem conceſſæ, sed & omninò secularisatæ fuerunt, continuò Pontifices excommunicationis telum in Imperium exorsuros fuisse: nostra verò ætate inani & ridicula protestatione contenti fuerunt, & simul Europæ universæ derisui. Sed hac de re omni uberiorem discursum ad Aquilam nostram Germanicam differimus, ubi de potestate tam Ecclesiastica quàm seculari in sacra ipsa diligentissimè nobis agendum erit.

Episcopos quà tales.] Secus est, si simul sint Principes seculares: Licèt enim hæc duo diversa officia non bene conveniant, nec sede morentur in una, quoniam tamen non solùm de eo, quod fieri debet, sed & quod fit, ut se habet, explicatio instituenda, ideoque rectè & secularis & Ecclesiastica potestas in uno subjecto considerari potest.

§. 16. *Quod cùm sit.]* Atque ita à Grotio satis respondetur ad ea, quæ suprà in *c. 20. §. 20, p. 450.* Dn. Zieglerus objecerat.

§. 17. *Ipsum bellum propriè injustum non faciunt.]* Rectè, intentio enim non ad justitiam causæ, sed actionem pertinet; Injustus ille est, qui contra jus alterius facit, illud tollendo vel minuendo, non qui jure suo utitur, licèt ex affectu vitioso. Et videtur hîc omninò distinguendum esse inter belli injustitiam, & actus vitiosos bel-

lum concomitantes: Ita quando legati mei ab alio Principe violati sunt, si fœdera rupta, si res ablatæ, nec repetitæ redditæ, justa belli causa adest: & jam nihil adeò ejus refert, à quo pœnam vel satisfactionem petimus, qua intentione, pacis an verò honoris aut ambitionis caus‹ bellum geram, quia hæc talia meam conscientiam onerant, jus alterius non lædunt: justum itaque est ratione ejus, qui nos læsit, bellum. & falsum, quod putat Dn. Zieglerus, *justam exinde fieri defensionem eorum, qui bellum promeriti fuerant*; Præterquam enim, quòd de his intentionibus, quæ in interiori mente residen‹, non facilè alii constari possit, nec in publicum studio proferri, sed multò magis omni opera contegi soleant, certissimum est, ejus defensionem, quem licitè bello persequi fas est, eo solo nunquam legitimari posse, quòd ille, qui justum bellum gerit, causam justificam honoris studio posthabeat, nisi lædens insuper quoque satisfactionem læso obtulerit, ab eo non acceptatam. Hoc enim demum casu justa causa ad eum, qui antea injustus fuerat, migrat, & justissima arma sunt, quando necessaria. Quando verò bellum ratione illius consideramus, qui ex justa causa quidem gerit, immoderatas tamen ambitiones adjungit, injustum vocari poterit, sed non adeò propriè, quia non facit contra jus alterius, verùm eo modo, quo injustus est, qui mutuum à debitore, quod ei debitor reddere non vult, judicio repetit magis ea intentione, ut reum litibus & impensis vexet, quàm debitum habeat. Hæ tales intentiones enim non tam alium lædunt extra se, quod injustitiæ opus est, quæ tota

in

in ordine ad alium consistit, quàm officio boni viri & caritati repugnant; Atque exinde perspicuum est, quatenus bellum utrinque possit injustum esse, ab una quidem parte ratione injustitiæ causæ, ad altera, cùm causis justificis injusta adjungitur intentio: quamvis hoc ultimo modo non tam injustum bellum dicerem, quàm injustè aut minùs ex officio geri. Hæc duo enim distinctissima sunt, & potest bellum esse justissimum, quod minimè omnium tamen rectè geritur ab eo, cujus à parte justitia stat, eadem ferè ratione, quâ pœna justa est in eum, qui delictis mortem commeruit, & vitiosa ejus irrogatio fit ab eo, qui meram potiùs vindictam intendit, quàm exemplum aut alios fines, pœnis proprios: Unde etiam ultrò inferrem, in bello, quod ex justis causis suscipitur, posse milites salvâ conscientiâ militare, etiamsi ab Imperante vitiosa adjungatur intentio, sicut carnifex rectè pœnam in eum exequitur, quem judex magis ut se vindicet, quàm ut bono publico consultum sit, non injustè tamen condemnavit. Quare non immeritò dubitare liceat, an rectè Dn. Zieglerus dixerit, *justam belligerandi causam everti & contaminari injusto fine*, quia nec imperans, qui Tyrannus est, & potestate sua divinitus concessa ad maleficia & cædes abutitur, potestatem evertit aut contaminat, sed vitium legitimo imperio superaddit. Tolerabiliùs actiones bellicas vitiosa intentione contaminari dixisset, non ipsam justitiam, quæ profectò multò purior & defæcatior est, quàm ut ab ullo extraneo vitio everti possit.

Nec

Nec ex tali bello restitutio debetur.] Rationem jam dedimus, quia ibi demum restitutio peti rectè potest, ubi alteri injuria facta aut damnum datum est. Qui autem ipse læsus, id, quod sibi debetur, armis persequitur, & ita pro se causæ justitiam habet, licèt actiones ab adjuncto vitio corrumpantur, jus tamen alterius non lædit, sicubi intra modum steterit, & propterea nulli jus nascitur petendi restitutionem ejus, quod justè acquisitum est.

CAPUT XXIII.

DE CAUSIS. DUBIIS.

§. 2.

Injustum existimat.] Et hoc dicitur Moralistis contra conscientiam erroneam agere, quod sine dubio peccatum est, quoniam facit ex mala intentione id, quod vetitum esse credit, atque non tam consideratur, quid faciat, quàm quo animo faciat, nam & feciſſet, licèt res per se fuisset mala. Sic qui firmiter credit Christiano homini militiam etiam in bello justo lege divina prohibitam esse, & nihilominus militat, antequam hanc erroneam opinionem exuit, is certè malè facit, quia, quantum in se est, legem divinâ contemnit, & contra eam agere vult. Eodem modo se res habet, cùm lege civili quid prohibitum vel mandatum esse credit, contra quam faciendo aut omittendo delinquere cupit.

Ut judicium nihil certi monstret.] Quæ conscientia dubia dicitur, cùm quis dubitat utr part

parti contradictionis assentiendum sit, vel quòd rem simpliciter dubiam esse existimat, vel quòd disputatis utrinque rationibus ex æqua lance ambiguus hæret, nec decidere potest, cui magis parti accedere debeat.

Sequendum erit illud Ciceronis.] Ratio est, quia neutrum, de quo dubitatur, rectè fieri potest. Alterutrum enim peccatum esse oportet, utrum autem sit, discernere non potest is, qui agit, sequitur inde, quodsi nondum depósito dubio agat, eo ipso satis declaret, quàm parum ejus referat, rectè an secus egerit, id quod officio viri boni non congruit, qui utrumque potiùs omittere debet, quàm alterutrum cum dubio facere, & hoc modo se peccandi periculo exponere. *Conf. h. Dn. Ziegl.*

Quod minùs iniquum.] Sed & in hisce dubiis consulere prudentiores convenit, nec eorum consilia & rationes contemnere. Item si aliorum auctoritas alterutram partem magis commendat, ad hanc potiùs inclinet, quia bene fieri potest, ut quis, de quo intuitu internorum principiorum dubitat, illud tamen amplectendum judicet propter principia externa, auctoritatem aliorum aut simile quippiam. sicut quis universaliter dubitare posset, an usuræ licitæ sint, & tamen cùm videt etiam Theologos ad quincunces fœnerari, eorum exemplo moveri. Neque minùs militi sub Principe suo militare licet, licèt de justitia belli dubitet, modò Principem pium & religiosum judicat, qui bellum injustum non sit susceperturus. Est & alia conscientia scrupulosa, cùm quid statuitur licitum, ita tamen, ut scrupu-

lus

Ius aliquis subsit, qui si rationabilis est, in considerationem aliquam trahendus est. Sin irrationabilis, contemnendus & evellendus ex animo.

§. 3. *Huc aut illuc ducitur.*] Cum formidine tamen oppositi, ut determinatus quidem assensus præbeatur, sed probalis tantùm, non certus ob rationes moventes probabiles, non certas. Et tunc deliberanti quidem certum est, meliorem pro nunc esse sententiam, quam sequitur, incertum tamen, annon ob alias rationes, quas jam ignorat, possit ad alteram contradictionis partem moveri: atque in hoc solo constat differentia conscientiæ probabilis ab ea, quæ dubia est, quòd hæc perpensis rationibus productis nihil pronunciare ausit: illa verò assentatur argumentis, quæ magis sibi apparent probabilia, ut tamen adeò certa non sit, annon aliquando aliis rationibus ad aliud trahi possit: Quare constare arbitror, novos illos Academicos, de quibus Cicero *l. 4. Academ. Quæst.* multa habet, conscientiam certam planè non agnovisse, qui nihil adeò certi esse existimarunt, quin & aliter se habere possit, propterea quæ homines debere probabilia sequi, certa non posse, quod quàm falsum sit, Christianis nobis satis certum est, qui de iis, quæ in fide & verbo divino contenta sunt, certissima novimus. Et jam Ciceronis tempore ab aliis huic sectæ festivè objectum est, eo ipso, quo nihil certum esse putant, aliquid certum statuere, hoc enim saltem certum erit, nihil certum esse.

§. 4. *Maximè utuntur Reges.*] Quando utuntur bonis Consiliariis, de quibus jam ad *l. 1. c. 3.* aliqua diximus.

§. 5. *Si*

§. 5. *Si res mediocres sunt.]* Nec in se peccatum habere putantur, sed magis de utilitate quadam inde redundatura quàm vitando peccato consultetur: In hoc enim, utcunque res mediocris sit, electio non concessa est, quia contra dubiam agendo conscientiam delinquimus.

Satius est nocentem absolvere.] Quia nocenti pœnas nō debemus, sed ipse nobis debet; in nostro igitur est arbitrio, exigere velimus nec ne. Innocenti verò tenemur ad malum ei non infligendum, hoc enim est contra naturam socialem, ut is à nobis damnum sentiat, qui nihil nocuit.

§. 6. *Inter sententias alternantes vergendum ad pacem.]* Non tantùm, quòd omne bellum pacis causâ gerendum sit, adeò ut nec illo opus habeamus, multò minùs justè geri possit, si pacem honestam & securam aliis mediis consequi liceat. Sed & quòd semper fortuna nondum tentata & viribus integris æquioribus conditionibus pax coalescat, quàm si pars altera ad victoris clementiam respicit: Cæsar sanè censuit, *unum tempus*, (id est, optimum) *esse de pace agendi, dum sibi uterq; considit, & pares ambo videntur.* (*a*) Videntur autem pares, qui nondum inter se fecerunt periculum virium, ut Curtius loquitur. Ratio est, quoniam viribus adhuc integris ambo de belli exitu & fortuna ancipites hærent, & *utring; ferrum & corpora humana esse* sciunt. Nec *usquam minùs quàm in bello eventus respondere.* (*b*)

Licèt enim omne tecum Græcia robur trahas,
Licèt

(*a*) L. 1. de bell. civil.
(*b*) Liv. l. 30. c. 30.

Licet arma longè miles ac latè explicet,
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt. (*a*)

Quamobrem non juſtitiæ tantùm eſt, ſed & conſilii, ne te in belli arbitrium præcipitem des, unde velut ex profundo puteo non facilè emergi poteris, & *quantumvis opibus tuis confidas, non debes certa pro incertis mutare.* (*b*) Quod ſi enim *videtur inæquale bonum & malum eſſe, nec minùs inæqualis rerum efficacia, res ea ita demum eligenda eſt, ſi effica: ia ad bonum major ſit collata efficacia ad malum, quàm ipſum malum eſt collatum bono,* (*c*) quæ cautela ſanè in bello incipiendo ſemper ante oculos verſari debet, ubi efficacia ad malum plerunque rerum ſummâ eſt, de qua alea jacitur, ad bonum verò efficacia quandoque res multò minoris momenti. Nam ubi clades publicas, cædes, rapinas, ſtupra, incendia, odia cogitaveris, quæ omne bellum comitari ſolent, nonne etiam juſtum ferè deteſtandum eſt, & animi ad pacem inclinandi. Et hoc à prudentibus Imperatoribus ſemper obſervatum ſcimus, ut differentias ante prælium compoſuerint, ſi utique licuerit. Corbulo apud Tacitum (*d*) Parthis per legatos denunciat, *non adhuc eò ventum, ut certamine extremo opus eſſet; Multa Romanis ſecunda, quædam Parthis evenisſe, documento adverſus ſuperbiam.* Et Antiochi ad Scipionem in Aſia Conſulem legati Romanos *memores rerum humanarum eſſe* jubent,

(*a*) Sen. Theb.
(*b*) Salluſt.
(*c*) Grot. l. 2. c. 24. theſ. 5.
(*d*) 15. Ann. 27.

bent, addito, *parari singula acquirendo faciliùs potuisse, quàm universa teneri posse.* (*a*)

§. 7. *Colloquium.*] Sic Annibal Scipionem Africanum priùs, quàm ad manus & prælium de summa rerum descenderetur, ad colloquium depoſcit, non ignarus, ſi Pœnis hoc prælio, quod inſtabat, aliquid ſiniſtri eſſet eventurum, de eorum libertate & imperio actum fore. (*b*)

§. 9. *Per ſortem.*] Erat ſorti quoque in victimis locus, ut conſtat *Lev. 16, 8.*

§. 10. *Id ſi non ab ipſis rectè fieri.*] Si duo Reges infeſtis inter ſe exercitibus concurrere, & multorum millium periculo cædibuſque dirimere lites jure gentium rectè poſſunt, non video quid obſtet, cur non & ſingulari certamine diſceptare controverſias. Alia inſpectio eſt, an ipſis hoc ſubditis prohibentibus aut non conſentientibus liceat. Quamvis enim ſubditi Regibus ad omne obſequium adſtricti ſunt, ipſi tamen etiam Reges Civibus ſuis ad Remp. adminiſtrandam, quæ per hujus duelli ſuſceptionem in ſummo diſcrimine verſatur; Et ſubditi in certamen Principis non conſentientes non tam aliquid contra eum, quàm pro eo feciſſe videntur. Peccare itaque Regem & contra officium facere arbitror, qui invitis ſuis Remp. in diſcrimen maximum adducit, imprimis quando cives pro patriæ & Principis ſalute quævis extrema pati & ad mortem usque pugnare non abnuunt.

Apud Livium.] Habemus & recentiora inter Chriſtianos exempla; Petrus Arragoniæ Rex

(*a*) Liv. l. 37.
(*b*) Tit. Liv. l. 30. c. 30.

& Carolus Gallus cùm ſuper regno Neapolitano diu odiis & armis diſceptaſſent, ille hunc ad duellum provocavit, ut paucorum certamine diſceptaretur, uter Neapolitanis jus daturus ſit. Accepit Carolus conditionem, ſed Petrus ad conditam diem nullus comparuit, quem putant certaminis mentionem ideo ſolùm in medium protuliſſe, ut præſentem tempeſtatem, quæ à Gallorum potentia Siciliæ imminebat, à limitibus regni averteret, excuſatione eâ uſus eſt, quòd Francus Rex cum juſto exercitu appropinquaret Burdigalæ, qui locus certaminis electus erat. Ita quoque ſuperiori ſeculo Franciſcus Maria Dux Urbinas Laurentio Medici ſingulare certamen ad conſopiendas differentias obtulit, *perchè era più conveniente eleggere uno di queſti modi, che perſeverare in quella via, per la quale ſi diſtruggevano impiamente i popoli & in prejudicio, di qualunque n'aveſſe a eſſere ſignore.* Maximè memorabile exemplum provocationis ad duellum eſt Caroli V. & Regis Francorum Franciſci I. & quamvis ferè communiter Galli Carolum in culpa non ſecuti certaminis fuiſſe tradant, Limneus tamen Imperatorem optimè defendit *ad procem. Capit. Carol. V. ad verb.* Durch die Wahl *n. 52. &c.* oſtendens, non ſtetiſſe per Carolum, ſed potiùs Franciæ Regem, quò minùs oblatum duellum & acceptum à Carolo executioni datum fuerit, noluit enim Franciſcus Heroldum Caroli audire, nec permiſit, ut quæ à Domino in mandatis habebat, palàm proferret, qui Regi ſolas literas poſcenti reſpondit, *qu'il apportoit de quoy contenter ſa majeſte: toutes fois qu'il avoit*

charge

charge de luy dire certaines choſes dela part de ſon Maiſtre. ſi ç'eſtoit ſon bon plaiſir de lui donner audience.

§. 11. *Atque hic & illud addendum.*] Hæc verba cum §. 2. *c.* 7. *hujus libri* 2. non bene convenire, ad illum §. 2. notare præcepimus.

§. 12. *Qui oblatam rei diviſionem.*] Vel etiam ſequeſtrationem.

CAPUT XXIV.

MONITA DE NON TEMERE ETIAM EX JUSTIS CAUSIS SUSCIPIENDO BELLO.

§. 2.

Sic quosdam eſſe diximus.] Intelligit Reges & Principes, qui τὸ κύριον Civitatis habent. Verùm hos non tantùm officium Chriſtianum, ſed & religioſa majeſtatis ſanctitas inviolabiles reddit, vetitum eſt eos occidere quòd majeſtatem & imperium habeant, non quòd multis utiles ſint. Nam Tyrannus multis etiam nocens & exitialis eſt, quem tamen à violatione eadem poteſtas civilis immediatè à Deo data, & nullo prætextu ſine graviſſimo perduellionis crimine violanda, ſecurum facit.

§. 5. *Efficaciam habere videatur.*] Hoc eſt, ſi media tam facilè & promptè ad bonum, quàm malum ferre poſſunt, res, de qua deliberatur, tum demum agenda eſt, ſi bonum, ad quod per media perveniendum eſt, malo majus fuerit.

Si videatur eſſe æquale.] Id eſt, ſi bonum

& malum, quod intenditur, æquale est, res ita demum incipienda, si media ad bonum majora sint, quàm quæ ad malum ducunt. Vel si sperare possumus, nos mediis istis potiùs ad bonum ferri, quàm ad malum.

Tertia.] I. e. si bonum & malum inæquale est, itemque media inæqualia, rem ita demum eligendam esse, si media ad bonum majora sint collata mediis ad malum, quàm ipsum malum majus est collatum bono: Itaque si malum majus est bono, media tamen ad bonum ducentia adhuc majora, si conferantur mediis ad malum, quàm est malum majus bono, res eligenda est. Omittenda verò, si non solùm malum majus est bono, sed & media ad malum majora mediis ad bonum, vel saltem paria, aut etiam si non media ad bonum majora sunt collata mediis ad malum, quàm est malum bono. Atque hæc ita quidem à Grotio subtilissimè distincta sunt, in applicatione tamen & exemplis hæc omnia inter se concurrunt, & in hanc generalem disceptationem incidunt, major ne ex negotio, quod agendum instat, commoditas & utilitas quam damnum sperari possit? Ideoque & ipse Grotius in exemplo & consultatione Civitatum Galliæ, quam §. 6. proponit, simplici via progreditur, & vitam servitute majus atque præstantius bonum facit, propterea quæ illam hac redimendam esse concludit, in applicatione verò efficaciæ ad bonum & malum, & boni maliqúe ipsius, tum horum omnium inter se collationis silet, & in fine indistincte adjungit, idem dictum velle de aliis rebus expetibi-

petibilibus, *ſi oppoſiti mali majoris juſtior aut par ſit exſpectatio.*

§. 7. *Cui pares ſunt vires.*] Quod ſi verò bonum majus eſt malo, tunc bellum prudenter ſuſcipi poſſe prima Grotii noſtri regula §. 5. tradita oſtendit: ibi enim par ad bonum & malum efficacia in hoc caſu vires denotat; Multò minùs ad juſtitiam rectoriam, (i. e. eam, quæ verſatur inter Regem & ſubditos ex natura civilis ordinis reſultans,) ſpectabit, ut omittatur bellum ex eo ſolo, quòd adverſa pars viribus nobis non ſit inferior. Præterquam enim, quòd vires & potentia non adeò æſtimari poſſint, quippe quæ non ſolùm in numero militum conſiſtunt, ſed & pecunia, rerum agendarum nervo, fœderibus & amicitia externorum, fortalitiis, commeatu & aliis rebus ad bellum neceſſariis, videtur inſuper, qui ſolas vires ad jus ſuum perſequendum intuetur, in eo offendere, quòd cogitationes & animum magis humano auxilio quàm divino accommodat, cùm tamen à Deo potiſſimùm in juſta cauſa, quæ hîc ſemper præſupponenda eſt, victoria ſperanda & petenda ſit. Solent equidem vires, tanquam rei conficiendæ inſtrumenta, in conſilium & deliberationem facti venire, ſed cùm ſufficientes rei agendæ ſunt, executio non ſuſpendi ex defectu virium debet. Sufficientes verò putantur, etiam cùm pares ſunt adverſariis, nam tum in eo non poſſunt non majores eſſe, quòd juſtitiam cauſæ pro ſe habeant. Etenim, ut Poëta rectè dixit,

Frangit & attollit vires in milite cauſa,
Quæ niſi juſta ſubeſt, excutit arma timor.

Nam profectò in hoc nimius est Grotius, cùm *illud maximè observandum* dicit, *ne unquam eo nomine bellum suscipiatur in eum, cui pares sunt vires.* At ne quidem tunc, cùm te perpetuis lacessit damnis & injuriis, cùm imperium tuum incursat, incendiis, cædibus atque rapinis omnia pervastat? Cùm urbes oppugnat, cives in servitutem abducit, & denique regno tuo extrema quæque minatur? Si major pars Reip. in legitimum Principem insurgit, si turbis, seditionibus omnia miscet, non poterit rectè Princeps, si pares vires habeat, illas opprimendæ seditioni opponere? nam si nunquam hoc nomine bellum suscipiendum est, ne quidem his casibus suscipi debet. At si solam in viribus fiduciam reponimus, ubi jam timor in Deum & spes de causæ bonitate concepta manet, quam Deus, severissimus semper seditionum, rapinarum, cædium & incendiorum, improbitatis denique omnis vindex, auxilio divino nunquam destituet? Quoties in historiis legimus, numerosissimos exercitus à paucis sæpè militibus cæsos esse, ut auxiliarem Dei manum palàm agnoscas? Censeo itaque, non modò si pares vires videntur, sed & quando impares, adversa verò pars nullum injuriarum finem facit, sed potiùs ex tua lenitate contemptum colligit, bello pio justoque injustitiam cohibendam esse, certissimèque fidendum, Deum singulari auxilio innocentiæ præsidio, & pervicaciæ supplicio atque documento fore. (*a*)

§. 8. *Cùm jura sint.*] Semper enim, antequam bellum incipitur, Clarigatum, i. e. res repetitum

(*a*) Vid. Judic. 7, 7.

petitum mittendum est, & si alter ad juris disceptationem provocat, à vi abstinendum, donec constiterit, illo remedio nihil agi. *Cùm* enim *duo sint*, inquit Cicero, *genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, cùm illud proprium sit hominis, illud belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore:* Ergo si superiore uti licet, posteriore abstinendum est, quia non debemus more bellua-um agere, ubi more hominum agere possumus.

CAPUT XXV.

DE CAUSIS BELLI PRO ALIIS SUSCIPIENDI.

§. 3.

Dubium non est, quin deseri possit.] Nam & potest Resp. totam aliquam provinciam, si eam citra summum periculum defendere nequit, pro derelicto habere, & jubere, ut sibi quovis modo prospiciat, quomodo ab Imperio Rom. Poruſſia Polonorum deprædationibus diu vexata, tandem deserta, & juris Polonici facta est. Quantò magis unus aliquis civis, ab hostibus fortè circumvallatus, nec ex eorum manibus nisi cum præsentissima totius exercitus aut Reip. internecione eripiendus suo fato committi debet? Non obstat huic desertioni obligatio illa, quæ inter caput & membra ad se invicem tuendum est, quia ultra possibilitatem moralem non extenditur, & tenetur quidem defendere unumquemque civem Resp. si potest, sin minùs, necessitate

satis excusatur: neque soli huic civi, qui in periculo versatur, obligata est, sed etiam aliis, quos omnes pro uno ad certissimam necem exponere non convenit, quia universorum conservatio sine dubio unius derelictionem excusat, nunquam enim in civili ordine privatæ utilitati publica salus, quæ suprema cujusq; civitatis lex est, cedere solet.

An verò etiam tradi. Alius hic & longè diversus casus est, nec quæ rationes desertionem legitimant, etiá traditioni inserviunt: quoniam qui deserunt civem, ad ejus necé nihil machinantur, sed in terminis passivis manent, & defensionis impossibilitate excusantur, qui verò tradunt ad injuriam, videntur participare de scelere, dum imoderatam deposcentis crudelitatem actu traditionis adjuvant: Ad totam quæstionem exhauriendam Grotius noster hęc tria disputat. 1. An civis, qui ab hoste deposcitur, jure propriè dicto teneatur ad se tradendum. 2. An non teneatur ex capite Caritatis. 3. An ad se dedendum ab Imperante cogi possit. Et primum quidem ipse negat, quoniam, licèt communis utilitatis causâ civitas constituta sit, sub ea tamen & cujusque propria salus comprehensa est. Secundum & tertium affirmat. Nobis longè aliter videtur, qui omnes tres positiones negandas esse arbitramur, & insuper quoque hanc quartam, majestatem non modò civem non posse cogere, ut se hosti tradat, sed & nec ipsam hosti tradere civem suum posse: Verùm ut confusio evitetur, præmuniendum ante omnia est, de cive innocente quæri, non illo, qui à Rep. quam facto vel consilio læsit, dedi petitur. Ad

hunc

hunc enim dedendum teneri majestatem, nisi participare de crimine velit, in c. 21. à Grotio satis est explicatum. Deinde quærimus de cive innocente, qui ad cædem vel aliud scelus dedendus est, non qui ob eximium aliquod artificium vel singularem eruditionem & peritiam ad honorem deposcitur, quem à Civitate, si ei nihil inde damni vel periculi metuendum fuerit, ad petitoris instantiam dimitti posse non repugnamus, nihil morale hîc deditionem impediet, nec dedito durior conditio timenda erit, fundamentum autem deditionis in jure alienandi consistit, quod Imperanti regulariter in cives & eorum bona competit. Longè aliter censemus, quando ad pœnam bene meritus Reip. civis ab hoste deposcitur intentato Civitati excidio, nisi paruerit: Hîc dicimus primò non posse Principem civem innocentem ad sævitiam dedere alterius. Quicquid imperans in cives suos potest, id omne ex imperio in personam profluit, cui subditorum actiones plenissimè subsunt. Verùm hoc imperium justum est, & saluti parentium velificatur, non crudelitati aliorum. Quicquid injustitiam & impietatem sapit, quicquid contra bonos mores est, ad id non extenditur imperium, nec obsequium civis debet. Ipse Princeps innoxios homines tormentis & suppliciis subjicere vi imperii nequit, quare nec extraneo ad pœnas tradere, nec excusabitur à parricidii & proditionis consortio, dum immoderata illa & iniqua hostis desideria adjuvat. Injustissimum postulatú est, quod bono viro necem intentat, quod Principem, qui civem tueri debet, promovere non decet. Sanè

educuntur etiam milites in hostem, & præsentissimo objiciuntur periculo, non tamen ad certam necem distinantur, victoriæ spes ad prælium provocat, non perdendi consilium: Quo ipso nunc secundò inferimus, nec civem ipsum ad se dedendum boni publici causâ obligatum esse. Nemo, qui mortem delictis non commeruit, ad mortem subeundam consentire potest, à Deo in hanc vitæ stationem constituti sumus, quam omnibus modis tueri debemus, donec nos supremus Imperator summisso alio exsolverit. In illud jus & potestatem ad tradendum habemus, quod sub nostro est dominio, corporis & vitæ arbitrium nostræ dispositioni non subjacet. Pro Principe quidem, Patria & parentibus nostris ad ultimum usque vitæ spiritum rectè possum depugnare, & pugnando etiam mori, in pœnam mori non possumus, cùm innoxii simus. Amore patriæ non justitia excuso Decianorum devotionem, qui solemnibus consecrati ritibus ad destinatum exitium proruerunt, nec pium sed superstitiosum factum Christiani agnoscunt. Præferendam esse publicam utilitatem privatæ non ignoro, sed tum demum, cùm sine peccato fieri potest, quod si minùs, facienda mala non sunt ad bonum consequendum: Quamvis non satis perspiciam, quæ & quanta utilitas deditione miseri civis & innoxii ad Remp. sit perventura. Quod si enim hostis eximium aliquem virum & verè civitatis Principem, qui hactenus Reip. prudentibus consiliis vel strenua fortitudine usui fuit, sibi postulat, intentio ejus haud difficulter penetrabitur, scilicet removere canes cupit ab ovibus, ut ovile

consi-

consilio & rei agendæ peritiâ destitutum hoc securiùs invadere possit. Tantum igitur abest, ut hunc tradendum civem existimemus, quin potiùs omni ope tuendum, in quo ipsa Reip. salus periclitari videtur. Si verò plebejum & ignobilem, idque sine causa & ratione, oppidò apparet prætextum belli quæri, nec multum Civitatem profecturam, etiamsi injustæ petitioni satisfecerit. Mox redibit enim & postulabit aliũ, tum tertium & quartum, donec vel omnes traditi sunt, vel unius tandem licèt sera repulsa ad priora belli consilia latronem reduxerit, quare satius erit principiis ambitiosæ postulationis resistere, quàm indecenti una aut altera concessione imbecillitatem Reip. & fortunæ angustias in lucem proferre. Multa sunt, quamvis ipse potentiæ tui adversarii inferior tibi videaris, quæ tibi fiduciæ & adminiculo esse possunt. Imprimis verò Deo & causæ bonitati confitendum est, qui momento vel hostem ad pacem inclinare, aut superbos spiritus cum omni potentia etiam parva manu dissolvere potest. Deinde ambienda amicorum & aliorum Principum auxilia sunt, qui tuas partes non planè destituent, cùm eos de injustitia & immoderata hostis tui ambitione docueris, nam & verendum habent, ne accessione tuæ Reip. potentior factus vicina quoque corripiat. Porrò si juris copiam polliceris, si ad arbitros provocas, cum aliis in fœdera & amicitias concedis, vix erit, quin ipsum denique ad meliores cogitationes traduxeris, & egregio constantiæ exemplo tibi apud Cives, quos in extremo periculo noluisti deserere, summum amorem cum metu reveren-

tiali

tiali conjunctum, quæ duo certissima Principatus firma menta & fulcra sunt, conciliaveris: Videndum nunc est, an civis, quoniam de jure stricto ad se dedendum non tenetur, saltem ex opere caritatis teneatur? Non nego multa caritatem, præsertim quæ Christianos decet, jubere, quæ officium boni viri stringunt, & laude sua non carent, neque tamen etiam præsenti negotio rectè adaptantur. Quæcunque ex caritatis norma fiunt, in utilitatem aliorum cedunt, innocentis civis deditio mihi sine fructu esse videtur, quia, ut ostendi, impotentis hominis desideria ignobile obsequium accendere solet, non minuere: dum me civem esse in Rep. patior, qui manu, consilio, pecunia & omnibus viribus civibus meis auxilio esse possum, in eo vera caritate utor, perfidus verò & desertor fio, qui nullo publicæ rei emolumento in vitam & corpus meum prodigus sum. Non jubet etiam Christiana caritas aliorum periculis cum damno tuo nulla utilitate prospicere, quantò minùs igitur, si per se peccatum est, ut est, consentire in necem suam, quod specie caritatis exercetur? Atque ex hisce denique firmissimè colligitur, si imperans non rectè innocentem civem dedere potest, si civis ipse neque jure stricto, neque ex caritatis præscripto ad se dedendum obstringitur, non posse etiam Principem cogere subditum, ut se dedat: quoniam non potest aliter cogere, quàm vi imperii: verùm hoc, ut dixi, ubi injustitia actum vitiat, deficit, & propterea nulla erit coactio. Ad omnia civem Principi cogere licet, quæ vel per se honesta sunt, vel saltem non moraliter mala. Quando autem peccatum

catum est, quod præcipitur, non obediſſe ſubditum oportet: Si Princeps civem juſſerit, ut ſe de turri præcipitet, in ignem inſiliat, aquâ ſe ſubmergat, ſpernendum impium præceptum omnes vident; nec meliori tamen modo agit, qui egregium quandoque & bene meritum civem nulla ſua culpa ad ſe infeſtiſſimo latroni dedendum impulerit, qui exquiſitiſſimis cruciatibus & inhumana feritate ſine dubio miſerum, quem conſiliis ſuis improbis hactenus obſtitiſſe comperit, afficiet: Qui in contraria opinione ſunt, non rationibus, ſed periculo pugnant, quod tamen nemini ad improbitatem illex eſſe debet. Nec facit ad rem exemplum Grotii, cùm in magna frumenti penuria cives cogi poſſunt, quod habent, in medium conferre, collatione enim frumenti aliorum indigentiæ ſubvenitur, morte innocentis nemini conſulitur. Illud caritatis & miſericordiæ opus eſt; hoc impietatis tum in ſeipſum, tum in Remp. quam noſtra deditione prodimus: Sanè pericula, quæ hoc noſtro caſu inſtant, mentali conceptu adumbrantur, re ipſa autem vix aliquando contigerunt. Nondum tradidere hiſtorici, quando Civitates ob id ſolùm everſæ ſunt, quod hoſti innocentes cives traditi non ſunt: Petiit Philippus Macedo ab Athenienſibus publicos Oratores, non continuò Civitas petitioni annuit, aut propterea in cineres concidit, licèt Rex tota Græcia potentiſſimus inſtaret. Si Reip. expedit ad quosvis extranei nutus ſe circumagi duciſque, adeò, ut ne quidem contra hiſcere audeat, non habet, quod multum de perpetuitate regiminis ſibi promittere poſſit, neque enim

enim unquam alienæ libertatis raptores lupi neque prætextus in bellum deerunt: Et tandem, cùm omnia alia promptissimè feceris, ut in ditionem injusti petitoris concedas, injunget, abnuentemque vi coget, & sic fatali ignavia brevissimum tempus non libertatem lucratus es.

§. 4. *Si nulla spes sit boni exitus.*] Nescio an non hac subintellecta clausula omnia fœdera facilè eludantur. Equidem contrahitur boni alicujus causâ societas, ita tamen, ut nec mala defugienda sint, quibus ad bonum interdum pervenitur. Nemo de belli eventu adeò certus est, cùm sæpè ingentia regna contemnendis copiis conciderint: si societas defensionis causâ inita est, ex hac causa auxilia denegari non possunt, ipsa enim societatis natura huic tacitæ clausulæ repugnat. Si certa pernities ante oculos foret, aliquid fortè diceret Grotius, incerta verò spes socium obligatione non solvit: Etiam homines in civitates boni alicujus coëunt, nec ob incertum mali eventus metum se invicem destituere debent.

§. 7. *Non peccabit.*] Firmior tamen omninò præsumptiò illa, voluisse eum, qui in periculo vitæ sub manu latronis versantur, etiam cum occisione invasoris evadere, & in hoc etiam omnes, qui opem ferre possunt, implorare: nec multum interest, quem in legitima defensione occidere licet, à quo occidatur, modo tamen & incuipato moderamine servato.

§. 8. *Si manifesta sit injuria.*] Sanè datur extraneo facultas bellum gerendi in Regem, qui atrocissimis injuriis & aperta Tyrannide subditos suos premit, afflictis enim conditio & humana necessi-

neceſſitas opem ferre jubet, at ſubditis non facilè conceſſum eſt ſe adjungere defenſori ſuo, & in Principem inſurgere; quando tamen in ſummo verſantur periculo, nec ex delicto, ſed vero in Deum cultu aliisque virtutibus rei aguntur, ſicut impiæ voluntatis regiæ miniſtros & executores ipſi armis & cum cæde repellere poſſunt, ita quoque aliorum auxiliari manu uti: Quo optimo etiam jure ſe Principes Imperii Reformatæ religionis tuentur, quòd contra milites Imperatoris, qui eos ſatis indigne ac injuriosè diu habebant, ac nullis non in locis ſuppreſſa vera religione & pietate humanas traditiones erigere conati ſunt, cum Sueciæ & Galliarum Regibus conſtiterint.

CAPUT XXVI.

DE CAUSIS JUSTIS, UT BELLUM GERATUR AB HIS, QUI SUB ALIENO IMPERIO SUNT.

§. 4.

Sed & aliarum gentium.] Quemadmodum & jura Feudalia dubitantem vaſallum auxilium domino ferre jubent. *Struv. Signt. Feud. c. 11. theſ. 7. & in Exeg.*

Poteſt activo judicio non dubitare.] Satis certum eſt, quamdiu ſubditus in utramque partem dubius fluctuat, etiamſi id, quod bonum eſt fecerit, non tamen bene aut licitè eum feciſſe, quia ad rectitudinem actionis requiritur determinatum & conſtans judicium, quod rem agendam

dam bonam & licitam esse firmiter credere debet; quæcunque enim actio non ex firma conscientia, sed à vacillanti agentis judicio procedit, communiter à moralistis damnari solet, quòd agens suâ incuriâ & negligentiâ se satis reum faciat, cujus æquè interest, bene an malè operaturus sit, atque ita sanè ipso dubio illicitum includitur; Sed illud tamen etiam non minùs certum, posse contemplativè dubitantem judicio practico dubium deponere, & rationibus intrinsecis, quæ consultantem dubiè suspenderunt, ab extrinseco momento aliquid accedere, quod judicii imbecillitatem tollat, & alterutram partem constanti determinatione amplectendam suadeat: Inter illa verò externa momenta, quæ intrinsecis rationibus pondus addunt, & dubitationem submovent, præcipuum locum aliorum auctoritas sibi vendicat, id quod in præsenti nostro negotio imprimis usu venit. Subditus, qui de justitia belli Principis sui hinc & inde dubius ferri incipit, adeò ut nesciat, quid sibi statuendum sit, vel eo ipso dubium deponere & bellum licitum esse credere debet, quod Principem suum illud cepisse & gerere velle non ignoret. Est enim boni civis officium, optimè semper & quàm sanctissimè de Principe sentire, quem virum bonum esse, qui tot bonis præest, omninò convenit. Quare dum de pietate & justitia Imperantis subditus sibi largissimè, ut decet, pollicetur, & sic authoritatem Principis, qui bellum indubiè licitum habet, incertæ suæ conscientiæ adjungit, desinit simul conscientia incerta esse, seque ad eam partem determinat, quò obsequiosa ducit religio. Cui deinde

si

si adhuc mandatum Principis, qui subditum ad bellum vocat, addideris, non potest non omne cessare dubium, & certissima oriri conscientia. Quicunque enim dubitat, is in utramque contradictionis partem æqualibus rationibus instructus est, sic ut neutræ præponderent alteris, sed veluti in æquilibrio certatim hæreant, adeò tamen, ut si partium uni adhuc aliquid, quicquid etiam sit, applicueris, hæc necessariò adversam trahere debeat. Accedit autem illis rationibus, quæ pro justitia belli pugnant, tum auctoritas superioris, tum ejus mandatum, cui obedire subditos semper oportet, nisi res planè illicita sit; quare hærere subditus desinit, & amplectitur illam partem, quæ rationibus internis contrariæ æquivalens externo aliquo momento, eoq; gravissimo, adjuvatur; cùm aliàs absurdum esset & temeritatis plenum, eligere eam actionem, quæ imbellibo & incertis fuleris innititur, quando firmiora alteram fundamenta sustinent. Nec opus est assertum ad casum adstringere, *quando imperans est vir doctus & prudens, qui non nisi ex maturo consilio soleat præcipere.* Nam hoc subdito semper credendum est, nihil imperantem, præsertim quod communem utilitatem concernit, nisi ex maturo consilio præcipere, & licèt ipse fortè doctus aut admodùm prudens non sit, habere tamen sapientissimos Consiliarios, eosque super tam gravibus negotiis consulere, & quod optimũ justissimumque visum est, sequi; Ac propterea mihi Theologi quidem non malè sentire videntur, qui in dubio obsequiũ subditis injungunt: *Bonacin. Theol. Moral. tom. 2. de Restit. disp. 2. sect. 1. punct. ult.*

dam bonam & licitam esse firmiter credere debet; quæcunque enim actio non ex firma conscientia, sed à vacillanti agentis judicio procedit, communiter à moralistis damnari solet, quòd agens suâ incuriâ & negligentiâ se satis reum faciat, cujus æquè interest, bene an malè operaturus sit, atque ita sanè ipso dubio illicitum includitur; Sed illud tamen etiam non minùs certum, posse contemplativè dubitantem judicio practico dubium deponere, & rationibus intrinsecis, quæ consultantem dubiè suspenderunt, ab extrinseco momento aliquid accedere, quod judicii imbecillitatem tollat, & alterutram partem constanti determinatione amplectendam suadeat: Inter illa verò externa momenta, quæ intrinsecis rationibus pondus addunt, & dubitationem submovent, præcipuum locum aliorum auctoritas sibi vendicat, id quod in præsenti nostro negotio imprimis usu venit. Subditus, qui de justitia belli Principis sui hinc & inde dubius ferri incipit, adeò ut nesciat, quid sibi statuendum sit, vel eo ipso dubium deponere & bellum licitum esse credere debet, quod Principem suum illud cepisse & gerere velle non ignoret. Est enim boni civis officium, optimè semper & quàm sanctissimè de Principe sentire, quem virum bonum esse, qui tot bonis præest, omninò convenit. Quare dum de pietate & justitia Imperantis subditus sibi largissimè, ut decet, pollicetur, & sic authoritatem Principis, qui bellum indubiè licitum habet, incertæ suæ conscientiæ adjungit, desinit simul conscientia incerta esse, seque ad eam partem determinat, quò obsequiosa ducit religio. Cui deinde

si

si adhuc mandatum Principis, qui subditum ad bellum vocat, addideris, non potest non omne cessare dubium, & certissima oriri conscientia. Quicunque enim dubitat, is in utramque contradictionis partem æqualibus rationibus instructus est, sic ut neutræ præponderent alteris, sed veluti in æquilibrio certatim hæreant, adeò tamen, ut si partium uni adhuc aliquid, quicquid etiam sit, applicueris, hæc necessariò adversam trahere debeat. Accedit autem illis rationibus, quæ pro justitia belli pugnant, tum auctoritas superioris, tum ejus mandatum, cui obedire subditos semper oportet, nisi res planè illicita sit; quare hærere subditus desinit, & amplectitur illam partem, quæ rationibus internis contrariæ æquivalens externo aliquo momento, eoq; gravissimo, adjuvatur; cùm aliàs absurdum esset & temeritatis plenum, eligere eam actionem, quæ imbellibus & incertis fuleris innititur, quando firmiora alteram fundamenta sustinent. Nec opus est assertum ad casum adstringere, *quando imperans est vir doctus & prudens, qui non nisi ex maturo consilio soleat præcipere.* Nam hoc subdito semper credendum est, nihil imperantem, præsertim quod communem utilitatem concernit, nisi ex maturo consilio præcipere, & licèt ipse fortè doctus aut admodùm prudens non sit, habere tamen sapientissimos Consiliarios, eosque super tam gravibus negotiis consulere, & quod optimũ justissimumque visum est, sequi; Ac propterea mihi Theologi quidem non malè sentire videntur, qui in dubio obsequiũ subditis injungunt: *Benacin. Theol. Moral. tom. 2. de Restit. disp. 2. sect. 1. punct. ult.*

ult. §. 2. n. 10. ait, *militibus, qui sunt subditi Principi indicenti bellum, satis esse, si sciant causam belli non injustam: in dubio enim obediendum esse superiori præcipienti, & in ejus favorem præsumendum.* Quocum facit & *Joh. de Dicast. de just. & jur. l. 2. tr. 1. disp. 10. dub. 16. §. 60. n. 367. & 368.* inquiens: *si subditi pro utraque parte habent rationes probabiles, ac per consequens dubium habent positivum, possunt se conformare rationibus superioris. Et licet subditus miles non sciat rationes de injustitia belli solvere, satius tamen erit suo Principi parere & b. f. arma capessere.* Ubi ambo hæc non sine ratione ad militem subditum limitant, quia qui subditus non est, obsequium nullum debet, & exinde ei magis liberum est bello abstinere, si dubitet, mandato enim, quod hîc nullum attenditur, æquabiles utrinque rationes vincere non potest, quamvis auctoritatem & hîc aliquid ponderis habere non dubitem. Oportet itaque subditum dubitantem judicio activo se determinare ad jussum superioris. Nec me movent rationes Grotii, quibus contrariam partem defendit, quòd *qui dubitat contemplativè, debeat judicio activo eligere partem tutiorem; Sit autem pars tutior, abstinere bello.* Multi sunt, qui hîc nullam necessitatẽ & officium, sed consilium agnoscunt, & pluribus prolixè ostendunt, citra omnem peccati speciem licere eligere partem minùs tutam, *quod in moralibus sufficiat sequi bonum ac tutum, quale est probabiliter licitum, non sit necesse semper optimum eligere.* Vera interim sit pro tempore Grotii sententia, eligendam esse judicio

dicio activo partem tutiorem, erit apprimè pro nobis applicatio, & subditus tutissimam partem tunc eligit, quando Imperanti obsequitur; sit in dubio tutius bello abstinere, quando arbitrium omne & liberum apud consultantem est, non verò quando conditio civilis jussui superioris parendum jubet: Debet subditus etiam invitus obsequium, & vi imperii in personam ad bellum vocatur, cui sine gravissimo inobedientiæ crimine paritionem renunciare non potest, & in dubio parendum superiori esse ferè omnes moralistæ tenent. Nam cùm incerti sint cives de justitia belli vel injustitia, certi tamen sunt, obsequendum esse, & ita certum incerto omninò præferre debent, & quod contemplativè ipsi incertum est, activè ex auctoritate & mandatu Principis pro certo habere. *Carere peccato, quod ex duobus minus est*, impertinenter dicitur, quia gradus oppositi peccatum non tollunt, quod fugiendum est, etsi minimum sit. Nunquam est ea hominis conditio, ut inter duo mala moralia constituto, ad effugiendum unum, aliud faciendum sit; Meliùs nobiscum natura egit, quæ liberum homini arbitrium indulsit, cujus ope utrumque effugere potest. Certum est, inobedientiam esse minùs malum, quàm homicidium, præsertim multorum innocentium, sed extrema hæc non conjungenda erant. Homines innocentes interficere ne quidem in justissimo bello licet, & propterea miles non educitur in hostem, ut multorum insontium cædibus oneret conscientiam, sed ut nocentes & injustos reprimat. Quò pertinet illa fecialium formula, ego vos testor, *populum il-*

Digitized by Google

lum injustum esse, nec jus persolvere. (a) Egreditur itaque exemplum statum controversiæ, ubi de dubio quæritur, homicidium verò palàm detestandum: Quod si in terminis manere volumus, dicendum erit, suspicionem homicidii multorum innocentium majus malum esse, quàm certam inobedientiam, id quod semper negandum est, quia hoc malum certum est, illud adhuc incertum. At verò *si injustum est bellum, in ejus vitatione nihil est inobedientiæ*? Respondemus, cùm subdito de injustitia non certè constet, in honorem & sanctitatem Principis justum credere debet, & propterea obsequium, quod in dubium à subdito in re licita nunquam trahi potest, præstandum est.

Δοῦλ' ὢν πέφυκας.] Sic Messenio apud Plautum. *Sed ego insciis, qui me hero postulem moderarier. Dicto me emit audientē, haud Imperatorem sibi.*

Nec magni ponderis.] Omninò hæc ratio à periculis, quæ Remp. ex hac sententia sequuntur, magni ponderis est, non tam ideo, quòd non expediat, subditis justificas belli causas exponere, quàm quòd id non semper plenè fieri possit, ut omne dubium penitus ex animis eorum tollatur, qui cùm sint crassioris plerunque ingenii, & ob privatas utilitates vel ignominiosam pacē justissimo & admodùm necessario bello præferrent, vix unquam de justitia causæ se persuaderi patientur, tutiusque continuò censebunt bello abstinere, quàm ob salutem publicam de rebus suis & fortunæ bonis vitaque periclitare. *Plebi enim*, inquit Tacitus, *non judicium, non veritas*: Et Cicero, *non delectu aut sapientia ducitur ad judican-*

(a) Liv. l. 1.

dicandum, sed impetu & quadam etiam temeritate. Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia. Nec falsè jam laudatus Tacitus: *Vulgus vacuum curis, & sine falsi veriq; discrimine solitas adulationes edoctum. Privata cuiq; stimulatio, & vile decus publicum. Intenta mala,* ait Sallustius, *quasi fulmen, optant duntaxat se quisque ne attingant.* Quis itaque non videt, quanto cum Reip. præjudicio & ferè interitu civibus in rebus dubiis arbitrandi facultas conceditur? In reb us indifferentibus nullum judicium subditis esse, rectè Politici asserunt, nec erraverit meo judicio, quantum obsequium attinet, qui res dubias cum indifferentibus comparaverit: quia sicut in his determinat Princeps, quod faciendum sit, cùm ante determinationem licuerit utrumque facere, ita in illis subditos ducit ad id, quod bonum & justum est, cùm ante mandatum dubii hæsitaverint, quid potiùs sequendum sit; utrobique obsequium superiori præstandum est. Si id, quod jubetur, perspicuam malitiam conscientiæ committit, Deo magis quàm hominibus parendum est. Si nescitur, bonum an malum sit, doceri subditi de qualitate morali debent, quod meliùs non fit quàm per jussum Principis, cui Deus ipse obediendum præcepit, qui non credendus est sepositæ pietate in malitiam cum subditis consensurum esse: Officium boni civis est, voluntatem suam voluntati superioris conformare, modò honestas naturalis non obsit. In dubiis verò non videtur habere subditus voluntatem, nescit enim, quid velit, quia determinare certum judicium ob adversan-

versantes invicem rationes non potest; Sequetur ergo Principis voluntatem, quorum corda & cogitationes singulari providentia Deus regit, quique prudentissimis Consiliariis stipati æquum & bonum sine dubio melius seligere noverunt, quàm simplex & impotens plebecula, privatæ rei curis occupata, nec ultra id, quod præsens est & ante oculos, providens.

Magis in id propendeat.] Cùm deliberans magis propendit in hoc quàm illud, non amplius dubitat, sed probabiliter unum eligit. Est enim inter dubitantem & eum, qui certus est, intermedius ille, qui probabiliter rem se ita habere putat.

Carnifici.] Carnifex, qui publicus justitiæ executor est, non peccat, quamvis insontem occidat, modò sententiæ injustitiam ignoret. Et licèt injusta agat, excusatur tamen, quòd superiori obsequendo non egerit injustè. Illud verum est, si carnifici constet, reum innocentem esse, & vel falsis testimoniis vel odio aut in gratiam alterius ad mortem damnatum, non posse salvâ conscientiâ exequi sententiam, nec eo solo ab homicidio excusari, quòd superiori obsecundatus sit: quoniam Deum potius audire debuisset, qui sub talionis pœna insontem occidi vetat. Concedo tamen, coram tribunali seculari nihil ei periculi esse, quod absurdum foret, si Magistratus puniret carnificem, qui sententiam, quam ipse Magistratus tulit, executus est, quasi injustam exequi non debuisset: & allegaret inconstans judex propriam turpitudinem.

§. 5. *Satis nequeat fieri.*] Non arbitror opinione subditorum jus & facultatem cogendi subditos,

ditos, quæ Imperantibus vi majestatis competit, obtusum iri, nec hanc lenitatem institutis bonæ Reip. convenire, qui novi, si quis à Romanis Imperatoribus ad militiam vocatus non responderit, ejus bona & corpus ad servitutem vendi potuisse. Quando verò causa palàm justa est, & bellum ex necessitate Reip. gerendum, quidni liceret contumaces cives ad arma cogere? Cui bono imperium Principi competeret, si illud precarium esset, & ex subditorum penderet arbitrio? Nec quicquam ad rem facit, quod objicit Grotius, alios nō defuturos, qui militent, quoniam omninò & ad victoriam & ad omnem militiam multum refert, ut subditi milites scribantur, & prudentiores Politici unanimi consensu extraneos, ut infidos, rapaces, meticulosos, & parùm de summa rerum sollicitos rejiciunt, indigenas & cives contrà omni ratione commendant: Quòd clericis & pœnitentibus militia olim prohibita fuit, partim à personæ conditione, partim speciali de causa factum est, jus cogendi subditos, qui nullis de causis ex mera voluntate aut inani conscientiæ prætextu militare nolunt, non sustulit. Et quidem quod pœnitentes attinet, illi à militia cum consensu Principum Christianorum ex pio Ecclesiæ consilio excludebantur, aliis exemplo esse non poterant. Satis certum est, inter arma & strepitum belli pœnitentiæ locum vix dari, cùm nullum bellum tam sanctè geratur, quin in illud excessus aliqui, qui pœnitentibus non conveniunt, concurrant. Aliis subditis arbitrium belli & militiæ unquam concessum esse, non legimus. Ac tandem quid obstat, si subditos licet cogere ad tributum

in bellum conferendum, quin & ad bellum ipsum cogi possint? Aut quantum distat is, qui pecuniâ suâ alium ad actum aliquem conducit, ab eo, qui ipsum actum facit? Cùm bellum injustum est, nec pecuniam in illud conferre debent, nec ullo modo superiori in iniquitate adjumento esse. Justitia autem quemadmodum Principi jus dat agendi, ita & conducendi idonea ad actionem exequendam instrumenta, inter quæ principe loco subditi numerandi sunt. Ut ipse Grotius *l. 1. c. 5.* exposuit.

§. 6. *Jus verum & internum.]* Si Resp. aut Princeps deliquit, ac ob id à læso bello petitur, subditi, qui in delicto non participavere, ex justitiæ præscripto occidi nequeunt; & poterunt, si ipsis de animo hostili certè atque indubitatè constet, non solùm pro vitæ, sed & bonorum tuitione legitimo modo ab hoste se defendere, secundùm ea, quæ ad *c. 20. §. 8. h. l.* de privata vindicta multis explicavimus.

Quod gentium jure.] Verùm jus gentium, nil nisi quod æquitatem & justitiam pietatemque sapit, præcipit, & cædem innocentis subditi non permittit. Prava tamen consuetudine hactenus obtinuit, ut quicunque apud hostes repertus & occisus fuerit, jure cæsus videatur, nec actio ex cæde repetitioque ulla foret. Ut in *l. 3.* mox pluribus apparebit.

FINIS OBSERVATIONUM POLITICARUM ET MORALIUM IN H. GROTII DE JUR. BEL. ET PAC. LIB. II.

OBSER-

OBSERVATIONUM
IN
HUGONIS GROTII,
DE
JURE BELLI ET PACIS,
LIBRI III.

CAPUT I.

QUANTUM IN BELLO LICEAT, REGULÆ GENERALES EX JURE NATURÆ, UBI ET DE DOLIS ET MENDACIO.

§. 2.

Quin & rem alienam.] Verùm hoc jus mediorum, quæ ad finem ducunt, non usque ad injuriam tertii extendendum est: itaque non occupatione rei alienæ periculum avertere debeo, sed potiùs munimentorum contraria in meo extructione. Ut ad *l. 2. c. 2. thes. 10.* pluribus explicavimus.

Naturaliter.] Significat hoc vocabulum, sermonem Grotio esse vel de iis, qui superiorem

Judicem non habent, vel cùm momentaneè cessant judicia, v. gr. debitor cum rebus suis aufugiat. Civibus enim, qui sub Rep. sunt, hoc jus non concessum est, sed eos oportet actiones petitionésve, si quas inter se habent, statutâ juris viâ persequi, ut ita frustra sit Dn. Zieglerus, qui hoc jus nullibi posse exerceri contendit, quia licèt concederemus omnes homines vivere sub societate aliqua, (quod tamen absolutè necessarium non est) non statim inde sequitur, ergo omnes, qui in societate vivunt, Judicem habent, nam si summis potestatibus invicem lis sit, superioris Judicis adeundi copia non datur, & ita naturaliter rem meam eripere alii possum, qui eam detinet.

Quibus ex causis dominium quoque sequitur.] De quo dubitandum non est, quia & contra voluntatem domini rei dominium sæpè transfertur in alium, præsertim cùm inter duos negotium est, quorum uterque sui juris potestatisque est, nec alii subjectus. Sic quæ bello justo occupantur, tam res quàm personæ, earum dominium atque imperium ad occupatorem transit invito quoque eo, cum quo bellum est: quò meritò referri debet casus, cùm aliud tantundem valens pro re mea arripio, quum rem ipsam mihi habere non licet. Nec opus erat duplici aut terna denuntiatione, tantique temporis expectatione, quo neglexisse dominum rem suam, & dominio se abdicasse probabiliter colligi potest, id quod voluit Dn. Zieglerus, occasione juris vendendi pignoris, ut videtur, seductus: quoniam non semper, ut dixi, ad dominium transferendum voluntas domini necessaria est, cùm & in pœnam &

aliis

aliis juſtis de cauſis, inter quas meritò contumacia illa refertur, quando rem meam habens mihi reſtituere non vult, dominio rectè poſſit non conſentiens privari.

§. 3. *Ipſi quoq; pœnæ meritum trahunt.*] Ex qua cauſa Brutulum Papium Samnites dedendum Romanis cenſuere, quòd cives ad bellum injuſtum impulerit. *Vid. Grot. l. 2. c. 15. theſ. 16. & Liv. l. 8. c. 39.*

§. 4. *Multò majus bonum.*] Juxta regulam ſuprà *l. 2. c. 24. theſ. 5.* traditam.

§. 5. *Neceſſitas jus dabit.*] Neceſſitas nemini in aliena jus dat, & poteris ea intercipere, quæ ad hoſtes tuos miſſa ſunt, vel jure belli, quatenus advectores hoſtium loco habentur, vel etiam ratione damni dati.

Idq; ſcire potuerit.] Imò etiamſi neſciverit, quia ſatis ei eſt ſcire, hoſtes tuos eſſe, quos juvare vult. Et quoniam permiſſum eſt hoſti adimere omnia ea, quibus juris noſtri executionem impedire aut avertere poteſt, ſibi damnum imputare debet, ſi quod paſſus eſt, qui advectione rerum animum in hoſtes meos proniorem ſatis oſtendit, imprimis ſi ipſe res ab eo emere paratus fuiſſem.

Quia ex hiſtoriis.] Sed hinc non ſequitur, ergo jure gentium hac de re nihil conſtitutum eſt: quia jus gentium non illud tantùm eſt, quod hiſtoriis abſolvitur, multa enim ſunt, quæ apud plerosque populos uſu quodam recepta fuerunt, nec propterea pertinuere ad jus gentium propriè ſic dictum. Ideoque potiùs in omni negotio, quod juris gentium eſſe exiſtimatur, ad illud reſpicien-

ſpiciendum eſt, an in re controverſa mutua quædam gentium inter ſe connexio ſit, & tum, quid juxta illam relativam connexionem juris dicendum. Multa imò pleraque jus gentium ex jure naturæ deſumit, & actibus gentium publicis applicat, aut ſaltem petitis ex jure naturali concluſionibus ad communem tranquillitatem infert. Sicut illud eſt, quod de fide ſervanda jus naturale edixit. Statim enim gentium jus ex hoc principio colligit, ergo & inter gentes in pacis, fœderum atque induciarum negotio fides publica ſervanda eſt: pari modo ex hoc principio, neminem eſſe lædendum, ne legatos quidem violandos profluit. In præſenti quæſtione, ubi de rebus neceſſariis & utilibus hoſti non ſubminiſtrandis quæritur, non difficiles ſunt juris gentium concluſiones. Quoniam enim naturaliter omnes, qui quocunque modo delictum vel injuſtitiam adjuvant, aut in jure conſequendo impedimento ſunt de crimine participant; (*a*) Ita cùm de gente aliqua injuſta aut injurioſa punienda atque coërcenda agitur, delinquit in jus gentium, & hoſtium loco eſſe incipit, qui verbis vel facto, ad quod rerum ſubvectio meritò refertur, populi alicujus crimen approbat. Quando autem is, qui res detinet, injuſtum bellum gerit, ipſam detentionem injuſtam & contra jus gentium eſſe inde facilè apparet, quòd jure gentium contra injuſtum populum omninò juſtum bellum ſit, quod nemini, ne ipſi quidem hoſti licet impedire. Ex qua ratione alia hæc illatio ſurgit; Omnes gentes decet juvare eum, qui juſtè belligerat. Ergo nulli à parte ſequiore ſtare conceditur. §. 7.

(*a*) Grot. l. 2. c. 21. theſ. 1.

§. 7. *Nec quæ scias, nec quæ velis.]* Bene, sed non sequitur inde, nec taceri posse, quod non potest secus dici, quàm revera habet, id quod Praschius voluit *dissert. de Mendac. quam Dn. Bæclerus suo ad Grotium Commentario adjunxit.* Quo cum enim de re aliquâ colloqueris, cum eo sic agere debes, ut non solùm verba, sed & mentem tuam intelligat, præcipuè si ejus interfit rectè te intellexisse, illud verò, quod scis, ut aperias, non teneris, nisi peculiare personæ vel causæ officium revelationem jubeat. Prioris exemplum esse potest in subdito, qui ex officio obstrictus est Reip. detegere, si quid in ejus præjudicium futurum sit. Posterioris, quando detectione fortè alicujus periculi magna ad alios utilitas sit perventura, tibi verò nullum exinde damnum metuendum: nam hoc casu tam caritas quàm socialis ratio præcipit, ne fileas, quod adeò multorum scire refert. Equidem arbitratur Praschius, si quis sciendi jus habet, exercitium ejus æquè silendo impediri. Verùm nosse convenit, jus sciendi naturaliter neminem tale habere, quòd alium cogere possit ad dicendum ea, quæ ipse ignorat: & licèt haberet, non tamen teneretur alterpriùs secreta edifferere, quàm ab eo, cui jus cogendi est, de rumpendo silentio esset interpellatus, sicut nec debitor in effectu antè solvere tenetur, quàm à creditore requisitus fuerit. Deinde Praschii illationem falsitatis exinde redarguo, quoniam ipsomet concedente falsa loqui non concessum est, quando illud in detrimentum alterius factum apparet; At sanè tacere rectè quandoque possumus, quæ alii ut sciant, eorum

rum multum interest, etiamsi de re interrogati fuissemus. Atque hoc Jeremias eximio suo exemplo comprobavit, qui apud Proceres rogantes eum, quid cum Rege collocutus esset, tacuit præcipuum colloquii argumentum, de exitu sc. obsidionis, & attulit aliam non falsam tamen colloquii causam. Et Abrahamus etiam super uxore interrogatus, sororem esse dixit, uxorem tacuit. At multum sanè intererat Abimelechi Regis, ut veritatem sciret, parùm enim abfuit, quin eam in matrimonium & sic ad adulterium deposceret, idque fecisset procul dubio, continuo Abrahami silentio negotium adjuvante, nisi à delicto divina visione avocatus fuisset.

§. 8. *Ut rebus aliis uti liceat.*] Easdem ob rationes, quas nota præcedenti exposui, non probo Praschii sententiam, qui *d. Dissert.* opinatur, ea, quæ facere licet, multò magis dicere fas esse. quia ipso facto nemo impellitur ad credendum, secus verbis & sermone. Possunt enim verba ita comparata esse, ut aliter nequeant intelligi, quàm proferuntur, facta semper indifferentia sunt, & nulla voluntatis certa signa ostendunt. Ita qui se fugere simulant, possunt id non tam fugæ quàm insidiarum causâ facere, nec qui panem è Capitolio abjecerunt, se dixerunt rerú omnium adhuc abundare opulentiâ, sed hostes saltem ita interpretati sunt. Strictior sanè inter colloquentes ratio est, quæ saltem sufficienter ex ipso fine colligitur, qui est, ut invicem se de vero doceant, non ut fabulas narrent. Et sine dubio licet falsam gemmam digito induere, veram dicere non licet: & nullus cogitur, ut veram credat ipso gesti-

onis

onis actu, assertione ut credat, cogitur, saltem moraliter, imprimis si lapidum pretiosorum notitia pleniore destituitur. Non continuò qui falsa gemma utitur, pro vera eam jactitat, sed tum demum, cùm veram dicit. Delicatior aurium quàm oculorum sensus sit, non est quæstio, sed potiùs, qua re judicandi libertas magis impediatur, verbis an facto?

Ita exemplum ponendum est.] Rectè has duas cautelas adjicit Grotius, quoniam nec facto aliquem decipere possumus, si exinde ipsi detrimentum futurum esset, & nos sciremus, eum factum nostrum ita capturum, ut ei necessariò nocumento esse debeat, cui nocere jus nobis non est, secus si nocumentum esset licitum etiam citra dolum.

§. 10. *Quatenus & imprudenti.*] Augustinus ait, *non mendacii, sed aliquando temeritatis arguendus est, qui falsa incautus credit, ac pro veris habet.* Et formale mendacii in communi est discrepantia mentis à verbis prolatis. Non discrepat verò à verbis mente, qui falsum narrat, quod verum esse putat, sed qui, quod falsum esse scit, pro vero venditat. Et sicut qui injustè agit, diversus ab eo est, qui agit injusta, ita quoque distincta sunt mendacium dicere, & mentiri. Illud ex dolo oritur, hoc ignorantia vel simplicitate.

Significationis ergo falsitas.] Atque hoc materiale magis mendacii est, quàm formale, ut in §. seq. videbimus.

Πολύσημα.] Iterum hîc sine causa, ut mihi videtur, secedit à Grotio Praschius, qui ad mendacium refert, si in vocabulis ambiguis sciveris alium

alium à tua mente dissensurum. Facilè largior, non esse officium boni viri, in mutua conversatione ad decipiendum alios æquivocationibus studiò operam dare, mendacium illud esse pernego, modò verba à sensu & mente proferentis non discrepent: idque facilè vel ex ipsa Prascii definitione, quâ mendacium circumscripsit, ita probo. Ubi non est dolus in verbis falsis, ibi non est mendacium. In vocabulis πολυσήμοις non est dolus in verbis falsis. Ergo nec mendacium. Enunciatum posterius ita apparet. Ubi non est disconvenientia mentis & rei, ibi non est falsitas. In vocabulis πολυσήμοις, quæ ita proferuntur, ut cum animo interiore conveniant, non est disconvenientia mentis & rei; Ergo nec falsitas: & consequenter non mendacium. Et clarum est, absurditatem sapere, qui mendacium inde conficere vult, quòd is, qui verba ambigua loquitur, credit vel scit, eum, quo cum loquitur, alio à mente proferentis sensu verba esse accepturum. Mendacium enim non dependet ab eo, ad quem verba diriguntur, sed potiùs, qui illa facit. Hic verò mentem ad verba composuit, & propterea mendacium non committit; quare sequitur, non esse mendacium, si alter secus intellexerit. Fieret enim hoc modo mendacium non ab eo, qui verba facit, sed ad quem facit, quod oppidò ab omni ratione alienum est. Multò minùs moveor exemplo Praschii, quasi idem esset, ac si tu velles ab arte gladiatoria segregare ancipites illos ictus, quos à fingendo hodie dicunt. Nam in diversis non dari similitudinem, vel pueris notum est. Ancipites autem illi ictus cum mente gladiatoris

non

non conveniunt, ſed ſemper alium diriguntur in locum, quàm quem prima ſpecie petunt. At in vocabulis æquivocis verba & animus convenire debent, ſi mendacium evitare velimus: Et exemplum Praſchii meliùs convenit ei, qui mentem à verbis diverſam habet, ſicut gladiator alium locum mente petit, alium ictu primo intentat, idque ad decipiendum adverſarium.

Temerè non probandam.] Quare multò minùs Jeſuitarum illæ mentales, quas dicunt, reſervationes: quæ omnem inter homines fidem, juramenta, contractus, & neſcio quid non, diſſolvunt.

Lazarus amicus noſter dormit.] Exiſtimat Dn. Zieglerus, non æquivocè, ſed καθ' ὑυφημισμὸν Chriſtum eſſe locutum. Quicquid ſit, in verbo dormire æquivocatio eſt, & ſciebat etiam Chriſtus, diſcipulos ſuos de ſomno naturali accepturos eſſe, ſicut & id, quod de templo reſtaurando & duodecim ſedibus Apoſtolorum dixerat. Nec ſufficit, ſi reſpondeas, hæc ea intentione prolata eſſe, ut deſiderium diſcendi ac ſtudium de non intellectis inquirendi & interrogandi accenderet. Quoniam non quæritur, qua intentione Chriſtus protulerit, ſed an rectè proferre & vocabulis ambiguis uti potuerit, licèt non ignoraverit, diſcipulos aliter ſermonem intellecturos. Quod ſi enim hoc per ſe eſſet illicitum, ſine dubio Salvator eo non fuiſſet uſus.

Per fabularum ambages.] Inſignis hîc Dn. Ziegleri inadvertentia in Grotium ſine cauſa injurioſa eſt ei affingendo, quod Authori nunquam in mentem venit, nimirum ut imputet Chriſto

aliquod mendacium in latiori significatione. Verùm ipse hujus §. *10.* contextus Grotium excusare potest: qui has Christi Salvatoris nostri Parabolas non ad mendacium, ne quidem latè dictum refert. Dum enim dicit, facere ad conciliationem sententiarum dissentientium acceptio mendacii largior vel strictior, & significationis falsitatem ad communem mendacii naturam requiri, continuò consequens esse ait, in vocabulis polysemis & parabolis nullum esse mendacium, ne latè quidem dictum; Nec asserit Grotius, mendacium in largiori acceptione non esse semper in vitio positum ideo, quia ipse Christus per fabularum ambages populum alloquitur: ut temerè intellexit Dn. Zieglerus, sed parabolas Christi ad mendacii quamcunque significationem omninò non pertinere voluit, idque ea ratione, quia ad communem mendacii naturam requiritur significationis falsitas. In parabolis verò verba à mente diversa & alia non fuerunt.

§. 11. *Differentiam aliquam propriam adjiciat.]* Qui hæc, quæ sequuntur, cum iis, quæ paulò antè Grotius de communi mendacii notione dixit, accuratè confert, is satis perspicuè deprehendet, Grotium mendacium largius & strictius non divisisse ut species, sed æquivoca, nec illud sub mendacii propriè sic dicti nomine comprehendere voluisse. Rationes arguendi has habeo. Primò, quoniam licitum & illicitum sub uno communi genere ut duæ species comprehendi non possunt, quod enim naturâ illicitum est, ejus alia species non est licita, & commune genus ad illicitum referendum est. Secundò,

quod

quod Grotius hîc ait, notioni mendacii ſtrictiori differentiam aliquam propriam adjiciendam eſſe, id indicat notionem illam communem mendacium verum non involvere: aliàs ei nihil adjiciendum, ſed potiùs detrahendum aliquid eſſet. Quemadmodum actio in genere & lata ſignificatione tam realem quàm perſonalem ſignificat; Strictè autem ſolam perſonalem. Et in hoc concepto actioni nihil adjicitur, ſed contrahitur potiùs generalis notio, & ad ſolum jus perſonale reſtringitur. Pari modo & actio realis latè quamcunque perſecutionem juris in re notat, etiam eam, quæ ſpecialiter rei vindicatio dicitur. Strictè verò ſolam hanc, quæ etiam in lata ſignificatione jam comprehenſa erat. Mendacium verò hoc modo latè & ſtrictè non dicitur, quia communi mendacii notioni verum mendacium non ineſt, ſed demum aliqua ad id conſtituendum ſpecialis differentia requiritur. Quare meo ſenſu ita habendum. Significationis falſitatem eſſe genus mendacii proximum, ſine tamen differentia, quæ generi demum adjicienda eſt: quemadmodum animal notio communis hominis eſt, ſpecialis verò differentia rationalitas. Et ſine dubio Grotius ita cenſuit; Conſiſtere quidem generaliter mendacium in eo, ut, quod dicitur, ſcribitur, notatur, innuitur, intelligi aliter nequeat quàm in eum ſenſum, qui à mente proferentis diſcrepet. Verùm non omne, quod taliter dicitur, ſcribitur, &c. mendacium eſſe, ſed ita ſolùm, cùm accedit repugnantia cum jure exiſtente ac manente ejus, ad quem ſermo aut nota dirigitur, quemadmodū non omne animal homo eſt, ſed nō niſi rationale.

Judicandi libertas.] Quid sit formale mendacii, in eo authores multùm differunt. Quidam in solo falsiloquio ponunt, quos rectè refutat Praschius, quoniam ea, quæ dicuntur, ut falsa, nihil sunt, ut voces verò, bonæ etiam. Ergo magis animus quàm verba spectari debent, ubique enim animus distinguit delicta. Ipse Praschius collocat *in falsiloquio ad pernitiem alterius contra jura socialia.* Non malè sanè, nec inde ipsum Grotium longè abire arbitror, licèt verba ejus paulò obscuriora sint, quæ sic explicari debent. Judicandi libertas, quæ deberi dicitur ei, quocum colloquimur, in eo solo consistere videtur, ut per nos ei integrum esse possit, non solùm verba nostra, sed & mentem, quam verba exprimunt, intelligere, nam hoc natura & ratio colloquii exigit, & loquela homini non in id tantùm data est, ut audiamur, sed potissimùm, ut intelligamur, nobis invicem exponendo, in quo mutuo auxilio, ad quod naturâ creati sumus, nos juvare possimus: Tollit autem jus hoc intelligendi, qui verba à mente discrepantia loquitur, non enim declarat, quid sibi velit; Quare erit formale mendacii repugnantia cum libertate judicandi. Ut verò tollatur libertas judicii, ea præsens esse oportet. Igitur quando non adest, falsum eloqui etiam sine mendacio possumus, quod contingit, vel quando ejus, ad quem verba facimus, nihil interest, sciat mentem nostram nec ne: vel quando ejus multum refert, ut pro nunc nesciat: itemque cùm superiori jure sublata est, ac aliis casibus, de quibus Grotius deinde agit. Consequitur hinc, non aliter videri præsentem esse liberta-

bertatem judicandi, quàm cùm damnum & præjudicium aliquod illius impedimento infertur, & propterea Grotius cum Praschio in forma mendacii constituenda ferè concurrit. Potest tamen aliquid in detrimentum alterius vergere, non solùm primariò, sed & per consequentiam & quasi tacitè, quod & hîc attendendum esse autumo. Verbi gratiâ, qui gemmam in annulo falsam probam dicit, quamvis non vendendi consilio, mentiri mihi videtur, quia fortè alter emendi animo quæsivit, nec se tamen satis adhuc explicuit, sic ut per errorem illum facilè damnum incurrere queat: Et profectò sine vitio & arrogantia quadam inani bonum pro falso venditare non licet. Quare & illud vix est ut feram, mendacium, quod non hominem offendit, id nec offendere Deum. Quia ipse Praschius gemmam falsam sub jurejurando veram non decere dicere contendit. At in eo solus offenditur Deus. Dabitur igitur mendacium, juratum scilicet, quo non homo, sed Deus offenditur. Quemadmodum & illud non satis accuratè dictum puto, si res per se non sit mala, nec consilio accedente malam esse: sicut prandere. Sublatio enim manus per se mala res non est. At qui voluntate & consilio in cædem alterius, vel ad furtum manum protendit, eum peccare, nemo tam fatuus est, qui non videat.

Jus ejus sit.] Igitur si nihil attinet scire eum, cum quo sermocinamur, jus ejus lædi nequit, & per consequens nec mendacium committi.

§. 13. *Etiamsi tertius.]* Ratio, quia libertas judicandi inter solos colloquentes est, tertium non concernit.

Digitized by Google

Nulla est ad eum obligatio.] Hæc enim ex actu colloquii competere incipit: & licèt Praschius putet, esse obligationem ex caritate & humanitate, id tamen ad mendacium nihil facit, quia multa ex caritate vel humanitate debemus, quæ illum, qui secus agit, mendacii non convincunt.

Qui sociis.] Scilicet quod hostes attinet. Sociis verò mentitus videtur, nisi fortè eum absolvat, quod Grotius §. 14. tradit.

§. 14. *Id est injuriosum.*] Vel ex his verbis constat, injuriam Grotium ad formale mendacii requirere.

Aut in prælio periclitanti.] Quò referendum est, quando Imperatores militibus hostium numerum vero minorem dixerunt, ut ipsis magis cresceret audacia.

§. 15. *In Josepho.*] Exemplum hoc non adeò quadrat. Primò enim jus supereminens non nisi in subditos exerceri potest. Fratres verò Josephi extranei erant, Regi Ægyptiæ non subjecti. Quare nec exercitium juris superioris in illos Josepho competiit. Deinde, ut ipse Grotius ait, jus supereminens bono publico destinatum est: Nulla autem utilitas ad Remp. redundavit, ne minima quidem, cùm Josephus in fratres suos ficta & mentita iracundia detonaret, qui cum illis hanc fabulam adornavit, tum ut eos somnii quondam sui & cogitati fratricidii memores faceret; tum etiam, ut hac occasione fratrem suum minimum ad se in regnum pertraheret. Magis igitur est, ut ex §. *14.* hoc Josephi factum defendamus.

§. 16.

§. 16. *Quintum.*] Hoc fundamentum habet in oppositione juris alterius, quod communi omnium judicio multò plus valet. Et quoniam nihil cujusquam interest feciſſe ſcelus, ideò nec judicandi libertas in eo lædi poteſt.

§. 17. *Apud hoſtem falſo ſermone uti licere.*] Quoniam hoſti mendacio injuriam nullam inferimus, privando eum re, quâ præter æquum abundat. *Praſchius de Mendacio.*

§. 21. *Quicquid alicui facere non licet.*] Scilicet, ſi res ſit ſuâ naturâ & per ſe turpis. Generaliter enim hoc verum non eſt, quia ſubditorum nulli licet bellum gerere, licet verò Imperanti ſubditum ad militiam cogere.

Oppida ſine conſilio publico dedere.] Conſuetudine tamen ferè inter omnes gentes receptum eſt, ut, cùm urbs aliqua obſidetur, cives jubeantur facere deditionem, quamvis Princeps in ea urbe non ſit, nec tutò conſuli poſſit. Et ſanè præſumendum eſt civibus vel præfecto urbis ab eo, qui ſummum imperium habet, tutelam quidem & defenſionem oppidi ita commendatam eſſe, ut pro viribus hoſti reſiſtat: hanc tamen ſimul tacitam conditionem additam, ut poſſit urbem tradere, ſi eam defendere ampliùs non poteſt: quia ad defenſionem non everſionem fidei Præfecti commiſſa eſt: nec imperium Principis adeò cives obligare poſſe exiſtimo, ut in manifeſto & certiſſimo excidio mori potiùs perdurent, quàm urbem dedere: Nulla æquitas huic imperio adeſt, quod ſubditorum bono, non cum internecione exerceri debet. Verùm Grotius loqui videtur de proditore ſingulari & privato,

quem ad urbem aliquam nobis dedendam rectè non licet impellere, ne pecuniis quidem & promissis. Multò minùs minis & facti atrocitate.

CAPUT II.

QUOMODO JURE GENTIUM BONA SUBDITORUM PRO DEBITO IMPERANTIUM OBLIGENTUR. UBI DE REPRESSALIIS.

§. 1.

Mero naturæ jure.] Verum hoc esse de naturæ jure, facilè concedo, si illud non de præcipiente, sed permittente intelligit. Nam quod verè jure naturæ præcipitur vel vetatur, id alio jure licitum aut illicitum fieri nequit: & quod à superiori definitum est, inferiorum mutationi non subjacet. Potiùs igitur naturaliter, quàm ex naturæ jure præceptivo neminem ex facto alterius teneri dicendum est. Id quod tamen sic explicandum esse censeo, ut notabili restrictione ad personas eas non extendatur, quæ vel à debitore causam habent, vel debito ipso connexæ sunt. Causam habere à debitore dicitur bonorum successor, in quem onera cum emolumento simul transeunt, non quasi hoc ita demum placuerit, cùm à rerum universali communione discessum est, & dominia introducta sunt, quia talem communionem nunquam fuisse, satis, ut arbitror, ad *l. 2. c. 2.* probavi. Sed quòd res ipsæ onere affectæ illud ad quemcunque possessorem transmit-

tan

tant, & aditio hæreditatis talis actus sit, quo hæres, ut omnia debita defuncti activa sibi applicat, ita quoque ad passiva se obstrinxisse tacito pacto videtur, ne contra naturalem rationem in actu uno eodemque declinet incommoda, commodis & emolumentis susceptis. Verùm hæc quæstio, in quantum successor teneatur, à nobis ad *l. 2. c. 14.* sufficienter tractata est. Nunc de ea videndum; quomodo personæ teneantur, quæ debito connexæ sunt. Connexæ autem mihi putantur, quando sunt in patrimonio debitoris. Quicquid enim hac ratione ad debitorem pertinet, id omne pro debito obligatum est, atque hæc est præcipua ratio, cur contra Grotium subditos non tantùm jure gentium voluntario, i. e. eo, quod per consuetudinē & morem inter multos populos longè usu receptum est, sed etiam vero & ex ipsa rei natura pro Principis nominibus obligatos esse censeam. Atque hoc primò requirit ipsa imperii, cui subditi subsunt, indoles & efficacia. Ad omnia cives ab Imperante obligari possunt, quæ naturaliter turpia & illicita non sunt, quia voluntati superioris parentium voluntates & actiones passivè & in vicem instrumenti subsunt, idque ex civili illo ordine, quo alii aliis subordinantur. Ordinis natura cujusque hæc est, ut ab uno principio ordinante cætera omnia dependeant, quemadmodum in horologio vel alio quodam artificio automato ab uno movente totius corporis procedit motio. Quoniam autem sub imperio summo pro materiæ diversitate omnia in civitate sunt vel ratione dominii vel imperii: Et quidem dominii ratione res irrationales sive animales

sive non; Imperii verò soli homines; quod modum quidem regiminis attinet, eum hinc & illinc alium deprehendimus; efficaciam obligationis boni publici causâ utrobique eandem. Nec minùs licet imperanti subditis ad salutem Reip. uti, quàm aliis rebus. Omnia sub una majestate comprehenduntur, & imperium atque dominium diversis nominibus pro objecti diversitate unam eandemque rem, summam sc. Principis potestatem denotat. Quare sicut res sunt in patrimonio Imperantis, ita quoque subditi; & sicut res pro debito domini tenentur, non diversa ratione etiam cives: id quod exemplo minorum societatum, à quibus ad hanc perfectissimam in hoc argumento rectè collectio datur, ostendere possumus. In familia servus pro debitis domini obligatus est, adeò ut cum omni suo peculio in executionem ad satisfaciendum creditori domini sui trahatur. Nec id solùm extra civitatem, sed & in illa, ubi servus vendi vel creditori in solutum dari rectè potest. Si quæ olim familiæ eminentiori alicui imperio non subfuerunt, in filiisf. idem juris procul dubio illis erat, & mansere jure civili ejus quædam reliquia, quando in necessitatis extremæ casu concessa est parentibus facultas vendendi vel oppignorandi liberos. Marito quidem in personam uxoris ex speciali ratione, quâ uxoris individuus vitæ comes esse jubetur, idem non licet, res tamen uxoreæ non minùs quàm aliæ in familia pro debito obligatæ sunt. Et hæc est præcipua ratio ex natura imperii & ordine civili deducta. Alia sumitur à tacito parentium consensu. Cùm primùm in societatem coitum &

Civi-

Civitas ordine eorum, qui imperare atque parere debent, constituta est, creduntur subditi eo ipso, quo Principi jus cœtum regendi concesserunt, simul ea omnia concessisse, sine quo civile illud regimen expedire nequit. Qui enim finem dat, eum & media dare necessum est. Promovendæ autem Reip. saluti non utile solùm, sed & perquam opus erat, ut quicquid egisset imperans, modò non in manifestissimam omnium injuriam cederet, id censeatur ex voluntate etiam subditorum egisse, idque eos teneri omninò approbare & ratum habere. Quod si secus foret, & talis facultas obligandi subditos actibus & voluntati Imperantis summo imperio non cohæreret, sed unicuique integrum esset, acta publica suo dissensu dissolvere, jam non Resp. non ordinata civitas, sed confusa quædam multitudo piraticæ consociationi pejor, quæ saltem inter se jus & æquum servat, vocari rectè posset; quare ex fine & intentione universæ Civitatis firmissimè tacita se obligandi ad ea, quæ superior Civitatis nomine egerit, colligitur voluntas. Atque nunc satis constare arbitror, ex facto imperantis teneri subditum: quo concesso minor difficultas erit de obligatione rerum, quæ subditi sunt; neque enim accessorium meliori conditione utitur quàm principale, & hoc universaliissimum esse videmus, ut res debitoris nomine teneantur, & in illas executio fiat. Propter res enim ferè semper obligamur, quamvis obligatio personalis sit: Nec obstant tituli in Romano jure, ne uxor pro marito, filius pro patre &c. quia quod jure civili constitutum est, nihil derogat ei, quod naturaliter se

alio

alio modo habet, nisi in quantum legis vigor pertingit. Quamvis & jure civili Proconsul pro uxore teneatur, *l. 4. §. 2. ff. de offic. Procons.* & res dotales obligatæ pro marito sint ex causa principi paris administrationis, *l. 4. C. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contr.* Illud monendum duxi, non quemadmodum subditus pro imperante obligatur, ita obligari etiam imperantem pro subdito, nisi quatenus bona ipsius subditi sufficiunt. Quia nec Dominus tenetur de actibus servi aliter, quàm de peculio vel in rem verso: Non habet civis imperium, quod obligare imperantem posset, nec etiam finis societatis tacitum quendam consensum elicit, quæ omnia in Principe adsunt, ut reciprocæ diversitatis ratio nemini mira esse debeat.

Nec quod universitas debet, debent singuli.] Omninò etiam singuli in subsidium tenentur. Ex singulis enim constat universitas.

§. 2. *Jure tamen gentium voluntario.]* Non solùm hoc, sed & vero jure gentium: ut diximus. Non enim iniquum est, debita, quæ Princeps reddere non vult, exigere à subditis, qui pro Principe tenentur: Et in eo sanè gentium tranquillitas ex parte sita est, ne semper ad bellum, rem admodùm odiosam, deveniendum sit: Subditi etiam, qui propter Principem damnum passi sunt, compensationem à Rep. rectè petere possunt.

Usu exigente.] Sc. ex communi gentium ratione & necessaria connexione juris, quo gentes sibi invicem colligatæ sunt.

§. 4. *Jus repressaliarum.]* Has juri naturali

rali non adversari, multis probat *Limn. de Jur publ. l. 4. c. 8. n. 313. &c.*

§. 5. *In re minimè dubia.*] Dubitat hic Dn. Zieglerus ex eo, quòd *etiam apud exteros authoritatem rei judicatæ observari debere* putet *propter tacitam conventionem litigantium, qui in judicio quasi contraxerunt.* Quicquid sit, rectiùs videtur sentire Grotius; In eos enim, qui superiorem non agnoscunt, maxima rei judicatæ efficacia deficit, quæ consistit in dominio eminente, cujus vigore possessori etiam justo ob bonum publicum res aufertur, idque in auctoritatem judiciorum. Non solus litigantium consensus hanc firmitatem inducit, aliàs enim appellare consentientibus in judicem non liceret. Ergo ubi appellato deficit, ea non propterea deficit, & res judicata firmitatem nanciscitur, quòd litigantes in judicem consensere, sed quoniam superior, qui appellari posset, non est. Subdito verò non licet se ipsum vindicare. Quod si subditus non sit, ab apertè injusta sententia discedere potest: consensit enim in jus, non injuriam manifestam.

Per judicium.] Quare rationis est, ut si inferior judex justitiam denegaverit, superior adeundus sit, antequam repressaliæ decernantur: quia quamdiu per judicium jus consequi possumus, repressaliis abstinendum est, sicut & bellum non licet gerere, cùm spes est jure impetratum iri, quod nobis debetur.

CAPUT

CAPUT. III.

DE BELLO JUSTO SIVE SOLENNI JURE GENTIUM, UBI DE INDICTIONE.

§. 2.

Hi criminis causâ sociantur.] Et hæc est formalis differentia, quâ prædones à gente & Rep. discriminantur. Neque in multitudine cœtus, neque potentia & viribus, latrones à civitate differunt, quos multas civitates evertisse, imò cum potentissimis populis, ut Romano, atrocissima bella gessisse novimus. Pompejus non inter minimas res suas gestas retulit, piratas debellasse, neque parum momenti hæc victoria ad honorabile Magni elogium attulit, quâ se Alexandro M. adæquasse visus est. Quamobrem solus finis est, qui cœtum piratarum à civili dissociat. Justitiæ fruendæ causâ bene moratos olim Reges constitutos Cicero author est. Quæcunque igitur societas juris fruendi causa constituitur, Civitas est, Resp. est: qui in scelera & aliorum pernitiem conspirant, Prædones audiunt.

§. 6. *Aut vis illata arcetur, &c.*] Insufficiens est hæc belli causarum enumeratio. Omittit enim persecutionem ejus, quod nobis debetur vel nostrum est: *vid. l. 2. c. 1. thes. 2.* Verùm Grotius hanc in verbis subsequentibus tractat: ut totam hanc quæstionem ex jure naturæ hac distinctione videatur explicare. Aut ejus, cum quo bellum gerendum est, nihil refert, id priùs indi-

indici: aut maximè etiam justa de causa interest. Priori casu denunciatio non requiritur. Posteriori omninò. Nihil autem refert, vel quando bellum geritur defensivum, quia hostis bellum nobis faciendo id ipsum sibi satis denunciat, dum facilè augurari potest, naturale defensionis beneficium alteram partem non esse omissuram. Vel quando populus injustus aut impius puniendus est. Ratio, quia denunciationes pleræque, & de quibus hîc sermo est, conditionatæ sunt, nisi is, cui denunciatum, jus reddiderit. Sed in pœnis exigendis ista conditio subesse nequit, & puniendus ipsâ pœnâ, non alia re, nobis satisfacit, mensque criminum conscia ei vindictam quotidie indicit ac denunciat. Vel denique cùm rem nostram recuperamus: quod enim nostrum est, ejus quovis tempore & loco licita est manus injectio. Adderem tamen huic ut & proximè præcedenti casui hanc limitationem, si res, nisi cum cæde impromiscua aliorum, itemque rerum vastatione recuperari non possit, denunciatione in id opus esse, si non ex justitia, saltem caritate & officio Christiano, ut priùs nobis constare certò possit, omnia tentata esse, nec tamè lenioribus modis jus nostrũ nos potuisse consequi: Tum etiam, ut aliis hac indictione innotescat de justitia nostrę causæ, qui facilè sequius judiciũ formare possent, si continuò nec tentatâ juris viâ provolemus ad arma. Refert verò ejus, quo cum bellum habendum est, ut fiat denunciatio, quando lis oritur non de eo, quod nostrum est, sed quod nobis debetur. Quemadmodum enim civilis quivis debitor non priùs tenetur solvere debitum, quàm à creditore inter-

interpellatus fuerit. Ita quoque Princeps id bello publico justè persequi non potest, quod obligatione personali debitum est, debitori verò denunciatio solutionis nunquam facta: Nihil habet creditor, in quo se læsum esse ab alio ostendere possit, qui nihil adhuc à debitore petiit. Denunciatio itaque præcedere debet, ut certum sit, necessaria esse arma, quæ contumax adversarii injustitia induere coëgit. Idem juris est, si res alia pro nostra, aut res subditorum Principis debitoris auferendæ sint: ut rectissimè Grotius declarat.

§. 8. *Apud Romanos.*] Quod tamen Romani non semper strictè observasse notamus. Quintus Fabius legatus ad Carthaginenses scisitatum missus, publicóne consilio Annibal Saguntum expugnasset, sinu ex toga facto & effuso bellum indixit: *Liv. l. 21. c. 18.*

§. 9. *Simul indictum censetur.*] Apud majores nostros Germanos, quibus diffidatio privata in usu erat, moris fuit, ut omnibus hostis mei assecliis aut amici mei hostibus specialis fieret denunciatio, quibus quælibet pars honorem sibi servabat integrum. Cui licentiæ in nervum Reip. sæpiùs erumpenti cum summa utilitate tempore Maximiliani l. per pacem publicam universalem obviam itum est.

§. 12. *Sed ex una duntaxat parte.*] Servi habentur ab iis, qui capiunt, non unde capiuntur, & ideo eis postliminio opus non est, qui in civitatem reversi nunquam servi fuisse putantur. Qui autem in bello solenni & jure gentium justo capiuntur, ab utraque parte habentur pro servis.

Sui tuendi.] Potest populus defensionem in

conti-

continenti opponere, & nihilominus deinde indicendi causâ fecialem mittere rogatum, primò, publico an privato consilio bello petitus sit. Et si publico, ut bellum denunciet. Qua denunciatione facta etiam actus ante illam exerciti quasi retrahuntur ad illos speciales belli jure gentium justi effectus: Quomodo Romanus populus in bello Punico II. quamvis ab Annibale in expugnatione Sagunti satis oppugnatus esset, tamen *ut omnia justa ante bellum fierent, legatos in Africam misit ad percunctandos Carthaginenses, publicone consilio Annibal Saguntum oppugnasset: & si, quod facturi videbantur, fatererentur, ac defenderent publico consilio factum, ut indicerent populo Carthaginensi bellum.* (a)

CAPUT IV.

DE JURE INTERFICIENDI HOSTES IN BELLO SOLENNI ET ALIA VI IN CORPUS.

§. 2.

R*Epetere quoq; nuptias.*] Secundæ nuptiæ apud multos etiam Patres Christianæ Ecclesiæ malè audiebant, adeò ut *Tertullianus in libro de Exhortat. Castit.* secundum matrimonium quasi speciem stupri appellet. Rigidè nimis profectò, cùm ipse Christus permittat post mortem conjugis vel divortium adulterii causâ factum denuò nubere: Itaque rectè Grotius licere repetere secundas nuptias ad illud licere retulit, quod

(a) Liv. l. 21. c. 18.

ex omni parte pium & bonum est. Nec audio Joh. Chrysostomum, qui *Homil. 7. in 2. ad Timoth.* ita colligit. Si non nubere omninò melius est, quàm nubere, melius quoque erit semel tantùm quàm sæpius nupsisse: Prius enim simpliciter verum non est. Quare regula potiùs inverti debet: melius esse nubere, quàm non nubere: ratio est, quia melius illud putandum, ad quod homo à Deo creatus est. Creatus autem est ad se multiplicandum, non vivendum in castitate continua. Melius ergo erit hoc illud: imò si homini non bonum est, ut solus sit, melius sanè ei erit, si fuerit cum socia, quam ipsi Deus in matrimonium dedit. Et non dubito, quin Adamus gravissimè peccasset in Deum, si perpetuam voluisset continentiam vovere. Dabuntur tamen certi casus ex conditione personæ plerique petiti, quibus melius est non nubere, quàm nubere, sed propter hos generalem regulam facere non convenit. Quando autem semel nubere licet, nihil causæ est, cur non liceat repetere nuptias: nec sacris literis convenire, sed contra matrimonii sanctitatem dictum arbitror, quod à Gregorio Nazianzeno scriptum est; esse τὸ πρῶτον συναλλάττον νόμον, τὸ δεύτερον συγχώρησιν. τὸ πρῶτον σωφροσύνην. ὁ δὲ ὑπὲρ τοῦτο χοιρώδη. Sed hæc talia Theologi latiùs persequuntur. Nos obiter hîc & per transversum.

Non quod salva pietate.] Hoc sensu fortè accipiendum est, quod *in l. 9. §. 7. ff. de Pecul.* legimus, *licere etiam servis naturaliter in suum corpus sævire.* Ubi Gothofredus vocabulum *licet* explicat, quod diligentia domini vix id prohiberi vel impe-

impediri queat. Et vocem naturaliter non refert ad *licere*, quasi naturaliter liceat: sed sævire. Quod is sæviat naturaliter, qui in corpus suum sævit.

§. 3. *Ob eam causam nec puniri possit.]* Is tamen qui in justo bello alterum lædit, læso non tantùm ad satisfactionem, sed & pœnam tenetur. Imò quoniam jus gentium commune bellum edicit contra eum, qui injustis armis utitur, vix est, ut talem à pœna securitatem quis sibi promittere possit. Reciperem itaque Grotii sententiam eo casu, cùm dubium est, à cujus parte justitia causæ stat, vel saltem cùm bellum non manifestò injustum geritur.

§. 10. *Nec ullo tempore.]* Immo verò quàm primùm rebus nostris captivos adhibemus, & eisdem pro servis utimur, videmur ipsis tacitè vitam condonasse hac sub conditione, ut, quamdiu vixerint, fidelia nobis & prompta servitia exhibeant, aliisque omnibus in actionibus se voluntati nostræ obsequiosè conforment: Hinc servos à servando dictos esse, JCti tradidere, quòd cùm eos jure belli occidere licuit, bono nostro servati sint. Quamobrem cùm semel bello captos in servos recipimus, servare eos debemus, non occidere, quia qui vitam alicui semel condonavit, cùm adimere posset, eum nisi ex nova superveniente causa occidere nequit. Omnia alia in servum licent, quæ in cæteras res familiares; vendi potest, potest cuilibet adhiberi servitio, quicquid acquirit, domino acquirit &c. occidi ampliùs non potest, nisi cùm mortem denuò meruit: Non opus est, ut hoc externum gentium jus suo more per se satis aspe-

rum & crudele inofficiosa extensione juvemus, omnes enim authores, quos hîc allegat Grotius, intelligi commodè possunt de captivis, qui nostro servitio nondum adscripti sunt, & proinde nullam vitæ servatæ nec expressam nec tacitam promissionem à victore accepere. Hoc enim concedimus, non eo solo, quo quis capitur, ipsi & vitam donatam censeri, cùm & in id capi posset, ut securiùs occideretur.

§. 13. *Pertinax verò studium.]* Illud tamen hodie inter Christianos Principes, qui bellum habent, observatur, ut milites supplicio dignos censeant, cùm numero minores & in locis apertis aut admodùm debilibus advenienti hosti continuò cedere nolunt, in quibus tamen nulla rationabilis æstimatio defensionis sit. Unde apud Thuanum non uno loco leges præsidiarios in furcam actos, quòd tali in loco se defendere ausi fuerint, qui nullo modo idoneus erat, ut ex eo hosti deditionem petenti resisteretur.

§. 18. *Neq; tantùm, qui hæc faciunt.]* Videbis tamen neque hoc Historicos quosdam sine omni reprehensione dimisisse. Guicciardinus *libro Histor. 12.* narrat, milites quosdam Hispannos jussu Imperatorum suorum adornatos esse, ut simulatâ in Paduam, Urbem Venetorum, qui tum hostes Hispanorum erant, fugâ, si tanquam transfugæ reciperentur, captatâ occasione occiderent Alvianum Urbi præfectum; qua ratione confidebant Hispanni, urbem subita tanti Ducis cæde tumultuantem improviso hostis adventu ca-

ptu

ptum iri. Quo de stratagemate hoc est Historici judicium. *Tanto sono dissimili i modi della militia presente dalla virtù degli antichi, i quali non che subornassero i percassori, rivelevano al nimico, se al cuna sceleratezza si trattava contra lui. confidandosi di poterlo vincere con la virtù.* I. e. *In tantum præsens militia ab antiqua differt. Veteres enim tantū abest ut subornaverint percussores, quin potiùs aperuerint hosti, si scelus aliquod contra ipsum tuderetur: sperantes, victoriam virtute haberi posse.*

Sed & qui eorum opera utuntur.] Secundùm ea, quæ Grotius *l. 3. c. 1. thes. 21. & 22.* tradidit, adhibenda est hæc distinctio. Ut percussorē ad facinus impellere vel vocare non liceat; liceat autem ejus opera sponte oblata uti, quomodo & Deus opera malorum hominum utitur: ac in §. 22. expressè dixit, hoc contra jus gentium non esse, quo jure & transfugam recipimus. Nescio itaque, an Grotius hsc ex omni parte sibi conveniat. In nostra enim *thes. 18. h. c. 4.* indistinctè actum damnat: addito, quamvis jus gentium permittat malorum opera uti: tamen intra jus interficiendi constitisse hanc consuetudinem, ne pericula nimis intenderentur. *In capitis 1. §. ult.* expressè licitum esse asserit subditi alieni opera sponte oblata ad interficiendum Regem uti. Idque adeò, ut ibi licitum non tantùm pro eo, quod indemnitatem pollicetur solam, sed & quod omni vitio caret, accipere videatur.

§. 19. *Neq; ad securitatem pertineat, neq; ad pœnam.*] Jus gentium illud externum, quamquam permittit, quæ per se illicita sunt, ratio-

nem tamen semper vel ad pœnam habet vel satisfactionem, quam bello quærimus. Ideoque qui se justæ petitioni aut juris executioni opponunt, digni sunt, qui moriantur; excessus deinde est, quòd & ad insontes usque supplicium perveniat. Sic res trahere, rapere licèt, donec tibi de damno vel injuria satisfactum sit. Excessus est, cùm jure gentium etiam plus capere possumus. Ubicunque autem nec persecutio juris, nec pœna, nec securitas primariò intenditur, actus etiam jure gentium illicitus est: nec potest excessus dari, ubi ipsa regula deficit.

CAPUT V.

DE REBUS VASTANDIS ERIPIENDISQUE.

§. 2.

Non eripiuntur humanis usibus.] Quando Res sacræ, sanctæ & religiosæ nullius esse dicuntur, de privatis intelligendum est, non Rep. Idque Grotius hîc multis & egregiis rationibus probat, pertinuisse res sacras ad Remp. quibus unicus adhuc arguendi modus addi potest, ex sacro nimirum Codice, ubi quondam Reges non adeò malos sacros templi Dei thesauros etiam in gentiles alienasse, idque sine reprehensione fecisse legimus. Sic Joel Hasaeli, Syriæ Regi, tributi aut muneris nomine dedit, quicquid pretiosi in sacra supellectile habuit. Quemadmodum & Hiskia placando Regi Assyriorum transmisit non regia tantùm, sed & consecrata

bona.

bona. Non putandum est optimos Reges sacros thesauros fuisse contrectaturos, si eorum arbitrio & potestati exemptos agnovissent. Nec sanè Hiskiam desiisset Propheta peccati aut erroris admonere, ut supplex culpæ veniam à Deo peteret; Jure igitur suo usi sunt, & quod privatorum commerciis exemptum est, non etiam extra Reip. jus positum censetur. Nam & Imperatores Christiani potestatem suam in sacra donaria satis declaravere, cùm ea certis casibus alienationi subjiciunt. *l. 21. C. de S. S. Eccles.* Sacrilegium esset per mittere aliis, quæ tua non sunt: & necessitas occasionem ad alienandum dat, jus, quod non est, non constituit. Nulla necessitas hominem excusat, qui Deo maledicit. Trinitatem abnegat, fidem salvificam ejurat, adulterium committit, &c. quoniam hæc talia per se mala sunt: non ita etiam alienatio rerum Deo dicatarum. Manent hæ Reip. & in Rep. & ad usus sacros cultumque divinum destinantur, quare ne promiscua aliorum contrectatione profanentur, ratio & religionis decor postulat: ut permaneat Principis civilis ordo.

§. 4. *Imò alienæ perfidiæ incitationem.*] Ne Grotius hîc sibi ipsi obstet, qui in *c. præc.* §. 15. expressè negavit aliena perfidia ad percussorem immittendum uti licere, accipiendus est de perfidia, quæ intra jus interficiendi constat: i. e. minore aliquo & frequentiori delicto.

Digitized by Google

CAPUT. VI.

DE JURE ACQUIRENDI IN BELLO.

§. 3.

CUm in navalia aut portus.] Ita quidem Grotius ex sua hypothesi, quasi mare suâ naturâ omnis incapax occupationis sit. Nos, qui illùd occupari posse veriùs asseruimus, arbitramur, rem hosti ereptam fieri capientium, cùm inter eos terminos recepta est, qui latitudinem imperii in mare circumscribunt.

Recentori jure.] Ita obtinuit apud Batavos, cùm Grotius hæc scriberet. Quod postea iterum paulò mutatum est, & navis ab hostibus recuperata cum bonis omnibus, quæ in ea sunt, pro bessè indistinctè ejus esse jussa, qui illam receperat, sive viginti quatuor horarum spaciis vel plus aut minus in potestate hostium fuerit, dum tamen intra hostium præsidia nondum perducta est. *Dn. Ziegl. h.*

§. 5. *Liquet & hoc.]* Quærere hîc posset quis, quæ ratio diversitatis sit, cur indicto Reip. bello non solùm Cives & subditi, sed & alii, etiam peregrini, qui ibi morantur, vel bello incepto adveniunt, hostium numero habeantur, secundùm ea, quæ Grotius *c. 4. n. 6. & 7.* exposuit. Res verò aliorum apud hostes inventæ non cedant in prædam, nec earum jure belli acquiratur dominium? Zieglerus, qui hæc examinat, sibi ipsi satisfacere non potest, nam & rebus non minùs

nùs animos hostium meorum augeri posse putat, quàm à personis damnum metui; Crediderim ego inde fieri, quoniam res prædæ loco jure gentium non habetur, nisi fuerit hostium. Sunt enim res accessorium personæ, & censentur ex conditione sui principalis. Sed dominus rerum non apud hostes & exinde nec hostium loco est: nam jure belli advena tum demum pro hoste habetur, quando apud hostes meos est. Quare res quoque ejus acquiri per bellum vel diripi non possunt, si internoscantur. Cui consequens est, quando dominus rerum in Civitate vivit, cum qua bellum est, & res, si quas habet, in prædam jure gentium venire.

§. 7. *Et bello amiserant.*] Notanter hæc verba à Grotio adjecta sunt. Nam si hostes res illas, quas eis deinde ego eripui, alio modo injusto, quem jus gentium non defendit, v. gr. furto vel rapina ceperint, ego me à Domino priore vindicante quod suum est, jure gentium tueri nequeo, quòd plus juris in me transferre non potuit, quàm ille habuit, à quo ego causam meam habeo: Huic autem jus gentium ex furto dominium non adjecit, ergo nec mihi hoc tribuere potest, licèt justo bello ceperim: illæ enim res jure gentium acquiruntur, quæ hostium sunt: Hæ itaque censebuntur eo jure, ac si essent aliorum apud hostes deprehensæ. Sicut & revera aliorum sunt, nec furto aut rapinâ quisquam sibi dominium rei alterius comparare potest.

§. 13. *Ante omnem ea de re legem civilem.*] Non possum hîc cum Grotio facere, & distinctio illa actuum publicorum & privatorum in bello

oppidò mihi perquàm suspecta est, quin omninò ruinosa videtur. Bellum enim, de quo hîc loquimur, justum, solemne & publicum est, publica authoritate susceptum indictumque, cui gerendo milites tanquam idonea adhibentur instrumenta. Hi quicquid in bello agunt, jussu publico agunt, privatos actus, qui quidem aliquem effectum juris habent, nullos agnosco. Egrediuntur limites officii, si quid suo arbitrio facere volunt, nec beneficio sed pœna digni sunt. Quòd hostem ubique offendere, ejus res rapere, trahere licet privatis etiam, id ab authoritate & concessione Reip. descendit: Hæc quàm primùm bellum hosti indixit, omnibus civibus hostiliter agendi facultatem dat, qui publico deinde non suo nomine acquirunt, quæcunque capiunt. Utcunque miles aliquid non in procinctu, sed jure promiscuo aut procul ab exercitu facit, semper meminisse debet, se in publico esse ministerio, & Principi stipendio operam suam addixisse, eidemque per se omnia acquiri. Si placuit gentibus, ut res hostium hostibus non essent alio loco, quàm sunt res nullius, sequitur, quòd miles, qui privatum actum exercet, non possit eas acquirere, quia res hostium hostibus, ut hostibus, non ut privatis sunt nullius: Est verò miles hostis non privato, sed publico nomine, nec sibi, sed Reip. militat; quo simul conficitur, non sibi, sed Reip. acquirere. Hoc certum est, nisi Resp. bellum haberet, jus privato ad res alienas nullum esse. Si quod igitur est, non tam suum est, quàm Reip. quod per eum exercetur. Quare fieri non potest, ut privatum aliquem actum miles in bello habeat, quia illicitus

tus ſtatim omnis ſit, qui conſenſu ſuperioris deſtituitur: Publicus autem continuò vocatur, quem ille conſenſus animat. Exemplo res clarior fiet. Judæo lege civili prohibitum eſt emere mancipium Chriſtianum: Quod ſi autem eſſet Procurator Chriſtiani alicujus, & ab eo juberetur ſibi, i. e. Chriſtiano, emere mancipium, facere eum hoc poſſe non dubito. Sed quando mancipio Chriſtiano empto illud ſibi habere vult, actus ſine dubio nullus eſt, quia perſona emptoris incapax eſt juris poſſidendi tale mancipium. Eodem modo miles, qui per ſe jus belligerendi & ex eo acquirendi non habet, quodcunque ſuo nomine & privatim facit, invalidum eſt: publico autem nomine, quo ſolo reſpectu rectè miles eſt, non ſibi acquirit, ſed ei, à quo eſt adſcriptus militiæ. Gerit enim hoc modo inſtrumenti vicem, quo alii utuntur ſuo compendio. His rationibus moveor, ut contra Grotium ſic ſtatuam. Jure gentium actum militis non niſi publicum conſiderari, & proinde acquiri Reip. quicquid & ubicunque acquiritur. Neque enim miles minùs eſt miles, qui ad tempus ab exercitu abeſt, quàm qui in procinctu ſtat. Moribus tamen & conſuetudine quarundam Rerump. vel res quasdam vel quosdam modos eas parandi excipi, quibus ex publica conceſſione ſibi acquirere milites poſſunt. Licèt nihilominus, ſi verum loqui amemus, dicendum videatur, duas his caſibus animadverti acquiſitiones, quarum una rem ex hoſte captam ſtatim Reip. facit, & altera deinceps ex liberalitate Reip. ſuam, quæ duæ acquiſitiones, licèt diverſæ ſunt, uno tamen actu bene expediri poſſunt.

Domi-

Dominium singulorum antevertere.] Non opus est hîc speciali lege, ipsa negotii natura, tum & militis conditio & tota belli gerendi ratio, quæ non nisi publica est, omne privatum dominium excludit, & res captas Reip. addicit.

§. 14. *Singuli Reip. personam sustinent.*] Miles sive sit in exercitu, sive non, semper personam Reip. sustinet, à qua jus agendi habet. Extra hunc considerandi modum non miles est stipendio & gloria, sed prædo cruce vel rota dignus.

Nobilium populorum exemplis.] Immeritò hîc culpatur à Dn. Zieglero Grotius, *quòd probationes accersat ex moribus & consuetudinibus gentium: non enim si quid à pluribus gentibus eodem modo observatum fuit, continuò id juris gentium esse.* Verùm agit Grotius hîc de jure gentium externo, quo multi populi tanquam recepto more utuntur, quod sanè probari aliter nisi per plurium populorum exempla non potest: & agit id Grotius diligenter in hoc §. qui nobilissimas Asiæ, Affricæ & Europæ gentes percurrit, & apud eas æquabilem hujus juris observantiam fuisse ostendit.

§. 23. *Ut sua faciant.*] Id quod tamen maximè de rebus mobilibus accipiendum, non territorio aut urbibus, de quibus bellum geritur: Hæc enim illi cedere solent, qui suo nomine suscepit bellum: ut Grotius paulò antè narravit, judicasse Antiochum M. Cœlen Syriam Seleuci factam non Ptolomæi, quòd Seleuci bellum fuisset, cui Ptolomæus navasset operam: nec aliter Romani adjutores Ætolis sibi captivos & res mobiles sumebant, his relictis urbibus & agris. In

subdi-

subditis manifestior adhuc ratio. Quia si eis urbes & ditiones in prædam cederent, periculum esset, ne separatim ibi constituta Rep. à cætero corpore divellerentur, sicut olim Romana plebs relictâ patriâ Vejas migrare authoribus tribunis volebat, cui conatui Patricii acriter restiterunt.

§. 25. *Si modò.]* Hanc restrictionem frustra addi, jam suprà probavimus. Facilè concedimus, vix inveniri populum, qui non militibus concesserit facultatem quædam è rebus hostium certo modo sua faciendi. Sed hæc ex instituto veniunt. Jus gentium autem & sana ratio omnia Reip. adjudicat. Sicut servus & procurator omnia acquirit domino, quæ ex mandato facit, Ita quoque miles, qui nihil in bello facere potest, quod laudem mereatur & juris gentium aliquem effectum habeat, nisi pulica authoritate.

§. 26. *Puta pignoris &c.]* Hæc jura à dominio vero bene distingui possunt. Sic dominus, qui in re sua furtum committere nequit, si pignori datam aut usufructuariam surripuerit, tenetur furti, nec putatur rei suæ furtum fecisse, sed juris illius in re, quod possessioni cohæret, & in alio patrimonio est.

Et si contra legem factum sit.] Res igitur nihilominus fit acquirentis: eo modo, quo quis captura seu venatione in alieno fundo contra prohibitionem domini instituta feram captam suam facit, injuriarum autem domino tenetur, quòd fundum ejus invito proprietario ingressus sit.

De delicto.] Fortè homicidio, aut rapina vel

vel violentia. Cum quo semper concurrere videtur injuria.

§. 27. *Ut in aliis bellis.*] Intelligit bellum civile aut eorum, qui majestate inferius imperium habent; i. e. in gentem nondum coaluere. Quale est bellum patrumf. ut frustranea sit objectio Dn. Ziegleri, qui præsupponit, populum utrumque majestate pollere. eo ipso enim gens est, & jure gentium gaudet.

Vi belli.] Intelligit fortè Grotius solitam & inter gentes receptam bellandi licentiam: Aliàs verum esse non puto, quòd in bello minùs solemni vi belli nihil possit acquiri. Quoniam enim & tale bellum gerere licet, effectum sanè aliquem & vim habere debet, quamvis is non adeò licentiosè extendendus sit: Neque tantùm ad solam debiti compensationem privatum bellum gerere possumus, sed & ad puniendum eum, qui deliquit, ad petendam satisfactionem non tantùm rei, de qua controvertimus, sed & ejus, quod interest & post bellum susceptum accessit. Item de cavendo nobis super offensione vel damno, quam probabiliter timemus. Imò ex omnibus causis, quas Grotius *l. 2.* discussit, exceptis paucissimis, quæ specialiter juris gentium sunt, ut est legatorum & sepulturæ jus; bellum minùs solemne incipere licet, eodem modo, ut sc. effectus quidam jurisg. peculiares sequantur, idque inter gentes, non licet. Concurrere tamen videntur interdum alia quædam capita, quæ belli privati, quamvis id jus gentium destituat, actiones per se non adeò proprias defendant: V. gr. si patrif. cum aliquo populo, qui gens est, bellum sit, ut

fuit

fuit Abrahamo in Regem Babyloniæ & ejus complices. Et gens sub prætextu juris gentium illius externi res & facultates patris indistinctè diripere, familiares trucidare, aliosque excessus facere velit, idem ab adversa parte rectè patitur, imprimis quod res attinet: Non quidem quasi & patrif. jure gentium hæc liceant, sed potiùs ex capite talionis, ut, quod juris in alium Resp. statuerit, eodem ipsa utatur.

CAPUT. VII.

DE JURE IN CAPTIVOS.

§. 3.

Nihil non licere.] Loquitur Grotius de impunitate, non de actu, qui procedit ex justitia. Quando lex civilis verò rigorem in servos, qui ex jure gentium est, temperat, nihil novi constituit, sed id, quod juri naturæ & æquitati convenit. *Dn. Ziegl. h.*

Vitæ necisq; potestatem.] Potest vitæ necisque potestas cum justitia bene consistere, modò in crudelitatem & sævitiam non convertatur. Sic Princeps in suos cives vitæ & necis potestatem habet, nec illum propterea carnificem dicimus. Est illa potestas vitæ & necis, si rectè loqui volumus, justa & legitima, quâ in crimina condignis modis & ex juris justitiæque præscripto animadvertitur: omnem feritatem & injustam vim excludit. Non est potestas, nisi à Deo. Illud vitæ & necis crudele arbitrium in servos etiam obsequiosos & nihil meritos sine fine & modo sæviendi non

à Deo,

Digitized by Google

à Deo, sed potiùs diabolo est. Ergo potestatis nomine non nisi abusivè venit.

§. 5. *Ad natos autem*] Imò vera & naturalis ratio est, quam etiam leges civiles inculcant, quòd ubique partus sequatur conditionem ventris: ut suprà pluribus ostendimus: Nam & qui ex matre cive & patre peregrino nascitur, non communis, sed ei Reip. nascitur, in qua mater est.

§. 6. *In eo eos falli non dubito.*] Dubium mihi ex eo restat, quod per bellum etiam injustum victor imperium in victos & dominium in omne territorium consequi possit. Si verbi causâ Alexander aliquis Macedo ex mera dominandi libidine in transversum abreptus Remp. aliquam vel Regem nulla de causa bello invadat, & in eas redigat angustias, ut spe omni defendendi cœtum abjectâ se arbitrio & potestati victoris permittat, præstantissimi consentiunt Politici, victorem à Deo consequi majestatem, & proinde subditos ad idem obsequium, quod antè pio legitimoque Regi debebant, huic etiam violento invasori teneri. Idq; non solùm extacita subjugatorũ voluntate, qui dominum habere maluisse censentur, quàm bello internecino perire. Quid enim nõ dabit homo, ut vitam servet? sed etiam in pretium servatæ vitæ, quam victor illis, si utique voluisset, potuisset omnib; adimere. Si hoc in populo aliquo vel gente verum est, cur non etiam ad servum bello injusto captum extentendum sit, causam nullam video. Eo ipso enim, quo captivo vitam, quæ suâ in manu erat, misero relinquit, sibi tacitè stipulatur dominium, & ille, qui capitur, pro-

promittit: ut hinc omninò malim cum Dn. Ziegl. facere, qui aliquo religionis vinculo animú & voluntatem servi per actum capturæ & donatæ vitæ enatum constringi arbitratur. Et licèt concedam Grotio, dominium, quod jus gentium, de quo nunc loquimur, introductum cupit, esse externum, nec obligans conscientiam. Non sequitur tamen, nec aliud impedimentum esse posse, quod fugam servo inhibeat. Scrutanda hæc res est, non tam ex justitia causæ, ex qua bellum & captivitas secuta est, quàm dominio victoris, quod in servum competit, & servi obsequio, quod illi dominio correspondet. Postquam omnis Asia ab Alexandri M. felicitate jugum accepit, quamvis id violentum fuerit, & nullo justitiæ velo excusari potuerit, non minùs tamen subditi Macedonum Regi obedire tenebantur, quàm antea Dario, legitimo domino. Non est nec nostri officii nec potestatis in interiora Dei sacraria penetrare scisitatum, cur interdum injustos etiam & Prædones super bonos triumphare sinat, sufficat nobis hoc omni seculo contigisse, nec nostro deesse exempla. De eo certi sumus, quamprimùm alicui imperium in populum incipit competere, causam justitiæ vel injustitiæ, ex qua competere cepit, obsequium subditorum non determinare, sed idem deberi prædoni, quod illi debebatur, qui legitimo per electionem vel successionem modo regnum adeptus est, nam & idem ei imperium à Deo datum est, cui obsequium necessario nexu cohæret: Si causæ justitia concederet imperium vel majestatem, nemo teneretur obsequi, nisi qui justo bello in ditionem & fidem venit. Quo-

niam verò illud à Deo est, quem novimus injustum quoque Dominum tam felici purpura induisse, subditis sanè præter obsequii gloriam nihil relictum est. Quem enim Deus vult alteri dominari, ei etiam vult subesse & obsequi eum, quem divina providentia subditum fecit. Hæc omnia si imperio, quod domino habet, & obsequio, quod servus debet, applicaverim, meâ sententiâ non multum errabo. Nam distinguuntur imperium civile & domesticum non obligationis efficaciâ, sed ordine. Nec majestas in civitate strictiùs stringit civem, quàm dominium herile servum: sed illud saltem hoc dignius atque splendidius, est cui domesticum in una Rep. subordinatur, ad plura in civitate summa evitanda. Ex his dictis breviter ita concludo. Si causæ injustitia non obest, quò minùs Princeps victor in Remp. quam armis suæ potestatis fecit, imperium à Deo consequatur. Nec oberit eadem causæ injustitia, quò minùs miles victor dominium in captivum habeat. Utrobique enim tam potestas, quàm victoria à Deo est. Et si populus injusto bello subactus non minùs obsequium violento invasori debet, quàm si bellum justum habuisset, neque enim ille minus imperium habet. Sequitur, quòd & captivus eodem religionis vinculo adstringatur domino, qui eum in bello injusto cepit, quàm adstringeretur is, qui justo bello captus est: quia & uterque par dominium à Deo consequitur. Hactenus igitur bene disputat Grotius, illud dominium externum, quod juris gentium est, non impedire fugam. Prætermisit autem præcipuum, quod conscientiam afficit, nempe imperi-

um

um in captivum victori à Deo immediatè datum, hoc religionem animo injicit, hoc fugam servo inhibet, & domino obedire etiam gravi, etiam crudeli præcipit: ad hoc etiam sine dubio sacri canones, quos Grotius hîc allegat, & sancti Apostoli respexerunt. Hinc constare nulli non potest, quantò minùs servo, qui fugere vult, res suas secum ferre, & adhuc aliquid de domini rebus mercedis loco captare liceat. Sanè ex fundamento Grotiano hæc bene cohærent, veritati præjudicium non afferunt. Nihil servus, qui in potestatem domini concessit, proprii habet, sed omnes res domino acquiruntur, quia & ipse servus domini est, ut res conditionem personæ omninò sequi debeant. Quas si fugiendo aufert, res domini aufert, non suas, & præter gravissimum inobedientiæ crimen, quod fugiendo contrahit, etiam furto se obstringit: Sicut & cùm loco mercedis aliquid captare vult. Non debet dominus servo mercedem, ut serviat, sed servus domino, eo ipso, quo servus est, servire debet. Nec officit, quòd in bello injusto captus sit, quia justitia causæ non ad servum sed dominum pertinet. Non minùs servire servus debet, minùs tamen dominus dominari, qui ex justitiæ præscripto tenetur servum, manumittere, quem injustè possidet. Servus autem se ipsum vindicare nequit. Sicut nec populus, qui injustè in ditionem alterius venit, jugum & obsequium excutere potest. Imperans tamen populum in integrum restituere obligatus est, priusquam in imperium violentum consentiendo illud legitimum & pium effecerit. Multa quis injustè possidet, quæ alter

justè non eripit, ob impedimentum fortè aliquod morale, quod ex conditione personæ profluit. Eo ferè modo, quo minor rem suam ab alio vindicare nequit, quia non habet legitimam personam standi in judicio. Dn. Zieglerus existimat, ideo mercedem præripere servum extra furti crimen non posse, *quia talis contrectatio fit invito domino.* Verùm non omnis contrectatio, quæ invito domino fit, statim in furtum incidit, quia & creditor, qui fugienti debitori in persecutione famulum cum pecunia adimit, non committit furtum, & tamen res invito domino contrectat. Vera igitur causa ea est, quòd merces servo non debeatur. Cùm potiùs ipse domino servitutem & opera & omne, quod potest & habet, debeat.

§. 7. *Licebit & Magistratui.*] Hæc consequentia nulla est. Nam si dominus vivit in Rep. & servum animo occidendi invadit, conceditur ei legitima vitæ corporisque defensio. Non verò etiam si à Principe periculum sit. Quin quotidianum est resistere eos privatis posse, qui Magistratui non possunt privatos tuenti.

§. 9. *Solet concedi singulis.*] Arbitrium & determinatio hac in re ejus erit, qui bellum gerit. Quicquid enim milites capiunt, Principi capiunt. Ideoque videmus jus servandi captos non ubique uniforme, sed in hac Rep. esse laxius vel strictius, quàm est in alia.

Plerarumq; gentium mores.] Ergo ab institutis & moribus gentium hoc negotium dependet: Instituta autem variant pro captu & voluntate eorum, qui in Rep. imperium habent. Unde

de ad jus gentium referri nequit. Quia hoc etiam extra Remp. vim & usum habere debet: Hîc autem id solùm spectari solet, non quod multis gentibus in usu est, sed quod solùm in unaquaque observatur Rep.

CAPUT VIII.

DE IMPERIO IN VICTOS.

§. 1.

UT *in populo est.*] Populus, qui Regem habet, imperio destituitur: & Rex etiam restrictè imperans facultatem alienandi habet, sicut ad *c. 6. l. 2.* probavimus, quando nimirum expressis pactis excepta non est. Victor, qui Remp. subegit, pro sua voluntate statuet, liberè an certis conditionibus imperare velit, nisi jam antea praeviis pactis populus quaedam sibi jura stipulatus, & promittens deinde in Regem assumptus fuerit. *Conf. quae not. ad c. 20. §. 3. h. l.*

§. 2. *Non civitas erit, sed magna familia.*] Posset & Rex hanc sibi armis quaesitam civitatem regere velle non ut familiam, sed ut Remp. quo casu civitas dominum aut formae speciem mutat, non corpus & nomen. Multi inveniuntur hodienum Reges, qui diversis imperiis diverso quoque habendi modo praesunt, & in singulis ita superiores sunt, ut nullum ad aliud respectum habeat: v. gr. Glorioßißimus noster Leopoldus, cui Deus vitam & felicitatem perpetuò det, alio respectu Imperator R. est, alio Rex Hungariae, alio item Bohemiae. Quod si jam aliquando contingeret,

Digitized by Google

ut regnum aliud, fortè Siciliæ aut Hispanniarum, sibi armis quæreret, non continuò hæc regna exuta regali dignitate & nomine familiæ privatæ accederent, sed fierent potiùs accessio opum & potentiæ Domus Austriacæ, distinctè ab aliis regenda, non in fiscum inferenda: Quin ipsa hæc illustris Austriaca Domus non uno momento tria hæc, quæ diximus, imperia adepta est: sed successivè, quæ propterea regna esse non desiere.

οὐκ ἔστι δήλων ἁπλῶς πόλις.] Verum est hoc, si de servis in specie dictis, quatenus sub domo sunt, intelligatur. Aliàs non minùs constat, esse quosdam regiminis regii habendi modos, qui ad herilem dominationem satis propè accedunt. Nam & in iis imperiis, quæ absolutè habentur, adhuc tres gradus dari, suprà *ad c. 6. l. 2.* annotavimus, quorum primus cum liberrimo & indefinito jurium majestaticorum exercitio & facultate alienandi conjungit frequentiorem dominii eminentis usum. Quod regimen nobis dominatio appellabatur, in quo cives & subditi à servis non modo regiminis aut libertate, sed sola dignitate distant, dum hi ad familiam privatam pertinent, illi verò ad Civitatem: & novimus nos, quàm adstrictè orientales populi à suis dominis habeantur, ut vix eis præter possessionem in rebus aliquid ultra relinquatur, quas Imperans suo nutu illis adimere, & vel in Remp. conferre, vel aliis elargiri solet. Quid verò in tyrannide, ubi cives opulentiores divitiis exuuntur, potentiores circumveniuntur criminationibus, nullusque bonis locus datur, an melior civium conditio, quàm servorum? Civitas corrupta manet tamen

men civitas, nec vitia è Rep. familiam, nec è familia virtutes Remp. faciunt. Idem de modo habendi imperium dicendum. Dominus, qui servos leniori paulò ac quasi patrio modo habet, qui liberos tenerrimo affectu & facilitate, conjugem comitate & amore regit, qui cum familia in certa pacta, quæ formam administrationis concernunt, & libertatem patrisfamilias aliquo modo limitant, coit, eo ipso familiam non in gentem & Remp. mutat: quare nec Imperans Remp. adstrictiori regimine in familiam: & potest hoc sensu esse quædam servorum civitas.

CAPUT IX.

DE POSTLIMINIO.

§. 4.

Potuit tamen inter causas esse.] Ergo hæc jura, de quibus hactenus egit Grotius, ex mero receptu constant, nullum consensum anteverentem obligationem continent, nec ulteriùs etiam stringunt, quàm cuilibet partium placuerit, & proinde in veri juris nomen æquivocè eunt.

§. 6. *Dominium, quod habuerat in res ejus.*] Dubito, an victor rerum plus capiat, quàm victus apud se habuit, scilicet, quantum unum hominem attinet, qui capitur. Illud enim pro certo habeo, res capti domino non acquiri, quas adhuc in civitate sua reliquit, neque capientem in eas ullum sibi jus vindicare posse. Idem de rebus dicerem, quas captus habet apud eos, qui neutrarum partium sunt. Ratio non ea est, quam

Digitized by Google

dat Dn. Zieglerus, quòd acquisitio in facto acquirentis consistat & propterea non acquirantur ea, quæ non apprehenduntur. Potest enim aliquid in consequentiam quamvis non apprehensum acquiri: sicut sunt jura incorporalia, quæ apprehendi nequeunt. Item dominis etiam jure Romano invitis & nescientibus acquiritur. Sed vera ratio in eo posita, quòd res ejus, qui captus est, non solùm ad dominium privatum sed & publicum suo modo pertinuere: & proinde per solam dominii privati captionem & servitutem juri Reip. nihil potuit detrahi. Et sequitur quidem accessorium suum principale, sed tum demum, quando accessorium ad solum principale spectat. Cùm verò duo principalia subordinata habet, licèt unum statum mutaverit, res manet alterius. Quascunque res victor cum domino cepit, sibi rectè acquirit, nam & jure gentium in his jus Reip. superius per occupationem sibi vindicat. Illas verò, quæ vel in Rep. vel apud eos, qui neutrarum partium sunt, reperiuntur, sibi habere nequit, licèt enim privatum dominium in iis extinxerit, manet tamen adhuc Reip. supereminens, sub quo privatum comprehenditur. Et hoc juris etiam gentibus placuisse verisimilius est. Quo sequitur, si præter personam captam in res ejus nemini aliud quicquam juris superioris competit, easdem & uno actu, quamvis non comprehensa, victori acquiri, sicut fit, cùm aliqua civitas in ditionem victoris venit, cujus res omnes & jura, ubicunque sunt, uno momento simul occupantur.

Quid si tamen alienasset.] Loquitur de jis rebus,

Digitized by Google

rebus, quas dominus in poteſtate habet. Alias non poſſet alienare.

Diſtinguendum videtur.] Optima hæc eſt & perquàm ſubtilis diſtinctio, in eo fundamentum habens, quòd tertius poſſeſſor non aliter rem poſſidere aut habere poſſit, quàm ejus author. Hic verò ita eam tenuit, ut eam amitteret, quàm primùm poſtliminio ad priſtinum redierit dominum, Dn. Ziegl. h.

§. 9. *Eximat hoſtili imperio.]* Quando victor in populum ſemel majeſtatem & imperium eſt adeptus, poſtliminio non redire exiſtimaverim: quoniam ſubditus illius, qui populum devicit, jam factus eſt. Subditi autem non redeunt poſtliminio, quando ſe à Principe in libertatem vindicant, ſed res potiùs ad perduellionis crimen pertinet. Intelligendus igitur fortè eſt author noſter, cùm populus à ſociis in continenti liberatus eſt, ſicut & quis in continenti vi recipere poſſeſſionem poteſt. Quamvis & adhuc aliquis addubitare non immeritò poſſit, an poſtliminio quis ad ſe ipſum redire dicatur.

§. 10. *Haud dubiè ſtatim.]* Haud dubiè hoc falſiſſimum eſt. Quia, ut diximus, cùm civis noſter capitur, Resp. in ejus bona retinet naturaliter dominium eminens. Nec ſequitur, qui pro nullo habetur, ejus bona cedunt occupantibus. Nam & mortuus habetur pro nullo, cui non facto teſtamento hæredes ſuccedunt legitimi.

Ex jure ſpeciali.] Imò ex dominio eminente eſt, ſub quo omnes res ſubditorum continentur. Et nullam opinor dari Remp. quæ res capti-

vi vel occupantium fieri vel conditionem ſtatus ejus, in cujus dominio erant, ſequi patitur.

§. 12. *Puto hic idem dicendum.*] Si is, qui imperium in civitatem habuit, nondum dominationi violenti invaſoris conſenſit, vel ipſe captus non eſt, conſentio cum Grotio. Sive enim hoc caſu ſubactam civitatem prior imperans vel alius quis jugo injuſti poſſeſſoris liberaverit, rerum ſumma ad legitimum Principem quaſi poſtliminio redit. Secus verò, cùm vel civitas Rectorem non habuit, vel idem ipſe poteſtati victoris jam ſe ſubjecit, aut de imperio cedendo conſenſit.

§. 19. *Ita & poſtliminii.*] Dubitare aliquis non ſine cauſa poſſet, num ſicut omne poſtliminium inter homines obſolevit, ita & rerum: quia hodie non minùs quàm olim res immobiles ab hoſte occupantur, quæ videntur redire poſtliminio hoſtibus inde expulſis: Sic & licèt captivitas ſublata ſit, non propterea & res mobiles in præda eſſe deſiiſſe puto, quæ non redeunt poſtliminio, ſed manent vel ipſius capientis, vel quicunque ab eo cauſam habet. Non ergo omnis de jure poſtliminii, quando locum habeat vel, non hodie ſupervacua eſt quæſtio.

CAPUT X.

MONITA DE HIS, QUÆ FIUNT IN BELLO INJUSTO.

§. 5.

Quam nonnulli adferunt.] Fundantur ſc. imprimis ea ratione, quòd juſſui ſuperioris parere

parere neceſſe habeant, quam in rem allegare ſolent *l. 167. §. 1 ff. de R. J.* ubi dicitur, *qui juſſu judicis aliquid facit, non videur dolo malo facere, qui parere neceſſe habet.* Et *l. 169. ff. eod. is damnum dat, qui jubet. Dare ejus verò nulla culpa eſt, cui parere neceſſum ſit.* Verùm ſciendum eſt, ad ea, quæ per ſe injuſta ſunt, nullam eſſe ne quidem ex juſſu ſuperioris obligationem. Adeoque Grotius *l. 2. c. 26.* eleganter oſtendit, ſi ſubditi ſciant bellum injuſtum eſſe, non decere eos Principi vocanti obſequioſos eſſe, quia, Deo qui ab omni peccato nos abſtinere jubet, magis obediendum eſt, quàm hominibus. Nec obſtant textus ex regulis juris citati, qui commodè eodem modo intelligi poſſunt, quo Grotius hactenus ea, quæ juris gentium externi ſunt, licita eſſe dixit, ut nimirum is, qui in civitate juſſu Principis vel judicis damnum dat, non videatur dare quoad effectum juris, de damno enim dato conveniri aut damnari nequit, cùm ſatis abſurdum eſſet, ut judex eum puniat, quòd ejus mandato paruerit: Sed hæc externa impunitas non ſalvat conſcientiam. Quin commentatores ad has leges hanc plerunque addunt reſtrictionem, ut non procedant, ſi quis mandato Judicis illicitum quid perfecerit, quoniam hîc nulla parendi neceſſitas, *arg. l. 5. C. de jurej. l. 170. ff. de R. J. Ludvvel. in Comment. ad Reg. J. l. 167. §. 1. n. 5. Conf. & l. 29. ff. de O. & A.* quidam explicationem ex ipſa lege ſumunt: dicit enim lex, excuſari eum inde, quòd parendi neceſſitate aliquid fecerit. Hinc inferunt, qui non facit parendi neceſſitate, ille non excuſatur: At qui facit illicitum, nulla parendi

rendi neceſſitate facit, quia mala ne juſſi quidem facere debemus: Talis igitur excuſationem non meretur. Licèt & hoc modo, quo dixi, lex rectè poſſit explicari.

§. 6. *Tenetur eam reddere.*] Sic qui à fure rem habet, aut quivis bonæ fidei etiam poſſeſſor, qui eam à non domino quocunque accepit titulo, vindicanti domino reddere tenetur: ſicut juris quotidiani eſt.

CAPUT XI.

TEMPERAMENTUM CIRCA JUS INTERFICIENDI IN BELLO JUSTO.

§. 10.

IDem ſtatuendum univerſaliter.] Igitur non tantùm modum juſtitiæ & Chriſtianæ miſericordiæ, ſed & barbaræ feritatis in Arauſione ſuperiori ſeculo expugnata victores exceſſere: de quorum inſolentia apud Thuanum (*a*) hæc habentur. *Victor hoſtis nullo non immanitatis genere in eos, qui in urbe remanſerant, ſævit. Nam qui primum impetum effugere, alii lentis ac minutis pugionum ictibus, ſic ut ſe mori ſentirent, occiſi. Alii ſupra contos, ſariſſas ac ſtrictos enſes præcipitati: alii ad crematorium paxillis appenſi & combuſti: alii denique exſecti. Nec decrepitis ſenibus, mutilatis, & in lecto per valetudinaria decumbentibus agris, miſerisque meſſoribus, ſubita obſeſſione in urbe oppreſſis, quibus*

(*a*) Hiſtor. l. 31.

quibus nulla præter falces arma, parcitum. Plerasq; fœminæ interfectæ. Aliæ ad feneſtras & porticus ſuſpenſæ, & avulſis ex eorum amplexibus parvulis infantibus ſilopetorum ictibus confoſſæ. Multæ virgines per vim corruptæ. Pueri multi item ab Italis rapti, & ad nefandam libidinem ſatiandam in miſeram captivitatem, ex qua non niſi diu pòſt redierunt, abducti. Auxerunt crudelitatem contumelioſa ſpectacula, productu mulierum cadaveribus, & in eorum pudenda boum cornibus & ſaxis & ſtipitibus ad ludibrium injectis. Virorum item interfectorum plagæ foliis ſacrorum librorum farta &c. Hæc hodierna eſt militiæ noſtræ ſanctitas, hæc diſciplina.

§. 19. *Meram habent virium oſtentationem propoſitam.]* Ex quo fundamento improbanda eſt illa celebris tredecim Italorum, totidemque Gallorum pro gloria & virtute gentis cujusque concertatio, quæ in id ſolùm ſuſcepta erat, ut conſtare poſſet, utra gens alteri præſtaret. Quò pertinent etiam Torquati & Corvini cum Gallis certamina, nec non aliorum, qui præter oſtentationem virium nihil aliud ſibi propoſitum habent.

CAPUT XII.

TEMPERAMENTUM CIRCA VASTATIONEM ET SIMILIA.

§. 1.

Manere obligationem damni.] Verùm enim verò ſi damnum dare non videtur, qui furioſum

riosum ipsum sui tuendi causâ occidit. Quantò minùs de damno tenebitur, cùm ei gladium eripiendo & in flumen projiciendo vitam conservat?

Debitum aliquod.] Non tantùm illud personale, sed & cùm pro re nostra aliam tantundem valentem capimus vel vastamus.

Meritum aliquod malum.] Id quod plerunque cum debito concurrere solet. Eo enim ipso, quo quis nobis jus nostrum liquidum non reddit, pœnam meretur.

Quæ brevi ad pacem.] Quia quæ ad finem juris consequendi ducunt, ad ea jus habere intelligimur, *Grot. l. 3. c. 1. thes. 2.*

CAPUT XIII.

TEMPERAMENTUM CIRCA RES CAPTAS.

§. 2.

Non video gentium consensu.] Nisi quatenus ipsi defendunt Principem, qua ratione continuò crimen participant, & in meritum pœnæ veniunt. Censet sanè Dn. Zieglerus, *bello semel exorto nullam amplius fieri posse distinctionem inter subditos reos & innocentes, quippe qui omnes & universi ejusdem causæ censentur esse defensores*: quod non admittendum existimo: quoniam hîc non agimus de debito, sed pœna, quæ citra crimen non participatur: nec quicquam ad rem facit ille tacitus aut præsumptus consensus, qui est inter caput & membra, inter

Prin-

Principem & ſubditos. Nam hoc, quem Zieglerus allegat, conſenſu, bonum intenditur non malum. Omnis ſocietas boni alicujus causâ coit; De rebus turpibus aut illicitis contrahi nequit. Ergo nec conſenſus temerè in aliorum præjudicium præſumi.

CAPUT XIV.

TEMPERAMENTUM CIRCA CAPTOS.

§. 1.

Niſi fortè in ipſis hominibus.] Hoc peculiare delictum ſemper illis adhæret, qui bello juſto jus ſuum perſequenti obſtant, & adjumento injuſtitiæ ſunt, modò cauſam, quàm defendunt, nullo jure niti ſciverint.

§. 2. *Quaſi ex fidejuſſione.]* Vocat Grotius quaſi fidejuſſionem, quia non tantùm ſubditorum res, ſed & jus ipſum regendi ſubditos pro debito Imperantis obligatum eſt. Quod jus deinde vel ipſa Resp. læſa in univerſum ſibi vindicat, vel in ſingulis perſonis militibus concedit: unde ſervorum ſtatus exiſtit: Non eſt vera fidejuſſio, quia non expreſſo conſenſu conſtat, ſed tacito, ex fine & compage ſocietatis præſumpto.

§. 6. *Si ſine cauſa id faciat.]* Eo planè modo, quo nec Princeps ſubditis res ſuas auferre vi dominii eminentis poteſt.

Magis etiam.] Imò res civium civitati in Monarchia non minùs debentur, quàm res ſervi domino. Quia utrumque imperium ad extrema pertingit.

§. 8. *Sed*

Digitized by Google

§. 8. *Sed alia requiritur.*] Vera & unica est, quòd fœtus sequatur conditionem ventris: quare si parentes sunt in justa servitute, nec minùs justè liberi servient: quod enim è re mea nascitur, id meum est. Possunt causæ, quas Grotius adfert, aliquid conferre ad id, ut dominus ex servis natos pro sua liberalitate & bonitate citiùs manumittat, in conscientia eum ad manumissionem faciendam obligare nequeunt.

CAPUT XV.

TEMPERAMENTUM CIRCA ACQUISITIONEM IMPERII.

§. 7.

Difficilius est provincias obtinere quàm facere.] Id quod in Gallis ab omnibus retro seculis notare licet. Hi quas mundi partes fama & victoriis non percursavere? quid inde præter Galliam reliqui habent. In Asia ne quidem ulteriora eorum vestigia restant. Italia expulsi sunt: noctes Siculas nec adhuc oblivisci possunt. Germaniæ semper inhiarunt: Semper cum clade repulsi: Etiam tempore, quo hæc scribimus, vastissimas spes fovent: Vereor autem ne aliquando ex tantis apparatibus tanquam parturienti monte ridiculus mus nascitu-rus sit.

CAPUT

CAPUT XVI.

TEMPERAMENTUM CIRCA EA, QUÆ JURE GENTIUM POSTLIMINIO CARENT.

§. 1.

Sint enim hæc pro non captis.] Irrita est ad hæc verba Dn. Ziegleri animadversio, quòd *revera captæ sint, & tamdiu pro captis habeantur, quoad nostram non evaserint potestatem.* Non enim hoc Grotius negat, sed explicat saltem effectum postliminii, quo res captæ, cùm redierint, in eo statu sunt, ac si nunquam fuissent captæ. Non impugnat Grotius veritatem, sed fictioni juris inhæret: eo modo, quo qui testamento apud suos facto in militiam it, & capitur, atque servus apud hostes decedit, ex lege Cornelia fingitur ad sustinendum testamentum liber decessisse. Nihil servituti hæc lex derogat, neque enim posset, quod factum est, infectum reddere. Hoc saltem, quod potest, facit, & quod revera est, fingit non fuisse. Sicut & eadem illa Cornelia lex ab hoste captum atque ad suos reversum pro non capto habet, eique restituit omnia jura, quæ, antequam militiæ nomen dederat, jam actu possidebat. In summa, quæ postliminio redeunt, pro non captis sunt, quantum jus & effectum postliminii attinet.

Ubiq; judiciaria auctoritate.] *Non ubique*, inquit Dn. Zieglerus; *Leges enim Romanæ de-*

negant actionem publicianam illi possessori, qui titulum habet à fure. Frigidè. Quia Grotius hîc non de furibus, qui in specie tales sunt, sed iis agit, qui injustum bellum gerunt, ex eoque res acquisitas in alios transferunt. Nam hi possessores in dominio externo ubique tuendi sunt. Habent enim illud ab auctore, quem jus gentium defendit. Et quamvis illi, qui injustum bellum habent, latronibus aut furibus certo modo comparari possint, comparatio tamen ista nullum externum effectum sortitur, sed in actione morali & justitia intrinseca consistit. Sanè milites etiam in bello injusto dominium rerum captarum sibi acquirunt: Fures verò nunquam. Quemadmodum & illos impunitas sequitur, hos laqueus manet.

CAPUT XVII.

DE HIS, QUI IN BELLO MEDII SUNT.

§. 1.

Necessitatem, ut jus aliquod det.] Necessitatem jus nemini dare, suprà exposuimus. Videtur Grotius hîc præcipuè collimare ad occupationem rei alienæ, si periculum fuerit, eam ab hoste occupatum iri. Quam actionem nos *ad l. 2. c. 2.* injustitiæ firmissimis argumentis damnavimus: Quæ in §. *2. h. c.* de transitu innoxio tradit, eadem à nobis ad *d. c. 2.* sufficienter excussa sunt, cujus opinionis nos adhuc nondum pœnitet.

§. 3. *In*

§. 3. *In re vero dubia*] Explicat Grotius hîc officium eorum, qui in bello medii esse volunt: non dat consilium.

Καλὸν ἡσυχία] Ita quidem Archidamus, causæ suæ deserviens, & fortè desperans Eleos in partes suas trahi posse: Illud enim Principibus jam perfamiliare est, ut, si qui inter se mutuum bellum habent, ante omnia aliorum, imprimis vicinorum auxilia & societatem sollicitent; quod ubi impetrare nequeunt, in illud omnes vires intendunt, ne adversæ parti accessio fiant. Cæterùm an consultum sit Reip. inter duos Principes belligerantes indifferenter se habere, alia quæstio est, quam præstantissimi Politici quique, iemque haud pauci sapientes ex veteribus negavere. Animadvertendum tamen hîc bene est, negotium pertinere non tam ad eos, qui vel ob ditionum longinquitatem vel alias certas ob causas nihil à bellantibus timendum habent, quàm hos, qui ita inter vicinos Principes siti sunt, ut hostes *ne vincere nec vinci sine tuo periculo possint.* Ut Sallustius loquitur: Hoc rerum statu cùm vix evenire possit, ut aut alterum socium habeas aut hostem, generosa animi determinatione opus est, & cum Cæsare jacienda alea: media via ad securitatem nulla est. Aut cum alterutro tibi vincendum est, aut ab utrisque pereundum. Aristhenes Achæorum Prætor in Concilio ad Cives suos super consultatione Philippus Macedo an Romani amici habendi sint, medietatem illam penitus rejicit. *Nam quod*, inquit, *Cleomedon modo mediam & tutissimam vobis viam consilii, ut quiescere tis abstinere tisq; armis, ostendebat, ea non me-*

dia sed nulla via est: Etenim præterquam quòd aut accipienda aut asservanda vobis Romana societas est, quid aliud quàm nusquam gratia stabili velut qui eventum exspectaverimus, ut fortunæ applicaremus nostra consilia, præda victoris erimus. (a) Machiavellus *del Princ. c. 21.* ἀδιαφορίαν hanc simpliciter damnare videtur. *Perche*, inquit, *se duoi potenti tuoi vicini vengono a le mani, o essi sono di qualità, che vincendo un de quelli tu habbi da temere del vincitore, o no; in qualunque di questi duoi casi sempre ti sarà lo piu utile lo scoprirti, & far buona guerra. Perche nel primo caso, se tu non ti scuopri, sarai sempre preda, di chi vince con piacere & satisfattione di colui, ch'è stato vinto. Et non harai ragione ne cosa alcuna, che ti difenda, ne che ti riceva. Perche chi vince, non vuole amici sospetti, & che nell' aversita non l'ajutano. Chi perde, non ti riceve, per non haver tu voluto con l' armi in mano correre la fortuna sua. Et sempre interverra, che quello, chi non ti è amico, ti richiederà della neutralità. Et quello, chi ti è amico, ti ricerchera, che ti scuopra con l'armi: Et li Principi mal resoluti per fuggire i presenti pericoli sequono il piu delle volte quella via neutrale, & il piu delle volte ruinano.* Et *l. 1. discurs. supr. Liv. ma gli huomini pigliano certe vie del mezo, che sona dannosissime: perche non sanno essere ne tutti buoni, ne tutti cattivi.* Id quod Tacitus (b) sic expressit. *Ipse inutili cunctatione agendi tempora consultando consumpsit:*

(a) Liv. l. 32. c. 21.
(b) 3. Histor. 40, 4.

pſit: mox utrumq; conſilium aſpernatus: quod inter ancipitia deterrimum eſt, dum media ſequitur, nec auſus eſt ſatis nec providit.

CAPUT XVIII.

DE HIS, QUÆ IN BELLO PUBLICO PRIVATIM FIUNT.

§. 1.

Quid privatim in bello liceat.] Videtur ſanè titulus hujus capitis non modicam involvere contradictionem, aliquid in bello publico privatim licere. Quicquid enim licet, ex conceſſione & juſſu publico licet. Subditi læſi Principis in bello auctoritate publica ſituntur, itemque ſi qui alii auxilio veniunt, ad eandem conditionem referri debent. In bello privato actiones privatas eſſe concedo, ſed vix eſt, ut Grotius hoc intellexerit. Et quamvis ſecundùm jus naturæ ac internum in bello juſto cuilibet conceſſum ſit ea facere, quæ parti innocenti intra juſtum bellandi modum profutura confidit, illa tamen publicè fieri dicuntur, non privatim. Hoc certum eſt militem ante ſubditum eſſe non poſſe, quàm Princeps bellum decreverit, etiamſi Resp. juſtiſſimas belli gerendi cauſas habeat: quia hæc cura ad majeſtatem ſpectat, quæ cives tanquam idoneas inſtrumenta juri perſequendo adhibet. Dependent igitur omnes eorum actiones ab auctoritate publica, & quicquid in bello privatim faciunt, non rectè faciunt. Nam rectè principium actionis non in ipſis ſubditis eſt, ſed in Principe.

§. 5. *Ea erunt observanda.*] Imò etiam adhuc plus: quod hîc concurrat cum moderamine inculpatæ tutelæ vindicta publica: Itaque qui hostem deprehendit, assultum non exspectare tenetur, sed ipse poterit eum invadere, & agere non secus, quàm si justis copiis in prælio contra hostes cum aliis commilitonibus tenderet.

CAPUT XIX.

DE FIDE INTER HOSTES.

§. 5.

Adversus quem metus exceptio non est.] *Vid. quæ notav. ad l. 2. c. 13. thes. 14.*

§. 7. *Plerunq; autem communiter expedit.*] Ergo ubi illud communiter non expedit, pacta etiam bona fide non servari poterunt. Quò quis fortè retulerit ea, quæ habet Lipsius *6. Polit. 4.* de sedanda seditione. *Tu quoque da verba*, inquit, *quoniam verba apud eos plurimùm valent. Offer blanda: imò ambiguè promitte: quid refert? facilè mox irrita facies, quæ per seditionem expresserunt: Ego bonum hunc dolum toto ostio admitto: falle, falle potiùs, quàm cade.* Hîc præcipuum Reip. artificium est, iisdem consiliis seditionum Duces subvertere, quibus apud credulam plebem invaluerant. Sicut Senatus contra Grachi molimina Drusum excitavit, qui populum majorum præmiorum & uberioris liberalitatis spe ad officium revocaret, quem Grachus damnosis Reip. pollicitationibus corruperat: (a)

Et

(a) Supplem. Liv. l. 60. c. 70.

Et veramente, inquit *Machiavellus*, (a) *non ſi puo in una Rep. & maſſime in quelle, che ſono corrutte, con miglior modo, meno ſcandoloſo & piu facile opporſi alla ambitione di alcuno citadino, che preoccupargli quelle vie, per le quali ſi vede, che eſſo camina per arrivare al grado, che diſegna.*

§. 9. *Sed & tertio.*] Non tamen aliter, quàm quatenus illi valitura eſſet, qui metum intulit, ex cujus perſona promiſſio efficaciam & vim obligandi accipit.

CAPUT XX.

DE FIDE PUBLICA, QUA BELLUM FINITUR. UBI DE PACIS PACTIONE: DE SORTE, DE CERTAMINE CONDICTO: DE ARBITRIO: DEDITIONE: OBSIDIBUS: PIGNORIBUS.

§. 2.

Jus habeat non impeditum.] In actu ſcilicet ſecundo. Quò pertinet etiam, quòd Rex, qui populo ſeu Proceribus ſuis juramento ſeu etiam nuda fide interpoſita promiſit, ſe absque eorum conſenſu nec bellum geſturum, nec facturum pacem eſſe, vi promiſſi teneatur ad utrumque negotium ritè peragendum convocare eos, qui partes ſuas in publicis hisce actibus ſtipulati ſunt.

§. 3. *De Rege captivo.*] Multum intereſſe

(a) Diſcurſ. ſupr. Liv. l. 1. c. 52.

arbitror, utrum captivus ex jure gentium servus capientium fiat, an verò secundùm mores & consuetudinem inter Christianos hodie receptam tamdiu saltem detineatur in custodia, donec pace vel lytro se in pristinam libertatem vindicaverit. Priori casu primo intuitu dicendum videbatur, simul ac rex captus servusque hostium factus esset, totum ejus regnum ad victorem transire Ut enim suprà *l. 3. c. 8. thes. 4.* ipse Author noster explicavit, capta persona non tantùm omnes res ejus, quas habet corporales, sed & incorporalia, quæ personæ adhærent, victori acquiri: Inter incorporalia autem illud etiam jus regendi cœtum Regi nondum captivo adhæsit; Ergo dum captus & in servitutem abductus est, ad dominum, quicquid habet, transfert: quare Grotius *d. c. 8. thes. 1.* asserit, *imperium victori acquiri, ut est in Rege aut alio imperante.* Quod sicut eo casu verissimum est, quando non tantùm Rex captus est, sed & Resp. in potestatem victoris concessit, ita per solam Regis capturam imperium non acquiri, pro comperto habeo. Libenter largior amittere Regem captum imperium, quoniam hoc cum servitute personali stare non potest. Nemo uno eodemque tempore servus & dominus est, quia contrarium alterum posterius superveniens semper removet & extinguit. Verùm exinde non sequitur, imperium in Remp. ad capientem cum Principe transire: Acquirit sanè Dominus ea omnia, quæ servi sui sunt, non ultra tamen, quàm quatenus in dominio sunt & mutuo rerum commercio: Majestas & imperium, quod à solo Deo immediatè Regi omni infunditur, extra humanas

nas nundinationes positum est, & consequenter contractibus aliisque dominii acquirendi modis non subjacet: Quamprimum subjectum, cui inest, relinquit, ad authorem suum, i. e. Deum revertitur, de persona in personam quasi aliæ res, quæ in patrimonio sunt, non transmittitur. Quare dicendum, capto & in servitutem abducto Rege populum liberum fieri, & adipisci potestatem sibi de alio capite prospiciendi; servato tamen ordine publico, qui circa successionem in regnum introductus est. Sicubi jus primogenituræ viget, major natu filius succedet, pòst alii fratres. Demum agnati. His omnibus deficientibus, ut & cum regnum per se electitium est, per suffragia populi aut eorum, ad quos potestas eligendi Regem consuetudine aut consensu pertinet, Princeps constituitur. Equidem video, quid hic nobis objici possit, licèt majestas non sit in mutuo hominum commercio, posse tamen eam per capturam Regis tanquam aliquem acquirendi modum à victore acquiri: quemadmodum acquiritur per electionem, successionem & occupationem bellicam: non quasi successione, electione aut occupatione detur majestas, sed quòd hisce modis designetur subjectum, cui à Deo civile imperium elargiendum est, quod etiam faciliùs multò procedet, quando Rex jus alienandi imperium aut facultatem constituendi successorem habuit. Sed notandum est, ingentem inter hæc inveniri diversitatem. Quando electione aut successione succeditur, id voluntate populi tacita aut expressa fit. Itemque cùm regnum vi bellica occupatur, non minùs cives

præsumuntur pro conservata vita & bonis in occupantis imperium consentire: in alienatione verò, quam Rex jure suo facit, etsi consensus populi non concurrat, potestas tamen alienandi apud Principem est. Hoc nostro casu omnia secus se habent. Neque enim subditi censentur victoris potestatem agnoscere, quòd eorum Regem ceperit, quin potiùs tam gravem cladem & ingentem ignominiam omnibus viribus vindicare velle, neque Rex captus imperium transferre potuit: quoniam statim eo momento, quo in potestatem victoris pervenit, servus ejus factus est, & imperium amisit, quo simul & illa alienandi facultas, tanquam pars majestatis præcipua expiravit. Hodie cùm servitus apud nos non ampliùs in usu sit, Rex captivus imperium retinet, exercitio ejus propter externum impediens suspenso. Ideoque cura Civitatis interim illis incumbit, qui proximum jus in regno habent, donec captivus è custodia liberatus in regnum redierit. Tunc enim sublato impedimento facultas agendi se iterum exserit, non aliter ac qui compedibus exemptus ire & redire, quò vult, potest, quod ipsi in carcere aut vinculis integrum non erat.

Quæ privatim sua sunt.] Si servus est, omnia hæc domino acquiruntur. Ubi servitus exulat, vera est Grotii sententia, quam tamen sic ampliare non dubito, ut Rex captivus non sollùm de rebus privatis, sed & publicis, imò imperio vel pro parte vel in totum alienando paciſci possit, modò illi alienandi jus non sit pacto aliquo

quo restrictum. Secundùm ea, quæ de alienatione ad *c. 6. l. 2.* sufficienter diximus.

§. 5. *Imperium aut omne.*] Explicanda hæc omnia sunt ex iis, quæ *ad d. c. 6. l. 2.* tradidimus. Unde constare potest, neque semper nniversum populi consensum, neque ejus partis, qui alienatur, requiri. Sed regulariter Imperanti competere vi jurium majestatis alienandi facultatem, & speciali ad eam impediendam inhibitione per pactum opus esse.

§. 6. *Quatenus promisso Regis.*] Vide, quæ latè differuimus *ad l. 2. c. 18. thes. 10.*

Si quis Rex simul subditorum dominus.] Nullus Rex est, modò verè sit Rex, qui non simul dominus sit Reip. Et confundit Grotius modum habendi imperium cum imperio ipso. Etiam qui electivum regnum possidet, absolutè imperare & populum ad quævis per se licita obligare potest. Non dependet hæc res à populi arbitrio & voluntate, sed imperii civilis efficacia, cui subditi cum bonis passivè in conditionem instrumenti subsunt. Quod si conditiones quædam, ut vocant, fundamentales externas potestatis operationes limitât, imperio nihil decedit, sed saltem ejus habendi modus paulò arctior redditur: nec sub eo comprehendi debet, quod expressè pactũ non est. Majestas enim naturâ suâ & universali indole talis est, ut omnes actiones civiles ad suum arbitrium dependeant, & quæcunque civitas agit, per majestatem omninò agat. Nam omnes subditos obsequium manet, qui actiones suas ad placitum superioris dirigere debent; Inter operationes verò civiles non minima est jus alienandi

di & obligandi civitatem, quod easdem ob causas imperium civile complectitur, & regulariter ejus quædam particula est. Inde quoniam res unaquæque præsumitur in suo statu naturali esse, donec contrarium ostenditur, potestas obligandi cives in dubio ad Principes pertinebit, nisi pactis conventis limitata fuerit. Nec quicquam ad rem facit regula, quam opponere solent, quod omnes tangit, in eo omnium consensum requiri. Quæ regula ad societatē æqualem & conventionalem, nō rectoriam spectat; In illà cuilibet sociorum tantundem juris quàm alteri est; In hac verò ordo civilis, quem inter imperantes & parentes deprehendimus, jus agendi naturaliter ad imperium defert: cui obsequium subjicit. Et quod tandem mihi dabis majestatis jus, in quo non omnium salus versetur. Bellum gerere, tributa indicere, leges ferre, omnes tangunt, & non nisi ab Imperante expediuntur. Quare ratio nulla est, cur de jure alienandi diversum sentiamus. Seduxit Grotium tum non minùs periculosa quàm inepta imperii usufructuarii & patrimonialis distinctio. Tum etiam, quòd jus imperandi civibus radicaliter, Principi verò quoad exercitium saltem inesse existimat: ex hoc errore, qui in majestatem realem incidit, omnes hæ inciviles conclusiones fluunt. Si veritati studere & Principibus totum imperium tam in actu secundo, quàm primo attribuere, subditis verò nil præter obsequii necessitatem relinquere volumus, res satis expedita erit, nec ampliùs negotium ex probabili subditorum ratione aut voluntate, sed majestatis operosa virtute determinationem accipiet,

cipiet, per quam ſtabilietur Principis auctoritas contra licentioſos eorum conatus, qui contra regia jura ex inani libertatis dulcedine duce impietate & perfidia dudum conſurrexere.

In perſonam quidem dominium.] Propriè dominium in perſonam non datur, ſed imperium, cujus objectum rationale eſt. Cæteras res dominium afficit. Sed Grotius hîc vulgari modo loquitur.

Jus præter regium accedens.] Non accedit aliud jus, eſt enim eadem majeſtas in abſolutiſſimo & limitato regno. Sed modus habendi vel reſtrictior eſt, vel liberior.

§. 7. *Sarcire damnum.]* Non ex jure ſtricto, utitur enim Resp. eo, quod ſuum eſt: Sed æquitate, ut jam ſuprà diximus.

§. 16. *Quod ex rerum inæqualitate.]* Non de eo, quod ex pœnis. Quia exactio pœnarum confecta pace remiſſa cenſetur. *Vid. Grot. l. 3. c. 13. theſ. 1. & 2. it. in §. ſeq. h. c.*

§. 23. *Nomina regionum.]* Agitata olim hæc controverſia inter Reges Galliæ & Hiſpanniarum fuit, qui ex fœdere regnum Neapolitanum ejectis Aragoniis occupatum inter ſe diviſere. Gallis agro Lavorino & Aprutio: Hiſpannis verò Apulia & Calabria adjudicatis. Veniebat in diſceptationem Capitanatus, quem Hiſpanni ut partem Apuliæ vindicabant. Galli verò vel acceſſionem Aprutii eſſe putabant, vel ſaltem ditionem, quæ ſuprà nominatis quatuor provinciis non contineretur, ſed adhuc utrinq; communis eſſet: Fundebant Galli ſe in nominibus antiquis: Hiſpanni in recentioribus & uſu moderno. Quorum cauſa ſecundùm

cundùm tradita hîc à Grotio jure superior fuit. Nec justitiam eventus destituit. Cùm enim Galli sua parte non contenti, ut semper solent, in regno Neapolitano bellum movissent, ab Hispannis Duce Consalvo sæpiùs fusi fugatique tandem omni regno expulsi sunt, quo Reges Hispanniarum adhunc usque diem quietè fruuntur: ex quo iterum apparuit, meliùs sciviſſe Gallos regna parare, quàm retinere. Quod verò totam controversiam attinet; illa à Guicciardino *l. 5. Histor.* his verbis describitur. *Perche essendo nella divisione fatta tra i due Re aggiudicata all' uno la terra di Lavoro, & l' Abruzzi: all' altro la Puglia & la Calabria: non furono espressi bene nella divisione i confini & i termini delle Provincie. Onde ciascuno commincio a pretendere, che a se appartenesse quella parte, che è detta il Capitanato, dando occasione a questa disputatione l' essere stata variata la denominatione antica delle Provincie da Alfonso d' Arragona, primo Re di Napoli di quel nome. Il quale habendo rispetto a facilitare l' essattioni dell' entrato, divise tutto il Reame in sei Provincie principali, ciò è in terra di Lavoro, Principato, Basilicata, Calabria, Puglia & Apruzzi. Delle quali la Puglia era divisa in tre parti. Ciò è in terra di Ottranto, terra di Bari, & Capitanato: Il qual Capitanato essendo contiguo all' Abruzzi, & divisò dal resto della Puglia dal fiumo di Lovante gia detto Aufido, pretendevano i Francesi, il quali non havendo in consideratione la denominatione moderna havevano nel dividere havuto rispetto all' antica: O che il capitanato non si compren-*

prendesse sotto al cuno delle quatro Provincie divise: O che piu tosto fusse parte dell' Abruzzi, che della Puglia. Ma in contrario s' allegava non potere il Capitanato appertenere a Francesi: perche l' Abruzzi terminato ne luoghi alti non si distende nelle pianure. Et perche nelle differentie di nomi & de confini delle provincie s' attende sempre all' uso presente. Hactenus Historicus.

§. 27. *Non enim idem est, novam bello causam præbere.*] Viderunt hoc etiam JCti, qui unanimiter pro regula habent, pacem non censeri ruptam per offensionem secutam non ex veteri causa, propter quam fuit facta pax, sed ex nova. *Farin. de Var. ac div. crim. q. 107. part. 32. n. 403.* quam conclusionem deinde inter alia & ad veterem causam extendunt, quando illa in pace non fuit comprehensa. Ita enim *d. Farinac. n. 410.* ex Baldo ampliat, *ut cautio de non offendendo non censeatur rupta non solùm ex offensione secuta ex nova causa, sed etiam ex offensione illata non ex ea causa, ob quam fuit præstita cautio, sed ob aliam antiquiorem.* Loquitur de cautione de non offendendo, quam DD. plerique paci assimilare solent. Rarissimum fortè usum hæc extensio in nostro negotio habet, quia pax ferè semper cum universali amnistia componitur. Sed tamen non omninò nullam. Evenire enim posset, ut Princeps, qui duo vel plura regna possidet, in quibus ab alio separatas injurias passus est, pro tempore hujus vel illius regni injurias bello velit persequi: & deinde pax fieret ratione belli, quod intuitu unius saltem regni gestum est, in qua nulla aliarum injuriarum mentio fieret,

ret, has remissas esse non existimandum est, multò minùs frangi pacem, si quando illas bello vindicem: id quod imprimis obtinet, cùm illa duo regna non sub uno, sed duobus diversis titulis possidentur. Exempli causâ sit Imperator noster *LEOPOLDUS*, quem Hungariæ Bohemiæque regem esse omnes novimus. Quod si nunc aliquando casus ferret, ut v. gr. à Rege Poloniæ vel uno eodemque tempore vel diversis in hisce duobus regnis damnum injuriâ datum esset, quod simul persequi non consultum foret, sed magis è re, sepositа ad tempus regni Hungarici injuria, eam, quæ Bohemiæ illata est, vindicatum ire, & tandem cum Rege Polonæ regnoque Bohemiæ pax coiret, in qua omnia damna omnesque simultates oblivioni traduntur, non arbitror ego, hanc conventionem terminos Bohemiæ egredi, & posse Imperatorem non obstante hac pace tanquam Regem Hungariæ Poloniam iterum bello petere, & postulare satisfactionem, quæ regnum Hungariæ concernit. Cavebit tamen, ne subditos regni Bohemici ad militiam vocet tanquam Rex Bohemiæ, quoniam hoc respectu pacem habet cum Poloniæ Rege: licet fortè arbitrariè militantes recipere possit, sicut moris hodie inter Christianos est, ut Princeps aliquis incusari nequeat ex eo, quod ejus subditi citra suum jussum, v. gr. Regi Hungariæ contra Polonum militant: Cæterùm quod causam novam attinet, an justa ea semper esse debeat, utrum verò & injusta sufficiat? quæstionis non vulgaris est, meo tamen judicio satis absurdè propositæ: Injusta enim causa non est causa, nec unquam à fra-

cta

ta pace excusare potest. Si inter duos pax facta esset, & unus illorum eo obtentu, quòdalter ipsi commodum aliquod fortalitium, in quo tamen petitor nihil juris habebat, noluerit cedere. in bellum prosiliat, nemo tam fatuus est, qui pacem ruptam non dixerat: ex causa quidem nova, sed injusta. Aliud est, si justa causa sit, sed levis, quam melius est dissimulare. Tunc omnes illæ cautiones observandæ erunt, quæ Grotius suprà de bello non temerè incipiendo prodidit: Exempla novarum causarum, quatenus ad offensionem sufficiunt, vide apud *Farin. d. q. 107. p. 3. art. 34. n. 476. usq; ad finem.* Quorum tamen nonnulla ad causam aliquam levem, nec bello sufficientem referri possunt. Veluti si quis Citharœdum in domo alterius fidibus ludere prohibuerit: quædam etiam injustæ causæ sunt. Ut qui alterum ex suspicione offendit. Reperiuntur tamen & prægnantes quædam, sicut quum aliquis uxorem ejus, cum quo pacem habet, adulteraverit, *juxt. Castr. in l. qui serv. n. 3. ff. de V. O.*

§. 28. *Satis est injustitiam.*] Scilicet in causa dubia & à pace separata. Aliàs quævis injusta à pace rupta non excusat.

§. 31. *Ut nunc interdum fieri solet.*] Hac infamia præcipuè Germani nostri laborant, ferè enim inter Christianos Princeps nullum bellum est, in quo non ab utraque parte Germanos milites videas. Imò, quod adhuc pejus est, etiam contra propriam patriam externis hostibus militare solent, idque ad libertatem Germanicam atque Privilegia sua referunt: Ideoque gravissimè factum Caroli V. nobilitas Germana tulit,

quod Sebastianum Volgelspergerum capitis supplicio affecerit, qui militum manum contra Cæsaris interdictum ad splendidiorem Regis Heinrici II. coronationem reddendam in Galliam adduxerat. *Sleid. l. 20.* de qua severitate Ordines etiam Imperii sæpius conquesti sunt, & gravaminibus contra vetustam imperii libertatem impositis adnumeraverunt. Antiquissimum morem esse, nemo negare potest, nam & jam Taciti tempore, *si civitas, in qua orti sunt, longa pace & otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultrò eas nationes, quæ tum aliquod bellum gerunt, quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clarescunt.* Certissimum tamen est, hanc libertatem Reip. pernitiosam esse, & Caroli V. sollicitudinem omnibus modis laudandam, qui adeò incivilem licentiam egregio publici boni studio coarctare nisus est. Quid enim quæso turpius est, quid intolerabilius, quid denique nostræ patriæ magis noxium, quàm si Principem aliquem externum, de cujus animo in nostram Remp. satis comperta habemus, patimur ad nostrum excidium in Germaniæ meditullio milites cogere, quibus ad damnum nobis dandum paulò pòst usurus est? Quot millia germanæ pubis annis abhinc aliquot existimas à Galliæ Rege conscripta in potentiæ augmentum & ambitionis ejus continuum fomitem cessisse? quare non rarò factum est, ut, si ipsa Resp. in bellum Turcicum aut aliis de causis milite eguerit, exhaustas alieno delectu provincias repererit. In honorificum libertatis nomen non abit, quod fraudi Reip. est, cujus salus suprema lex dicitur.

Sanè

Sanè neque Sueciæ neque Galliæ Rex unquam in Germania sine Germanis tantos facere potuisset progressus. Sed hæc fato quodam contigisse videntur, & non dubito ego affirmare, tam salutarem hactenus patriæ nostræ extitisse & adhuc esse extituram Sueci amicitiam, quàm nobis cavenda & pernitiosa est Galli ambitio. Verùm hæc alterius argumenti sunt, de eo non ambigendum est, multò feliciorem fore Germaniæ faciem, si omnibus extraneis, qui Imperii Principes non sunt, nec sessionem in Comitiis obtinent, delectus habendi interdicerentur: imprimis si ipsius Germaniæ res agitur. Advertat quis modò ad Galliam, an cuiquam liberum sit insalutato Rege conscribere milites. Magnum me Hercules malum habebit, qui sine publica authoritate vel hominem coëgerit. Imitemus igitur tam salutare consilium, quod tantum virium hostibus aut advenis dempturum est, quantum nobis accedet: Nec est quod vereamur, hac tam eximia providentia injuriam aliis fieri: æquissima siquidem conditio est, ut, quod quisque juris in alterum statuerit, ipse eodem utatur.

§. 33. *Hostium loco sunt.*] Quare si lædantur, antequam pacem ratam habuerunt, pax rupta non dicitur, quamvis ratificatio subsequatur, nec ea retrotrahitur ad effectum fractæ pacis. *Farinac. quæst. 107. part. 2. art. 21. n. 298.*

Aliorum sociorum.] Non temerè rejicienda est Angeli limitatio ad *l. de religiosis ff. de rei vind.* comprehendi etiam pace socios non expressos, quando pax pacisceti non prodesset sine adhærentibus; ratio est, quia actus semper talem

recipit interpretationem, ne in irritum cadat: Addunt alii quoque, si pax non in personam sed, rem sit concepta. Quoniam autem ipsi ferè nesciunt, quando pax dicatur concepta in rem, *Vid. Alciat. Cons. 35. n. 23. Tomo I. libr 3.* inanes subtilitates nihil moramur. Nisi quis eò sensu accipere vellet, quo Angeli jam dicta imitatio concepta est.

Cognatorum.] Nisi fortè injuria cognatis facta ad paciscentem sit redundatura. Hinc dicerem contra pacem actum, qui cognatum ex causa præcedentis inimicitiæ offendit, idque mei ratione, à quo vindictam habere nequit: sub cognatis tamen filius non comprehenditur, in quo læso semper Pater læditur, sicut & Princeps in subditis. Idem de uxore sentio: nam tales personæ sub pace semper comprehenduntur, quamvis de iis specialiter nihil dictum. Nec admitto quorundam limitationem, si fuit promissum non offendere aliquem in personam, quasi tunc non censeatur promissioni contraventum, si quis offendat filium aut uxorem. *Alciat. in l. 1. n. 5. ad fin. C. de in jus voc.* Pater enim cum filio ut & uxore eadem persona existimatur, ideoque & injuriam illis factam non minùs eorum quàm suo nomine persequi potest: & semper per filium, uxorem atque servum Paterf. læditur.

Affinium.] Multò minùs igitur cognati aut affines utriusque partis, quæ pacem habet, illa non comprehensi, si se invicem lædant, contra pacem faciunt. Nec requiritur, ut consanguinei sint in pari gradu, quoniam non tam gradus disparitas, quàm negotii, quod agitur, natura hîc atten-

Digitized by Google

attendenda est: est autem natura pacis, ut censeantur excluſi, qui in pacem non conſentiunt, niſi à paciſcente dependeant: Ita quoque non ſimpliciter DD. aſſertio admittenda eſt, pacem factam pro ſe, filiis conſanguineis, affinibus, & adhærentibus non dici ruptam per offenſionem factam à conſanguineo, affine vel adhærente tempore pacis nondum exiſtente in rerum natura, ſed poſt dictam pacem ſuperveniente. *Farinac. q. 107. part. 2. art. 24.* Quando enim illi, qui tempore factæ pacis nondum ſunt in rerum natura, pòſt nati à principalibus dependent, ad pacis obſervationem ſtrictè tenentur. Sic non ſolùm adhærentes, ſed & eorum pòſt nata ſoboles, ut & cognatorum filii & nepotes ſub pace ſunt; quemadmodum pax duarum Rerump. futuros quoque cives attinet. Unde falſiſſimum puto, quod ait *Bal. in c. inquiſitioni in fin. n. 9. x. de Appell.* pacem cum promiſſione de non offendendo factam pro ſe & filiis non comprehendere poſthumos: Comprehenduntur enim ſub pace omnes ii, qui cauſam ab eo habent, qui pacem fecit: at poſthumi parentis filii non minùs ſunt, quàm illi, qui vivo patre naſcuntur. Nec obſtat, quod dicunt, in odioſis & pœnalibus filiorum appellatione poſthumos non venire. Primò enim hoc verum non eſt, quando factum à patre eſt, quod filios communiter tangit: Secundò hîc agitur de pace ſervanda, quæ res favorabilis eſt, non odioſa. Nec video rationem differentiæ, cur pax pro Principe facta & civibus, futuros quoque contineat, illa verò pro patref. & filiis, non poſthumos. De futuris affinibus, itemque conſan-

guineis ignotis aliud dicimus, quoniam hi tales partem pacisentis non faciunt, sicut cives aut posthumi partem faciunt civitatis & familiæ.

§. 40. *Facta non censebitur.*] Scilicet in pace, quæ amicitiæ causâ contracta est. Aliàs quamvis injuriam subditis factam vindicare Princeps potest, quia pax est actus civitatis pro toto & pro partibus: quó & illud Quintii apud Livium pertinet: *Si socios meos pro hostibus habeas, si te hostibus meis conjungas. Vid. Grot. supr. §. 32.*

Et adulterium aut stuprum libidini potiùs.] Idque extendunt DD. quamvis mulieri ad explendam libidinem vis fuerit illata, prout contingit in crimine raptus. *Farinac. q. 107. part. 2. art. 16. n. 230. ubi de communiori testatur.*

Quàm inimicitiæ.] Secus igitur esset, quando adulterium non libidinis, sed se vindicandi causâ, & dolosè in injuriam ejus, quem non offendere promiserat, commissum est. *Farin. d. l. n. 231.*

Invasio rei alienæ.] Hinc iterum à DD. regula extruitur, pacem non rumpi per furtum factum ei, cum quo quis pacem fecit. *Bart. in l. verum n. 5. ff. de Furt.* Ubi planè eandem cum Grotio rationem tradit, quòd fur non animo se vindicandi, sed animo lucrandi furtum faciat. *Conf. Ang. ad d. l. verum n. 12. Castr. in l. licitatio §. quod illicitè n. 4. ff. de Public. & vectig.* Et extendunt hanc assertionem deinde ad quamvis aliam offensionem illatam in bonis. *Castr. ad d. l. licitatio. n. 4.*

§. 41. *Non est contra amicitiam.*] Imò est, si contra voluntatem Principis emigrant, & ab

alio,

alio, quocum amicitiæ pax est, recipiuntur. Nam non est liberi subditorum arbitrii de civitate migrare. Longè arctiore obligatione Imperanti tenentur, quàm ut se eadem quovis tempore pro lubitu eximere possint: nec favorabile libertatis jus eos quicquam juvat, frustra enim libertatem implorant, qui alieno imperio subsunt. Nec magis potest civis veniâ non impetratâ civitatem mutare, quàm serv9 familiâ nolente domino exire. seq; vindicare in libertatẽ. Non hic magis illo, domino ad servitia & obsequiũ obstrictus est, sed ex diversis imperiis obligatio pari efficacia procedit. Hoc juri naturali conveniens & in civili prudentia perpetuum est, actum, qui ab alio dependet, non esse in jure agentis, nec aliter ratum, quàm si consensus superioris accesserit. Non forent tam invidiosa apud omnes gentes transfugarum nomina, si civi jus esset pro lubitu mutare civitatem. Potest Princeps subditis valide & cum effectu necessarii obsequii inhibere, ne cum hac vel illa gente commercium habeant, ne civitate abeant, ne in certam civitatem iter faciant: Quantò magis, ne desinant esse subditi, & alienæ potestati se subjiciant. Quin ut hoc omnibus modis caveat, sine dubio Reip. salus postulat. Quod si enim nunc hic, paulò ille decesserit, destituetur civibus imperium, & præda alienis fiet, quod cõtra finem & intentionem primò in Remp. coëuntium est. Et quid multis rationibus opus. Illud generali veritate nititur, non posse quemquam cogi, ut juri suo cedat, nisi ab eo, qui in illum superius jus habet. Principi autem jus est & facultas tam in totum cœtum ad regen-

Digitized by Google

dum in omnium utilitatem, quàm in singulos ad disponendos eos atque adhibendos tanquam instrumenta producendis actionibus, per quas universale regimen promovetur: quare à nemine inferiore, quales omnes subditi sunt, jure suo exui potest. Si quando subditus emigrare voluerit, sine dubio vacua manu non decedet, sed potiùs res suas quin omnẽ familiam simul educet. Et sic iterum Princeps amittet supereminens dominium, quod in bona subditorum habet, quod iniquissimum esse nemini non apparet, qui consideraverit, ne privatum quidem citra culpam aut conventionem dominio rerum privandum esse. Fac verò jam potentem aliquem civem decedere velle, qui non solùm amplissima Reip. latifundia possidet, sed & egregias munitiones. Hæc ad alios & quandoque hostem transferre poterit? omnes opinor uno ore reclamabunt. & tamen harum rerum à mobilibus diversa ratio non est, quia illa non minore jure à domino possidentur, quàm hæ, nec Reip. strictiori nexu devinctæ sunt: quando licet immobilium translationem impedire, licebit & mobilium, aut si in has nihil juris Civitati est, neque sanè in illas. Sanè ipse Grotius suprà *l. 2. c. 5. thes. 24.* gregatim Civibus non licere discedere ex necessitate finis probat, ex quo nulla opera inferre possum, nec id juris esse singulis. Cœtus enim aliquis ex singulis constat, ut illud jus, quod singuli habent, necessariò ad cœtum transferant. Ergo qui singulis permittit discessum, cœtui negat, is eadem ratione singulos divites facit, cœtum ipsum pauperem. Et quàm facilè eludi hæc Grotii cautela posset? si multitu-

dini

dini abire volenti Resp. restiterit, respondebunt, se non ut cœtum discedere, sed ut singulos. Hoc intuitu ipsis jus discedendi competere, & eodem quemvis eorum uti velle. Quo effugio aut diverso respectu Reip. non magis consultum est. Dissipabit se cœtus in omnes partes, & sic emigrabunt singuli, qui omnes non poterant, id quod ad eorum intentionem satis est. Non nego pactis & consuetudine inter Resp. quasdam in hunc modum conveniri posse, sed hoc casu decedunt cives ex voluntate Principis præsumpta, cui etiam integrum est revocare conventionem, & à mutuo placito discedere, si id è re sua esse duxerit. Non in legem aut perpetuam observantiam cedit talis conventio, nec subditis exinde quicquam juris acquiritur, sed saltem removetur impedimentum, quod emigrandi libertati obstabat: quare concessum erit pacisentibus ad modum societatis mutuo placito valedicere, & subditis inhibere abitionem. Non eorum ad hoc consensum requirimus, tum quia nec ad constituendam libertatem necessarius fuerat, unumquodque autem eo modo dissolvatur, quo colligatum est, tum quòd rationi non est consentaneum, ut ejus consensu ad rem opus sit, cujus dissensus nihil impedimenti ponit: qui enim consentire potest, illi & dissentire licet, si ipsam actus mutui naturam potiùs, quàm nuda verba spectare volumus: *Conf. quæ not. ad d. c. 5. thes. 24. l. 2.*

Neq; magis eos, qui ex sacramento.] Hac sanè restrictione Grotius totam suam sententiam evertit, quia nullus civis est, qui Reip. ex sacramen-

cramento fidelitatis ministerium aut opera non debet.

§. 42. *Sortis aleæ.]* Primò notari velim falsum esse, quod ait hîc Grotius sortis aleæ non licitè subjici rem, nisi in eam plenum habeamus dominium: quia & aliud jus in re, dominio pleno inferius aut infirmius, quod in controversiam venit, quò minùs quis possit rectè in sortẽ dare, causam nullam video. Sic nõ dubito jus pignoris controversum à creditore sorti bene committi, quemadmodum & usumfructum, servitutes, aliaque similia. Deinde, quod specialiter Principem attinet, de eo sciendum est, quamvis limitatè imperet, potestati in Remp. nihil decedere, sed alium esse habendi modum, ut vel centies inculcavimus: Princeps igitur, qui absolutissimè imperat, non majus jus in Remp. habet illo, qui restricto imperio utitur, sed liberius saltem juris exercitium ei competit: in quo puncto autem potestas limitata non est, in eo integra Imperanti competit, cujus officium est, optimis quibusque consiliis & actionibus providere Reip. Faciamus nunc litem esse inter duos Principes de re aliqua, fortè quòd subditi unius à subditis alterius spoliati, res repetitæ nec redditæ sint, & ideo ad civitatis dignitatem tuendam bello opus esse, jamq; ae paratas ad confligendum stare acies, non licitum Principi erit provocare ad sortem, & tam salutari remedio multa civium millia in prælio occidenda Reip. reddere? Opinor omninò, nec obstare, quòd in res Princeps plenum non habeat dominium. Sufficit enim, habere eum aliquod superius, quo ex necessitate & ratione Reip. privatis

vatis dominis res adimere & in salutem omnium impendere potest: idem de rebus civitatis dixerim, si adeò magni momenti non sint. Nam & has rectiùs in sortem conjici, quàm subditos ad pernitiem, planè existimo: Nec me movet Grotii ratio, *ad subditorum vitam, pudicitiam & similia tuenda Regem arctiùs obligari, quàm ut omittere possit eas rationes, quæ ad sui & aliorum tutelam maximè sunt naturales:* quoniam non semper vita & pudicitia subditorum in discrimen venit, sed aliæ res, quas vel planè omittere vel potiùs eventui sortis committere decet, qua ratione ipsam subditorum vitam & pudicitiam Principem tueri dicimus. Facilè largior, si jus certum sit, & res, de qua controvertitur, præcipuam Civitatis partem faciat, conditionem sortis non facilè subeundam esse: verùm hoc spectat ad modum juris bene exercendi, juri ipsi nihil detrahit, quod actionem ratam facit, etiam quando non omninò recta est. Plus enim requiritur ad rectitudinem actus, quàm ejus validitatem, & si actio est in jure agentis, rata est, non continuò etiam recta, nisi ex determinato judicio procedat, modusque agendi & aliæ debitæ circumstantiæ adfuerint. Quare placet omninò Dn. Ziegleri sententia, *in dubia causa & dubio belli eventu præstare sorti rem exponere, ut maximè res, de qua agitur, non sit in dominio nostro, quàm tot & tanta belli discrimina subire:* Multum sorti invidiæ detrahitur, si providentiam & judicium Dei adjunxeris, in cujus manu esse dicitur: quamque prudentissimus omnium Rex Salomo ad lites finiendas imprimis commendat; (a)

(a) Prov. 18, 18.

nec

nec minùs ipse noster Author *supr. l. 2. c. 23. thes. 9.*

§. 43. *Ut multorum innocentium salus.*] Non sola causa bello digna est multorum innocentium salus, quin imò hæc rarissimè inter causas belli justificas refertur, sæpiùs super provinciis aut injuriis expostulant Principes, ubi multorum innocentium salus non aliter in periculo est, quàm quando bellum cum promiscua hominum cæde & direptione rerum geritur, ideoq; & hæc quæstio ad modum potiùs juris exercendi quàm jus ipsum pertinet. Quemadmodũ Principi jus est justo exercitu damna vel injurias vindicatum, aut alias quasvis controversias bello dignas sopitum ire: ita quoque ad eam rem pauciores constituere propugnatores, quibus tanquam arbitris causæ justitia disceptanda datur. Nam & de eo nec Grotius dubitat, in arbitros posse quem promittere, etiamsi res gravissimi momenti fuerit. At arbitro tam facilè est proferre injustam sententiam, quàm pugnantibus in condicto certamine vinci. Utrobique æqualis incertitudo & periculum amittendæ causæ versatur. Quamobrem remanet illa sola quæstio, quando consultius sit litem singulari pugna dirimere, quàm justo exercitu contendere. De consilio quæritur, non jure. Hîc ante omnia bene considerandum erit, quid in litem & præmium victoriæ veniat. Si cum barbaro hoste res sit, qui nos omnes in servitutem & ad cultus idololatricos petit, qui veram religionem mutare, paganismum inducere, & deniq; nostrum omnium internecionem intendit, rationis est, ut communem salu-

tem

tem in paucorum manus atque irreparabile præcipitium non demus, sed conjuncti totis viribus pro patria, libertate, religione & liberis nostris ad extremum usque spiritum pugnemus. In hoc casu Deum tentare & condicto certamine tanquam testimonio bonæ causæ uti vanissimum esse & omninò fugiendum concedimus, nisi extrema necessitas & certissima piorum pernities ex magnitudine hostium moraliter æstimanda minus malum apprehendendum jubeat. Verùm enim verò non versamur semper in tanto periculo. Et quoniam exemplis in hoc argumento expeditiùs procedimus; Fsto nobis Rex Galliæ, qui cum Rege Catholico supra quasdam Belgiæ Provincias jam à multis seculis armis & literis exercitas differentias habet, qui nunc, ut videtur, levissimis de causis fœderatum Belgium invadere præsumit: Nullius hic est mutandæ religionis timor, nullum, si Belgæ vincuntur, post victoriam multorum innocentium salutis periculum, sola magnis animis innata dominandi ambitio stimulat generosum Regem: An quis nunc negare ausit, meliùs facturos tum Belgas tum Regem Galliæ, si tribus pluribúsve aut paucioribus ex utraque parte selectis hominibus controversias suas disceptatum darent, quàm ut tot millium cædibus, tot tantisque cladibus, rerum vastatione, incendiis, & aliis innúmeris malis, quæ bellum sequi solent, in pacem tandem necessariam defatigati coëant? Hoc sanctiùs omne bellum geritur, quò minore cum aliorum pernitie conficitur, & omninò optandum est, quàm minimo sanguine res dubias componi. Quin illud quoque non

extra

extra considerationem omnem ponendam putamus, quemadmodum uno prælio non semper super tota lite decernitur, aut debellatur, sic quoque tali condicto certamini locum posse dari ad eum effectum, qui prælium secutus esset, v. gr. ut alter pro victo abscederet, solveret obsidionem urbis, in cujus suppetias hostilis exercitus advenit, aut ubi pars altera succubuit, traderet urbem, vel saltem certa provincia excederet: His sanè actibus de tota re alea non jacitur, & sicut universo exercitu, sic & certis personis ad id selectis contendi rectè poterit: quia quod juris in toto est, idem etiam im parte. Restat, ut videamus, an illi, qui ad certamen ab utraque parte destinantur, cum bona conscientia illud suscipere & Imperantibus obedire possint atque debeant? Quod utrumque affirmamus: quoniam quando totum exercitum licet ad pugnam cogere, rationis est, ut & quoslibet milites ad singulare certamen: quod si enim singulos non liceret cogere, nec universitatem, quæ ex singulis constat, imperium enim derivatione à singulis ad universitatem extenditur: præsupponimus justum bellum, ubi pro pietate & justitia omnes copiæ præliantur. Tum certas quoque personas ad certamen cogi posse dicimus, & easdem illud suscipere: Multitudo enim sicut in consilio suas partes habet, ita ad jus agendi nihil confert. Si agere licet, cum multis an paucioribus me expediam, nihil refert: quomodo verò agam rectiùs, multum omninò: sed hoc prudentiæ est, illud justitiæ opus, ut diximus. Non obstant rationes Grotii, *neminem esse vitæ suæ summo jure dominum, in proximi*

carita-

carivatem peccare eum, qui ob res, quibus carere possumus, retinendas hominem occidit; & in se & in Deum peccare, qui vitam sibi à Deo pro magno beneficio concessam tam vili æstimat. Quotusquisque enim est, qui non videat, hæc omnia tam de toto exercitu, quàm singulis hominibus rectè dici posse: Nemo quidem vitæ suæ dominus est, sed illam in salutem patriæ jussu Principis impendere non prohibemur: Et si peccat, qui ob res hominem occidit, peccabit multò magis exercitus, qui sæpè cum ingenti humani sanguinis effusione & latissima multorum strage de rebus contendit. Nam quò major excessus est, hoc gravius peccatum fit. Nec videtur quis vitam sibi à Deo pro magno beneficio concessam tam vili æstimare, qui Principem suum ad bellum vocantem sequitur, qui patriam, liberos, libertatem, religionem defendit. Et percuperem profectò edoceri, cur ille vitam suam viliùs æstimet, qui jussu Imperantis ad conflictum singulare certamen descendit, quàm qui cum omni exercitu contra hostem pergit. Hoc enim vita viliùs habetur, quò majori in periculo est: In justo autem prælio magis periclitari, quàm in monomachia nemo non videt: quoniam hîc aliquis certum suum adversarium contra se habet, in quem destinatos ictus dirigere & adversos excipere noverit. Ibi verò adeò innumeræ mortes caput prætervolitant, ut non fortitudinis & prudentiæ, sed plerunque fortunæ beneficium sit salvum prælio excessisse.

§. 44. *Quæ in patrimonio non sunt.*] Imò verò, modò jus alienandi non sit ademptum.

Quin

Quin tentare aliquis posset, quamvis Principi pactis non licet imperium alienare, singulare tamen tale certamen, ut & usum sortis in re dubia ad alienationem non trahendum esse. Nam & Vasallo, qui absque domini & agnatorum consensu rem feudalem alienare nequit, de ea transigere feudorum consuetudinibus concessum est, non obstante, quòd & per transactionem res quandoque alienari soleat.

§. 45. *Victores ferati.*] Ergo qui loco cedit, non per metum, sed tanquam victor, victus non est, licèt hostis loco potitus sit; Victoria igitur aut fuga non à sola externa vi, sed & animo pendent. Imò hoc major est & splendidior omnis victoria, quâ hostes non tam viribus quàm animis fracti sunt: Achæi sanè narrante Polybio censebant, ὅτι λαμπρὸν, οὐδὲ μὴν βέβαιον εἶναι τῶν κατορθωμάτων, ἐὰν μὴ τὶς ἐκ προφανοῦς μαχόμενος ἡττήσῃ ταῖς ψυχαῖς τοὺς ἀντιτασσομένους. Et Claudian. in VI. Consul. Honor. ait.

— *Nulla est victoria major,*
Quàm quæ confessos animo quoque subigit hostes.

Unde paulò antè laudatus Polybius alio loco illis, qui pacem facere volunt, salutare hoc dogma dat, ut ad hostium mentes ac consilia imprimis bene attendant, an in præsens necessitate saltem cedant: vel animo etiam se victos fateantur. Illos rebus mutatis in officio vix contineri posse, hos verò ad omne obsequium tibi promptos fore. Verba ejus extant libro *Histor.* 3. hæc: Τοὺς ἐπὶ τῶν πραγμάτων τιθεμένους καὶ τῶν τοιούτων ἀεὶ νικᾶς μᾶλλον φροντίζειν, ὅταν μὲν λαμβάνειν τὰς προαιρέσεις τὰς σωτη-

Digitized by Google

διαλυομένων τὰς ἔχθρας, ἢ συντιθεμένων τὰς φιλίας, πότε τοῖς καιροῖς εἴκοντες καὶ πότε ταῖς ψυχαῖς ἡτιμώμενοι ποιῶνται τὰς συνθήκας, ἵνα τὰς μὲν ἐφέδρους τεμίζοντας εἶναι τῶν καιρῶν ἀεὶ φυλάττωνται. τοῖς δὲ πιστεύουσιν ὡς ὑπηκόοις ἢ φίλοις ἀληθινοῖς πᾶν τὸ συμφέρον ἑτοίμως προαγγέλλωσι.

§. 48. *Nihil est innovandum.*] Manet quilibet in sua possessione, ut ne quidem possessorio summario opus sit, contrà quàm Zieglerus putat, nisi id expressè inter partes actum.

§. 52. *Civitas aut ejus rector tenebitur.*] Non utique existimo, quia civis, qui obsidem se dari patitur, præstat civitati, quod debet. Non tenetur Civitas familiæ eorum, qui in prælio cadunt, damnum resarcire, ergo nec tenebitur ratione obsidum: Quilibet summo studio corpore & opibus juvare patriam obstrictus est, & si quod inde damnum senserit, æquo animo ferre debet, illud præcipuè secum animo versans, salvâ patriâ facilè unicuique sua quoque salva esse: Hac autem pessumdatâ, simul ea omnia perire, quæ privatorum sunt.

§. 54. *Non is animus fuisse Civitatis.*] Quidni? cùm Civitas ad reddendum obsidem ex fœdere obstricta sit. Quoniam enim hac fugâ obsidibus non consulitur, quos civitas apud se retinere nequit, si ex fœdere poscantur, sanè dicendum, Remp. civem non saltem in custodiam dedisse, sed & obligasse, ne aufugeret, ne deditionem repetere opus sit.

§. 60. *Nullum tempus id efficere posse.*] *Vid. quæ not. ad l. 2. c. 4. §. 15.*

Impeditus.] Nimirum contradictione credito-

ditoris, qui rem pignori suppositam suam dixit, non debitoris. Ab eo enim tempore, si ipsi non contradictum sit, creditor pignus incipit usucapere.

CAPUT XXI.

DE FIDE MANENTE BELLO, UBI DE INDUCIIS, COMMEATU: CAPTIVORUM REDEMPTIONE.

§. 1.

Inducia sunt conventio.] Objicit hîc Dn. Zieglerus, aliud esse inducias, aliud conventionem, per quam induciæ fiunt. Equidem non nego, hæc multis in rebus plurimùm differre, quemadmodum matrimonium per consensum fit, nec tamen consensus est: in induciis autem vix admitterem. Quoniam enim inter bellum & pacem nihil est medium, sequitur, quòd induciæ præter conventionem aliquam tempore belli factam nihil aliud denotent: sicut emptio venditio, locatio, mandatum, societas per consensum contrahendo fiunt, nec aliud quid præter contractum seu conventionem sunt.

§. 4. *Usq; Calendas.*] Quid si intra Calendas? an ipsæ Calendæ comprehendentur? quemadmodum intra decem dies appellare jussus ipso die decimo appellare potest. Vid. omninò de vi & usu vocis, *intra*, elegantissimum discursum apud *A. Gellium Noct. Attic. l. 12, c. 13.*

Vix est discernere.] Non semper. Nam intra

tra oppidum etiam dicitur in oppido. Ut ex loco Gellii citato apparet.

§. 15. *Non ad medios tantùm, ſed & ſummos.*] Hinc meritò Laurentius Medices à Guicciardino perfidiæ reus notatus eſt, qui dato commeatu Suareſio & ſociis, Horatium deinde tanquam origine ſubditum Eccleſiæ retinuit, quaſi is nominatim in ſalvo conductu exprimi debuiſſet. Judicium Hiſtorici hoc eſt. (a) *Scuſando la infamia della fede rotta con falſe cavillationi, come ſe fuſſe ſtato neceſſario nominare eſpreſſamente nel ſalvo condotto Oratio ſubdito per origine della Chieſa & Segretario del nimico.*

CAPUT XXII.

DE FIDE MINORUM POTESTATUM IN BELLO.

§. 8.

Inducias dare Ducum eſt.] Quod indiſtinctè non admitto: quæ enim in longum tempus, v. gr. decem, viginti aut centum annos indulgentur, ſine dubio ad Principem ſpectant. Neque plenior poteſtas faciendi inducias Ducibus commiſſa cenſetur, quàm quatenus ad bellum gerendum ſufficit.

(a) Libr. Hiſtor. 13.

CAPUT XXIII.

DE FIDE PRIVATA IN BELLO.

§. 5.

OB jus supereminens Civitatis.] Certum est, non obstringi Principem privatorum pactis, ut pati debeat illorum res hostibus ex pacto tradi, quia non tantùm sic hostes potentiores fierent, sed & civitas dominio suo privaretur, quod in res privatorum habet. Et quid si privatus aliquis in pleno dominio haberet fortissimum aliquod propugnaculum, quod ex pacto hosti tradendum cum maxima Reip. pernitie foret? Et tamen verum est, quòd Consul in Senatu Romano dixit, si quid est, in quod populus obligari potest, in omnia potest. Rei enim vilitas aut pretiositas juri agendi nihil adimit aut confert. Jus ergo Reip. in bona privatorum tale est. Modus verò utendi jure paulò attemperandus, ut si quæ res imprimis mobiles ad redemptionem captivorum privatis necessariæ sint, in illis Resp. strictè juri suo non inhæreat: sed quæ vel publicis bonis civem servatum cupere deberet, magis patiatur quoque privatorum, quæ Reip. detrimentosa non erunt, ad tam humanum officium impendi, quia in dubio civis Civitati plus prodesse potest, quàm res & possessiones, quæ non tam publico quàm captivi agnatis cedunt, aut aliis hæredibus, qui proximiore gradu sunt.

§. 8. *Quia sit contra officium.]* Distinguendum

dum esse arbitror, an is, qui promittit nolle se adversus victorem ampliùs arma ferre, sit subditus Reip. cum qua bellum est, an verò extraneus, qui citra obligationem stipendio militat. Hic absistere simpliciter bello debet. Ille verò à Principe ad militiam iterum cogi potest, cui & sine omni perfidiæ crimine parere debet. Nec enim in tam ingens Reip. præjudicium aliquid hosti promittere licet: Et si is, qui summam potestatem habet, vi illius juramenta subditorum, quæ publicæ rei obstant, nulla dicere, subditosque iisdem absolvere potest, quantò magis à nudis promissis fidem liberare, quasi hoc modo paciscendi facultatem non habuerint: Et sibi imputabit hostis, qui imprudens Civitati civem reddiderit. Nec obstat, quòd iterum captus sine venia occidi soleat, hoc enim illo jure gentium externo fit, quo in hostes quævis licent.

CAPUT XXIV.

DE FIDE TACITA.

§. 7.

EX *sola dissimulatione.]* Sicut nec dissimulatione actio injuriarum sublata censetur. Et potest is, qui jus puniendi habet, oportunum tempus ad pœnam nondum habere.

CAPUT XXV.

CONCLUSIO CUM MONITIS AD FIDEM ET PACEM.

§. 1.

Fide enim.] Ita Silius de fide.

Ante Jovem genera ta, decus divumq́ hominumq́,
Qua ſine non tellus pacem non æquora norunt.
Juſtitiæ conſors, tacitumq́ in pectore numen.

§. 3. *Pax ergo &c.*] Silio vate veriſſimè dictum.

— — Pax optima rerum,
Quas homini noviſſe datum, pax una triumphis
Innumeris potior.

DEO SOLI GLORIA.

FINIS OBSERVATIONUM IN H. GROTII DE JUR. BEL. ET PAC. LIB. III.

INDEX

INDEX RERUM
IN
OBSERVATIONIBUS AD GROTIUM NOTABILIORUM LOCUPLES.

A.

Abdicatio filii patri competit. 446
Absolutiones à juramentis quo principio nitantur. 665
Actio de pauperie naturaliter non competit in dominum pecudis. 774
Actio indifferens quæ? 84
est objectum legum civilium. ibid.
Actiones infantium ante exercitium rationis nec bonæ nec malæ moraliter sunt. 14
Actiones liberorum absque parentis consensu irritæ sunt. 441.442
Actus in hello publico privati omnes justi. 1002 1003.1029
Actus interni cogi non possunt. 399
Actus coniugii merè naturalis est. 456
Advenæ tempora obsidionis expelli possunt. 382
Advenæ tenentur ex consensu tanto. 561.670
Ædes vicinæ in incendio dirui possunt. 370
Aër non potest occupari. 361.362
Ætas excusat à pœna. 904
Ætatum gradus in tutela. 449.450.&c.

Alimonia debentur liberis juſtitia expletrice. 501
etiam ex damnato coitu natis. 502
Alienatio imperii eſt actus majeſtatis regulariter Principi conceſſus. 493.494
Alienatio non comprehendit ſortem aut conditum certamen. 1056
Alluvio quæ? 541
Alveus fluvii publicus eſt. ibid.
Amor mitigat pœnam. 908
non tamen in raptu. 909
Animi infirmitas quomodo excuſet. 901
Appetitus ſocietatis naturalis eſt. 11.12
Appetitus eſt fons ſeu norma juris ſocialis. 15
non omnem vim inhibet. 136
Appetitus duplex. 902
Aptitudo juris ſpecies. 68
an ſola ſit in diſtributione rerum communium. 80.81
Aſſecuratio quid? 585
Aſſertio in promiſſis quid? 553

B.

BElli definitio. 53
Bellum mixtum verum eſt bellum. 150
Bellum civile verum bellum. 155
Bellum à quo ſuſcipiendum. 308.309
Belli inſtrumenta idonea. 312.313
Belli cauſæ veræ & juſtificæ. 314
Belli principia. 315
Bella Romanorum non omnia injuſta. ibid.& 316
Belli injuſti nulla obligatio. 744
Bellum rectè poteſt ſuſcipi, ſi par viribus hoſti ſit. 949

Bellum

Bellum pacis causa suscipiendum. 52
Bruta non observant gradus prohibitos. 478

C.

CAinus à Deo signo externo signatus fuit. 845
Captus in bello non transfert omnes res suas ad victorem. 1015
Caraffæ Cardinalis impietas. 659
Caritas differt à justitia. 769
Carthago quid notet? 761
Causa injusta & irrationabilis non excusat ab ordinaria pœna. 897
Certamen conditum in bello licitum. 1052. 1053
& à certantibus rectè suscipitur jussu superioris. 1054
Cives non possunt invito Imperante de Civitate discedere. 484. 1047
Civis potest deseri à Republica, si non possit defendi. 951
Civem innocentem Respublica tradere non potest, nec ad se dedendum civis ullo jure obligatur. 952. usque 957
Civitas quid? 116
Civitatis forma utra præstantior. 192
Civitatis utilitas. 206. 207
Civitas in quo differat à societate prædonum? 990
Civitas non tenetur de damno obsidibus dato. 1057
Cogere pugnat cum statu inferioris. 243
Cogitationis pœnam nemo patitur. 888
Commercia negatione transitus impediri possunt. 379

Communio in mundi principiis nulla fuit. 346
usque ad 352. 356
Communiò non quadrat omnibus rebus. 352
Compensatio ratio Principis ex æquitate est non stricto jure. 687
Concubinatus secundùm matrimonium. 481
Conductor naturaliter sustinet casum fortuitum 600. 601
Conjugii formale quid. 461
Conscientia erronea. 940
Conscientia dubia. 941
Conscientia probabilis. 942
Consensus patris ad nuptias filii necessarius est etiam extra leges civiles. 471. usque ad 476
Consiliarii tutorum vicem non supplent. 674
Consilium à jure aliud est. 723
Constitutum obligat jure civili. 551. 559
Consuetudo facti & loci mitigat pœnam. 910
Contractuum nominatorum & innominatorum ratio. 580. &c.
Contractus Regum quo jure judicandi. 681. 683
Contractus Regum quo sensu leges. 693
Copula carnalis ad matrimonii consummationem spectat non essentiam. 462
Corporis cura non negligenda. 132. 133
Curatores regni non habent summum imperium. 232. 252

D.

Deceptio in contractibus quomodo naturaliter licita. 623
Decimæ non debentur jure naturæ. 132
Deditione civis civitatem amittit. 750
Defensio inculpatæ tutelæ species. 152

Defensio juri naturæ non contraria. 153
indistinctè licita. 154
si periculum certum sit. 319. 861
Defensio necessaria non arbitraria. 321. 857
nec tenetur quis expectare vulnus. 862
Defensio & pro aliis concessa. 864. 865
Defensio pudicitiæ licita. 320. 865
non æquè adversùs tyrannum civi. 322
Defensio corporis ad injuriam vitandam licita. 323
Defensio rerum cum morte raptoris quandoque licita. 323. usque ad 327. Conf. 866. etiam incorporalium. 868
Defensio famæ. 865
Defunctus extra leges civiles pro parte testatus & pro parte intestatus decedere potest. 626
Delictum quodlibet sub mortis pœna prohiberi potest. 280. 330
Delictum consummatum gravius non consummato. 903
Deo quæ possibilia. 108
Dictatoris potestas summa fuit. 229. usque ad 232
Divisione originariè nihil acquiritur. 385. 386
Dolus contractum vitiat. 564
Dominiorum origo à Deo. 346. 347
Dominia acquiruntur per actum occupationis. 348
Dominium objectum res habet. 388
Dominium differt ab imperio. ibid.
Dominium etiam in infantibus esse potest. 391
Dominium solo animo amitti potest. 543
Dominium etiam ex turpi causa transfertur. 549

Domi-

Dominium etiam contra voluntatem domini transferri potest. 970
Dominium eminens an & quid sit. 60. &c.
non est potestas extraordinaria. 62
nec ex jure gentium. ibid.
nec competit in cives. ibid.
ad ejus exercitium non semper extremâ necessitate opus. 63
respondetur dissentientibus. 64. 65
Duella quando licita. 330. 331
Duella Regum aliquando licita. 245

E.

Elocatio filiæfamilias solvit patriam potestatem. 448
non æquè filiif. ibid.
Emancipatorum conditio juri naturæ non incognita. 440
Emptio venditio an citra traditionem transferat dominium distinctè. 593. &c.
Episcopus malus miles. 148
Error antecedens & consequens. 563
Exemplis an judicandum? 736. usque 741
Exhæreditatio patri Regi regulariter concessa. 536
nisi pactis aliud statutum. ibid.
Extranea Respublica adflictos à tyrannide subditos juvare potest. 258

F.

Facultas juris species. 55. 56
jura personarum comprehendit. 57
creditum & debitum. 59

Digitized by Google

Feræ solâ fugâ naturaliter nostræ esse non desinunt. 539. 540
Fides reciproca non obstat polygamiæ. 464
Finis non facit jus in moralibus. 483
Fœdera cum gentilibus quatenus licita. 719. usque 744.
Forma civitatis quotuplex? an mixta. 213. &c. 244. 245
Fugere nemo tenetur, qui vitam defendit. 319
Fur nocturnus præsumitur furti faciendi causâ ædes ingressus. 153
propter res occiditur. ibid. 328
Furis suspensio non injusta. 280

G.

GEneratio non est causa imperii paterni. 432
Gens quando primùm extiterit. 52
Gentiles etiam contra Christianos in bello justo juvari possunt. 716
Gradus prohibiti in matrimonio. 472

H.

HAbitatio in locis incultis nemini jure debetur. 379, 380
Hæreditas naturaliter pro parte capi potest. 524
Hæres non tenetur juramento defuncti. 662
Homo præstat bestiis. 11
Horror in gradibus prohibitis non naturalis. 477

I.

IGnorantia quando excuset. 897
Imago Dei non est causa imperii paterni. 434

Imperium politicè quomodo capiatur. 387
Imperii objectum personæ. ibid.
Imperium differt à dominio. 388
Imperii acquirendi modns uter præstantior successio an electio? 215
Imperii habendi modus duplex. 226.&c.
Imperium restrictum quoque summum est. 226
Imperii distinctio in usufructuarium & proprietarium periculosa. 229
Imperii summitas alia à plenitudine in actu secundo, non primo. 235.seq,
Imperium summum pactis in actu primo mutari nequit. 239.240
Imperii committendi conditio non valet. 241
242
Imperium summum etiam in feudum dari potest. 249.&c.
Imperium non extenditur ad injusta. 253.254
1019
Imperium derelictum censetur, si cum injusto possessore contrahas nullâ tui juris mentione factâ. 401
Imperium non est derelictum, si nequeat sine summo periculo recipi. 407.usque 412
Imperium paternum à Deo est. 433
Imperium maritale est fundamentum imperii patrii. 436
Imperium patrium etiam in liberos naturales competit. ibid.
Imperium patrium comprehendit jus vitæ & necis. 437
adeoque impetium in personam & dominium in bona. 436. usque 447

Impe-

Imperium patrium non finitur tempore. 447
subest civili potestati. 453
Imperium maritale à Deo est. 456
Imperium ante lapsum in hominem nullum. 457
Imperium maritale in personam uxoris & ejus bona se extendit, 458.&c.
Imperium maritale jus vitæ & necis habet. 459
Imperium patrium est causa necessitaais adhibendi consensum patris in nuptiis filiif. 472 473
Imperium herile complectitur jus vitæ & necis. 487
Imperium Princeps regulariter alienare potest. 493. &c.
nisi pactis prohibeatur. 495
Imperium civile in extraneos nullum. 691
Indictio belli quando necessaria. 995
Indigentia non est causa civitatis. 12
Indigentia jus ad rem non dat. 381
Indigentiâ res omnes æstimat. 590
Induciæ conventio sunt. 1058
Infideli fides servanda est. 657
etiamsi nobis eam id aliis pactis fregisset. 659
Injustum quid? 54
Innocens num à Deo puniri possit. 821
Instructio differt à mandato. 574
Insula quæ? 541
Intentio injusta justum bellum non facit injustum. 937
Interpres verborum suorum quis? 400
Interpretatio non semper est in potestate stipulatoris. 754

Ira-

Iracundia mitigat pœnam. 207
Judæorum fœnus. 604.&c.
Judæi an tolerandi. 606. &c.
Judicia novo teſtamento non ſublata. 871.usque 885
Judicii libertas. 280
Jurisdictio an præſcribatur. 422
Jusjurandum cur ſanctum & religioſum. 632
Jusjurandum obligat. 635
Jusjurandum excludit æquivocationem. ibid. 636
de re licita fieri debet. 638
Juramenti formale. 639. 640.&c.
Juramentum per falſos Deos obligat. 641
an piè deferri poſſit. 642
Juramenta metu præſtita an valeant. 644
Juramenta piratis præſtita ſunt ſervanda. 655
Juramentum Deo datum an ſervandum? diſtinctè 661.663
Jus accreſcendi jure civili à teſtatore prohiberi non poteſt. 627
Jus belli & pacis quid? 1
Jus divinum univerſale. 3.4
Jus Dei in homines. 45.46.820. 927
Jus defenſionis naturale. 317
naſcitur primariò ex defenſione ſui. 318. 319
etiam in pudicitia defendenda locum habet. 320
Jus naturæ & gentium norma juris civilis. 35. 36
Juris naturæ genus. 88. origo. 89. &c.
objectum. 91.usque ad 103
æquivocatio. ibid.
perſpicuitas. 104

immu-

immutabilitas. 104. 109. usque 114.
non cadit in bruta nisi impropriè. ibid.
Jure naturæ non fuerunt omnia communia. 350
Jus à politica non separandum. 49
Jus derivatur à justitia. 82
Jus belli gerendi est à majestate. 154
restrictum summum esse potest. 714
Jus circa sacra. 158
Jus regium est verum jus. 257. &c.
Juris civilis fons. 18. 19. 116
Jus gentium certis principiis constat. 37
non est ex consensu libero. 117. 118
nec tacito ibid.
nec universali. 119
nec perpetuo. 120. sed
Jus gentium resultat ex objecto seu connexione Rerump. 123. 124
& consensu necessario. 127
Jus gentium quid sit. 123
Juris gentium ambiguitas 122
perspicuitas. 130
immutabilitas. ibid.
finis. 128
Jus genrium ad patremfamilias non pertinet. 138
Jure gentium non fuerunt omnia communia. 350
Juris genus est regula. 82
an & oratio? 83
Jus gentium pertinet ad mutuam gentium societatem. 537
nec pendet ex solis historiis. 971
Jus vitæ & necis patri in liberos competit. 437
& domino in servos. 487

cum juſtitia congruit. 1007
Jus utilitari jungendum eſt. 8.9
Juſtitia non eſt ſumma ſtultitia. 24
Juſtitia expletrix quid. 69
an proportionem arithmeticam obſervet? 70
usque ad 72

L.

Latrones juſtitiæ ſimulacra ſervant. 28
Laudator criminis quando teneatur. 771
Legati jure gentium ſecuri. 777
Legatus ab hoſte armato veniens admittendus. 784
Legatus criminoſus non ſecurus. ibid.
Legati etiam ab aliis ſecuri, quàm ad quos mittuntur. 785
Legatorum bona propria ad ſatisfactionem capi poſſunt. 787
Lex pœnalis quotuplex? 890
Lex moralis in quibus abrogata. ſ
quæ ejus κεφάλαια. ibid.
Leges civiles obligant in conſcientia. 143. &c.
Leges civiles legislatorem non obligant. 562
Legis in genere diviſio. 88
Legis Moſaicæ triplex diviſio. 5
Legis vis directiva nulla. 418
Legis lator utilitatem ſubditorum ſpectare debet & ſui ipſius. 22. 23
Legis objectum. 84
Legis forma obligatio. 85. 87
Leges non ſunt ſupra Reges. 271
Leges an arma ſint magis neceſſaria. 30. &c.

Lex fundamentalis non est vera lex, sed conditio 221. &c.
Leges prohibitivæ actum contrarium regulariter irritum faciant. 481
Liber homo alienari potest. 234. & se ipsum alienare. 485
Libertas in regno & libera Republica qualis oppositivè. 233
Libertas non est de jure naturæ. 933
Libertas Germanorum externis militandi Reipublicæ nociva. 1041
Loca inculta non censentur derelicta. 386
Luitio pignoris magis est res meræ facultatis quàm jus retrovendendi ex pacto. 429. usque 432

M.

Magistratns non sunt supra Reges. 278
Magistratus non possunt resistere Regibus. 279
Majestas quomodo se communicet. 158. 159
actu secundo, non primo. 162
Majestatis causa immediata Deus. 162
Majestas non habet subjectum commune. 164
Majestas realis Politices monstrum. 166. usque 189
Majestas Rege mortuo non redit ad populum. 189
Majestas an detur in Republica libera? 217. usque 220
Majestas potest prohibere & ne feræ capiantur, & ne captæ acquirantur. 365. 369

Majorennitas etiam Principem civitatis obligat. 560
Mandans in mandato quid præſtet. 587
Mandans damnum tenetur primo loco. 773
Mare poteſt occupari non ſolum quà terram alluit: ſed & Oceanus. 358. usque 360
Mare habet terminos. 363
Mare non cenſetur occupatum cum terra. 392
Maritus executor adulteri. 887
Maſculus in regnis præfertur fœminæ. 512
Mater in liberos non habet imperium. 433
Matrimonium quid? 461
quæ perſona naturæ prohibeantur illud inire. 463
Mendacium largius & ſtrictius non ſunt ſpecies. 278
Mendacii formale quid? 280
Mentiri minus eſt mendacio. 275
Meritum quatenus excuſet. 892
Metus non eſt cauſa civitatis. 12
Metus ſufficit ad negandum tranſitum. 377
Metus contractum non facit irritum. 565. 566
Metus juramentum non facit irritum. 643
Metus excuſat à pœna ordinaria. 902
Metus ultionis non ſufficit ad pœnam. 922
Minorennitas jure naturæ & gentium non habet reſtitutionem. 668. &c.
Monarchia præſtat aliis formis. 192
1. antiquitate. ibid.
2. dignitate. 193
3. uſu. ibid. & 200
4. experientiâ. 194
5. conſenſu ſcriptorum. 193. & 195
6. maje-

6. majestate. 201
Monomachia Regibus aliquando licita. 945
Monopolia civium rebus tyrannorum obsunt. 384
Mutuum an gratuitum? 611

N.

NAturales liberi jure naturæ nulli. 504. 505
Naturales liberi dupliciter considerantur. 514. 515
Naves aliorum an retineri à Principe possint? 376
Navigantes cur teneantur sua in medium conferre in penuria eduliorum? 369. 370
Necessitas jus ad rem alienam non dat. 371. 971
Nepos an patruo in successione præferatur? distinctè. 535. 536
Noxalis actio in servum naturaliter competit. 774
Numisma quomodo ex jure gentium. 622
Nuptiæ secundæ honestæ. 493

O.

OBses fugere honestè non potest. 1057
Obligatio naturalis quomodo concipienda. 549. 550
Obsequium an idem in Monarchia & libera Rep. 210. &c.
Obsequium non debetur Principi injusta imperanti. 253
Obsequium majestati debetur etiam in iniquis. 254. 256

Occupatio originarius dominia acquirendi modus. 348. & 385
ad illam tacitâ renunciatione non opus est. 357
Occupatio fortalitii non licita eo colore, quòd alius id occupaturus sit. 373. 374
Oppignoratio filii patri concessa. 443
non æquè matri. ibid.
nisi jure civili. 444

P.

PActa nuda cur jure civili non obligent. 550
Paritas armorum non requiritur ad defensionem sui. 316
Pars major etiam in religione prævalet. 481
Partus naturaliter sequitur conditionem ventris. 488. 542
Pater potest filium arrogandum dare. 484
Pax bello potior. 943
Pax non censetur ruptâ per offensionem ex nova causâ. 1039
Pax quando comprehendat socios non expressos. 1043
quando cognatos. 1044. 1045
Pax comprehendit omnes eos, qui causam à pacisceute habent. 1045
Pax non rumpitur per furtum. 1046
Pecuniæ usus duplex. 613. &c.
Pensitatio non repugnat cum summo imperio. 248
Percussorem an liceat in hostem immittere. 997
Perfidia pretio non excusatur. 29
Periculum in emptione & venditione naturaliter cujus? 597

Permissio facti plena & minus plena. 131
Permissio non est lex, sed lege fit. ibid.
Personæ, quæ naturæ prohibeantur inire matrimonium. 463
Pietas & virtus moralis. 42. 43.
Pirata habet facultatem contrahendi. 656
Pœna an malum? 789
Pœna quid sit? 790
Pœnam certam jus naturæ non determinat. 792
Pœnæ pertinent ad justitiam expletricem. 793 usque 812
Pœnas nocens debet, non ei debentur. 813
Pœnæ habent aliquid voluntarii. 814
Pœnam naturaliter quivis potest exigere. 815
Pœna dura non semper est injusta. 895
Pollicitatio quid? 555
Pollicitatio pertinet ad justitiam attributricem. 559
Polygamia jure divino non prohibita. 465. &c. sed præcepta certo casu. 466
Polygamia juri naturali non est adversa. ibid.
Polygamia non videtur reprobata in prima conjugii institutione. 469
Polysema vocabula non pertinent ad mendacium. 976. 977
Pontifex non habet jus in totum orbem. 914
Possessor malæ fidei tenetur rem suis sumptibus restituere. 546
Postliminium non datur subjugatis. 1017
Postliminium rerum adhuc usu viget. 1018
Potestas nulla vitiosa. 273
quia omnis à Deo. ibid.
Potestas etiam tyranno adest. 274

Potestas vitio usurpantium non corrumpitur. 275
Potestas civilis alia à potestate Diaboli, ibid.
Præscriptio feudi non currit contra agnatos remotiores, extantibus proximioribus. 414
Prævenire melius quàm præveniri. 333. usque 342
Præventio lucri quatenus licita. 384
Primogenituræ jus vel ex electione est. 519. 520
vel tacitâ patris voluntate, 513. 521
Primogenituræ jus non est ex sanguine. 518. 524
nec ex jure naturali. 517
nec gentium. 518
quandoque tamen hæreditario. 523
Princeps subditos ad matrimonia cogere potest. 383
Princeps quomodo legibus selectus. 419. 420
Princeps propter defensionem à subditis occidi nequit. 859
sed ejus personæ semper pareendum. 286. 289
Princeps juventutis non est magistratus, nec persona publica. 870
Princeps non strictè tenetur captum civem suis rebus redimere. 1060
Proedria Principum. 545
Promissio futuri matrimonii non valet. 567
Promissio ob turpem causam & promissio facti illiciti diversæ. 568
Promissio ob turpem causam non valet. 569
Proportio arithmetica & geometrica an detur injustitia? 70. usque 79
Proportio inter rem & pœnam nulla. 280
sed inter delictum & pœnam. ibid.

Pudi-

Pudicitiæ conservandæ causâ occisio licita. 370
Punire nocentem nocens non possit. 817

Q.

QUalitas moralis quid. 55

R.

REbelles omnium hostes. 913
Reges etiam subditis peccare possunt. 246
Regnum non debet subditorum commodum unicè respicere. 220
Regulus ad reditum Carthaginensibus obligatus fuit. 647
Respublica ex capite minorennitatis non restituitur. 675
Rerum summa divisio. 135
Rerumpublicarum maxima utilitas, 20. &c.
Resp. etiam in Rege læditur. 191
Rerump. circulus fatalis. 427. 428
Res communes vacuæ sunt à proprietate. 345
Res communes & publicæ quomodo differant. 391
Res bis vendita cui acquiratur. 598
Res sacræ sanctæ & religiosæ sunt in dominio Reip. 998
Res non hostium, apud hostes tamen inventæ acquiruntur jure gentium. 1000
Resistere non licet superiori in summa necessitate. 282
nisi ministros scelerum miserit. 283
quos imperium non tuetur. 284

Resistentia ultra tutelam legitimam non extendenda. 285.288.291
Resistere tutoribus malè imperantibus licet. 287
Resistere licet ei, qui deposuit imperium. 302
Resistere licet ei, qui invasit imperium vivente Rege legitimo. 304
quamvis subditi raptori fidelitatem juraverint. 305.306
Rex malè imperans non desinit esse Rex. 190
Regibus captis parcendum. 286.289
Rex filius patrem privatum rectè supplicio afficit. 453
Rex an & pro liberis abdicare imperium possit? distinctè. 531
Rex captivus imperium in victorem non transfert. 1032
Rex omnis Reip. dominus. 1035
Rusticitas mitigat pœnam. 907

S.

Satisfactio oblata accipi debet, ut bellum finiatur. 343.344
Scientia nuda non sufficit ad derelictionem imperii. 402. &c.
Seditionis origo. 422
progressus & finis. 424. &c.
Senatus non est supra Reges. 271
Senium excusat à pœna ordinaria. 905
Sententia Principis mali habet auctoritatem & non habet. 818
Servi natura an dentur? 207
Servi Regis alii, quàm servi simpliciter. 258.259

Digitized by Google

Servus fugere servitutem nequit. 489
etsi injusto bello captus. 1008. 1009
Servus an occidere dominum possit per modum defensionis? distinctè. 490
Servus derelictus fit liber. 544
Servi nec jure gentium externo pro lubitu occidi possunt. 995
Servorum civitas an sit. 1014
Servitus per se non misera. 486
Sexus præstantia non producit imperium. 435
Sexus præstantia in quo verè consistat. ibid. & 441
Sexus fœmineus mitiùs punitur. 906
Societas inter Deum & homines. 55
Societas universorum bonorum duplex. 620
Sors in bello quando licita. 1050. 1051
Spes emendationis an excuset in pœnis. 894
Sponsalia differunt à nuptiis. 462
Sponsionibus ministrorum quatenus obligetur Resp. 745
non ex capite damni dati. 748
Stagnum quid? 538
Subditi officium. 300. 301
Subditis competit judicium in moralibus. 255. 256
Subditi non possunt manus inferre Regibus. 268 &c.
Subditi nihil possunt in extraneos alienare absque consensu superioris. 390
Subditus non potest usucapere imperium. 415 &c.
Subditus non participat delictum quò subditus. 929
Subditus in dubio Principi obedire debet. 960

Digitized by Google

Subditus etiam invitus ad bellum cogi potest. 967
Subditi naturaliter & jure gentium tenentur ex facto superioris. 984. usque ad 988
Successionis ordo juri naturali congruus. 507. &c.
Successio in regnis ex tacita defuncti voluntate fit. 512
Successio linealis. 525. 526
quomodo à feudali & communi differat. ibid. & 527. 528
Successio linealis agnatica. 529
Successor quando obligetur factis antecessoris. 694. usque 707

T.

TAlio duplex. 141
Talio quid? 140
Talio naturæ congruit. 138. 139
Talio in omnibus delictis non habet locum. 141
Taceri potest, quod non potest secus dici. 973
Temporis lapsus indicium dat derelicti imperii. 398
Testamentum tacitum jure civili non datur. 512
Thesauri naturaliter Principis sunt, non inventoris. 540
Transitus nemini debetur jure aliquo. 376. 377
Tributum arguit subditum. 248
Tutores in regno à quo dandi? 238
Tyranum occidere non licet. 293. &c.
si verus Rex sit. 296
respondetur dissentientibus. 298. &c.

Digitized by Google

V.

VAlor est forma numismatis. 106.107
Venatio an rectè subditis adempta. 66.364
Vendere nemo cogitur. 382
Victor quis dicendus. 1056
Vindicta unde? 827
Vindicta quid? 829
Vindicta quotuplex? 830
Vindicta publica quid sit? 832
Vindicta privata. ibid.
Vindicta privata juri naturali non adversa. 833 usque ad 840
Vindictæ privatæ subjectum. 842. 1. Patres f. 843 2. privati αὐτόνομοι. 844. usque ad 853. 3. subditi certis càsibus. 853.854.855
Vindictæ privatæ objectum. 1. corpus. 857. 2. pudicitia. 865. 3. Fama. ibid. 4. Res fortunæ. 866
Vindicta non est ab imperio. 844
nec exercetur ab imperantibus, quâ aliis imperant, sed quâ nemini subsunt. 848.911
Virtutis formale non est mediocritas. 39.&c.
Vis directiva nulla est. 418
Vita humana periculis exposita. 342
Universitas quomodo delinquat? 920
Voluntas Dei est origo & norma juris socialis.
Vota diversa non conjungenda. 482
Vota filiifamilias absque parentis consensu irrita sunt. 455
Usucapio est juris civilis. 395
Usuræ licitæ. 603.618
Usuræ vetitæ. 604
Usus rerum omnium æstimator. 590

ERRA-

ERRATA, perfunctoriè animadversa.

PAg. 5. lin. 17. converſi. pro converſæ. p. 9. l. 25. ὄρκ@. pro ὅρκων. l. 26. μη δυνὸς. pro μονὸς. ὅ, τι, dele comma. l. 27. ἀψίλιμας. pro ἀψίλιμον. p. 17. lin. 8. Societatis. pro ſocietatis. l. 24. συνθήκων, pro συνθοίκων. p. 18. l. 11. natura. Deinde. pro natura, deinde. p. 20. l. 10. obtrudit. pro obtrudat. p. 22. l. 4. ἄρχειν. pro ἄρκειν. l. 12. συχάσας. pro συχήσαν. p. 23. l. 3. ἀρχομένων. pro ἀρχομένων. l. 25. quocunque. pro quæcunque. l. 26. Imperantis. pro Impetrantis. p. 25. l. 25. παγαθὺς. pro ἀγαθὺς. l. 26. πολιτικὸ. pro πολιτικὸ. l. 29. δίκαιον. pro δίκαιας. p. 26. l. 18. βιβαιοτάτην. pro βεβαιοτάτην. l. 32. νομίζοτε. pro νομίζατε. l. 2. κοινὸν. pro κοινὸς. l. 6. πόλεις. pro πόλεων. p. 29. l. 7. absorbere. pro obsorbere. l. 9. Achillem. pro Achillum. l. 23. Carolum. pro Carol. p. 30. l. 28. κτῆμα. pro κτήμα. p. 31. l. ead. veræ. pro ferè. l. 31. σώζεται. pro σύζεται. lin. ead. ὁμονοίας. pro ὁμωνοίας. p. 32. l. 25. jurium. pro jura. p. 33. l. 6. primùm. pro primum. l. 24. aberratio. pro aberrantia. p. 39. l. 11. rei? pro rei. p. 47. l. 32. armé. pro arme. p. 48. l. 8. lay, pro luy. l. 21. hæc. pro hac. l. 22. cum ipſo ſunt, cum. pro cum. l. 23. meo. pro in eo. p. 49. l. 4. Ariſtoteles. pro Ariſt. l. 8. quærens. pro quærit. p. 53. l. 8. uno. pro imo. p. 55. l. 23. geramus. pro geremus. p. 81. l. 23. ἀξιὸν. pro ἀξίον. p. 83. l. 9. applicatione. pro appellatione. p. 144. l. 27. ſubjaceat. pro ſubjacet. p. 204. l. ult. pas. pro par.

par. p. 258. l. 4. Forſter. pro Forſtner. p. 401. l. 4. Jaſ. pro Joh. p. 406. l. 17. quâ. pro quæ. p. 423. l. 2. ceſſaturam. pro ceſſuram. l. 22. μοῖρα προσιόντι. pro μοίρα προσιόντι. p. 424. l. antep. Hi. pro His. p. 425. l. 15. vertunt. pro vertum. l. 26. J. Principi. pro J. Principi- ead. l. pietoſo. pro piatoſo. p. 428. l. 17. incipit. pro incipiunt. l. 28. inopibus. pro in opibus. p. 430. l. 13. exſolutum. pro exolutum. l. 16. quia. pro qui. p. 431. l. 13. tamen. pro tam. l. 22. ſed ex. pro ex. p. 544. l. 11. accipiant. pro accipiunt. p. 593. l. 18. dimovere. pro dimoveri. p. 610. l. 24. Muleaſſes. pro Muleartes. p. 769. l. 24. vir. pro vis. l. 26. cruciatus. pro cruciatos. p. 978. l. 19. verum. pro verùm. p. 1000. l. 8. recentiori. pro recentori.

Superſunt fortè àdhuc plura, quæ diligens lector corriget; plus enim vident oculi quàm oculus.

FINIS.

:(o):

ANT. 1317669

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C.12.

Digitized by Google